

3

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS II.
DECAS II.

MCMXXXVI. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

RM

SAECULA XII—XIII.

P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — 5.40

SAECULUM XIII.

De orthographia (incerti auctoris), ed. L. K. *Born*. (Apparebit.)

Garlandia, Iohannes de, *Integumenta fabularum Ovidii*, ed. L. K. *Born*. (Excuduntur.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, *Epistolae*, edd. H. *Nachod*—P. *Stern*. (Apparebunt.)

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes de, *Epistolae*, ed. L. *Smith* (in II tomis). (Excuduntur.)

Salutatus, Coluccius, *De saeculo et religione*, ed. B. L. *Ullman*. (Apparebit.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, *Epistolae*, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.)

— *Orationes*. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.)

Barius, Nicolaus—**Kostolan**, Georgius Polycarpus de—**Hungarus**, Simon—**Zagabriensis**, Georgius Augustinus, *Reliquiae*, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — 1.50

Bonfinis, Antonius de, *Rerum Ungaricarum Decades*, edd. I. *Fógel*—B. *Iványi*—L. *Juhász*. (in IV tomis).

Tomus I. — *Introductio et Decas I.* 1936. — — — — — 14.—

Tomus II. — *Decas II.* 1936. — — — — — 13.—

Tomus III. — *Decas III.* 1936. — — — — — 13.—

Tomus IV. — *Decas IV. et V libri decadis V. relictis et Index nominum.* (Excuduntur.)

Brandolinus, Aurelius Lippus, *Dialogi*, ed. P. *Angyal*. (Apparebunt.)

Callimachus Experiens, Attila. *Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia*, ed. T. *Kardos*. 1932. — 1.70

Corsinus, Amerigus, *Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem*, ed. L. *Juhász*. 1934. — — — — — 2.—

Cortesius, Alexander, *De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis*, ed. I. *Fógel*. 1934. — — — — — 2.—

Vide paginas 3. et 4. involucri!

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS II.
DECAS II.

MCMXXXVI. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot.

114 923

/ II



SUMPTIBUS

SODALITATIS AMICORUM UNIVERSITATIS LITTERARUM
REGIAE HUNGARICAE FRANCISCO-IOSEPHINAE SZEGEDINENSIS
EDITAE

ARGUMENTUM DECADIS II.

PRAEFATIO decadis II. : 1-5.

LIBER I. — 1-6. De Stephano filio Geysae principis primo rege Hungarorum. Geysa pater eius Hungaros ad religionem Christianam convertere nititur. - 7-10. Geysae in somno filius Stephanus nasciturus et Adalbertus episcopus Pragensis in Hungariam adventurus praedicatur. - 11-22. De Adalberto. - 23-6. Adalbertus a Geysa Hungariam intrat et complures Hungaros baptizat. - 27-37. Sarolthae Geysae uxori s. Stephanus protomartyr in somno filium Stephanum nasciturum praedicat. Stephanus nascitur, quem Adalbertus baptizat et Theodatus e sacro fonte educit. - 38-46. Stephanus pie educatur; Adalbertus eum instituit. De moribus Stephani. - 47-68. Geysa senex de eligendo regni successore Stephano ad proceres orationem habet. - 69-76. Stephanus rex vivo Geysa patre eligitur. Geysa moritur. Stephanus regnat. - 77-95. Adalbertus ex Hungaria ad Prutenos, mox in Livoniam it, ubi martyr fit. Miracula eius. - 96-101. Stephanus regnare et paganos baptizare incipit; seditio eorum oritur. - 102-27. Auctor seditionis Cupan dux Simigiensis Vesprimii a rege auxiliis Alemanorum adiuto obsidetur et Deo Iesuque Christo adiuvente devincitur et occiditur. Vencilinus Alemanorum dux a Stephano propter victoriam ditatur et basilicae divi Martini decimae penduntur. — 128-38. Stephanus deum rogat, ut Hungaros ad fidem convertere possit. De Astrico. Coenobium Montis Ferrei, sedes archiepiscopalis Strigonii et basilica Colocensis aedificantur. - 139-47. Pontifex Stephanum corona donat. - 148-60. Stephanus leges fert. Gyslam sororem Henrici II. imperatoris uxorem ducere vult. De Henrico II. - 161-80. Stephanus Gyslam coniugem ducit, Emericus filius Stephani et Gyslae nascitur. Gysla basilicam Vesprimiensem aedificat. De vita Stephani et Gyslae religiosa. Sebastianus archiepiscopus Strigoniensis fit. - 181-92. De Emerico. Maurus episcopus Quinqueecclesiensis. - 193-6. Emerico Vesprimii virginitas divinitus suadetur. - 197-200. Emericus desponsatus virginitatem servat. - 201-6. Emericus juvenis moritur. 207-24. Conradus Teulunus ob sceleratam vitam poenitentiam agit et peregrinatur, tandem ad sepulcrum Emerici sceleribus purgatur. Emerico divini honores a Ladislao rege decernuntur. - 225-40. Sepultura Emerici. Stephanus de successore deliberat; Mariam virginem patronam Hungariae statuit, diem assumptionis eius festum declarat, Albae Regalis templum in honorem eius coronandis et sepeliendis regibus construit, quod ornamentis et privilegiis ornat et episcopum ei praeficit. Mathias Corvinus hanc basilicam amplificat. - 241-52. Stephanus Hierosolymis coenobium et Romae Mariae virgini templum et hospitium, Constantinopoli templum fundat. Misericordia Stephani in pauperes et in monachos liberalitas. - 253-6. Stephanus caelitus de Bessis in Transylvaniam irrumpentibus admoneatur. - 257-66. A. 1002. Stephanus avunculo suo Giulia victo et capto Transylvaniam Hungariae adiicit ibidemque Christianam fidem propagat. E pecunia ibi capta Albae Regalis basilicam aedificat, quae saepe deflagrat. - 267-75. Stephanus Bulgaros regnum Hungariae invadentes proelio superat et espoliis ecclesias, praesertim Albensem Regalem ditat. - 276-84. Stephanus Petro et Paulo apostolis ad Budam Veterem basilicam et monasterium exstruit. Stephanus basilicas et coenobia quotannis visitat. De liberalitate Stephani, Gyslae et Emerici in templa et egenos. - 285-97. De Conrado imperatore; Mediolanum obsidet, sed a s. Ambrosio deterretur; a Romanis obsequentibus accipitur; Sclavos et Hungaros opprimere vult; primum Polonos et Bohemos domat. - 298-308. Conradus Stephanum adoritur, qui auxilium Mariae virginis invocat. Germani divinitus fugantur et pax inter Conradum et Stephanum fit. - 309-14. Stephanus pro auxilio Mariae virgini gratias agit. Sancta vita et pietas Stephani ubique nota fit. Miraculum, quod cum eo accidit. - 315-26.

Bessi et Bulgari Stephanum adeuntes se ei subiicere volunt, sed in itinere auro et argento spoliuntur et multi eorum trucidantur; Stephanus sontes punit. - 327-34. Stephanus morte Emerici contristatus aegrotat. Coniuratio contra eum fit, quam opprimit. - 335-44. Stephanus mortem appropinquare sentiens proceribus convocatis regnum et catholicam fidem commendat. Stephanus die assumptionis Mariae virginis moritur et caelum ascendit. Corpus Albae Regalis sepelitur. Miracula ad eius sepulcrum. - 345-55. Stephanus Vazulem patruelis sui filium regem esse vult, sed eum Nitriae custoditum Gysla caecat. Filii Calvi Ladislai Andreas, Bela et Leventa insidias Gyslae fugiunt; in Bohemiam, mox Poloniam perveniunt. Stephanus duas uxores Gyslae nomine habuisse creditur. - 356-81. Ladislaus corpus Stephani elevat. Ad sepulcrum plura miracula fiunt. - 382-98. Dexteram Stephani cum anulo caelitus Mercurio monacho donatur, a Ladislao a. 1078. templo infertur et integra servatur. Mortem Stephani calamitates sequuntur. - 393-416. Varia in Italia bella. A. 1002. Sarraceni Italiam infestant. Turci Hierosolimam et Palestinam capiunt. A. 1012. Colomannus martyr fit. Sarmatae Germaniam invadunt, sed expelluntur.

LIBER II. — 1-10. Petrus rex successor Stephani Teutonibus favens Ungaros male tractat. - 11-21. Petrum Hungari deponunt et Abam regem creant; Petrus in Bavariam fugit. - 22-7. Petrus adiuvante Henrico imperatore a. 1042. Ungariam adoritur, Aba autem Austriam, Bavariam et Carinthiam depraedatur. - 28-36. Henricus pro Petro rege in Hungariam venit, sed ab Aba donatus recedit. - 37-46. Contra Abam in Ungaros saevientem Hungari coniurant. Caedes Chanadiensis. - 47-70. Henricus Hungariam invadit. Pugna ad Menfeu. Aba fugit, sed ab Hungaris interficitur. Henricus de victoria deo gratias agit. - 71-6. Petrus rex restituitur. - 77-106. Boleslaus dux Bohemorum a Mescone Polonorum principe excaecatur, qui Bohemiam quoque adoritur, sed a Pragensibus reiicitur. Matrimonium Odalrici fratris Boleslai. Byzetislaus Odalrici filius e monasterio Iuditham Othonis filiam rapit. Boleslaus Polonos invadit. Henricus imperator Othardo duce primum contra Bohemos bellum movet, insequenti anno Pragam et regem Odalricum capit. - 107. Henricus imperator Petrum in Hungaria visitat, a quo donatus in Germaniam revertitur. - 108-20. Andreas, Bela et Leventa primum in Bohemiam, deinde in Poloniam fugiunt. Discordiam inter Polonos et Pomeranos Bela certamine singulari finit et filium Mesconis regis Poloniae in matrimonium ducit. Andreas et Leventa in Lodomeriam, mox ad Cumanos et Roxanos eunt. - 121-8. Petrus rex principes Ungaros male tractat, qui contra eum coniurant et Andream, Belam et Leventam revocant; principes coniurationis severe puniuntur. - 129-36. Legati a coniuratoribus ad Andream et Leventam mittuntur, qui revertuntur. Vatha. - 137-45. Hungari a Christianitate ad paganismum se vertunt et contra Petrum seditionem movent. - 146-64. Gerardus episcopus Chanadiensis cum comitatu Andrae et Leventae praecit; a Vatha Budae plures trucidantur. Martyrium Gerardi. - 165-70. Petrus in Austriam fugit, sed capitur et excaecatur; paucis post diebus moritur. - 171-86. Hungaria post regna Petri et Abae. Res in Austria gestae; Adalbertus, Leopoldus. Henricus imperator et Agnes uxor eius. Sarraceni. Normanni. Corpus Pallantis Romae invenitur. - 187-98. Andreas a. 1047. rex coronatur, qui Christianam fidem restituit. Leventa moritur. De parentibus Andrae, Belae et Leventae. - 199-216. Bratislaus dux Bohemiae regnum filius quattuor dividens moritur. Spitigneus fratrem minorem Bratislaum regno expellit, uxorem in carcerem iacit. Bratislaus, cuius uxor mortua est, ad regem Andream fugit, qui ei filiam Adeitham desponsat. Bratislaus a Spitigneo regno restituitur, sed mater Iuditha eiicitur. - 217-9. Andreas Bohemos, Polonos et Australes stipendiarios facit. - 220-30. Andreas, qui filium non habuit, Belam fratrem e Polonia in Hungariam revocat et ei tertiam Hungariae partem donat. - 231-42. Henricus imperator Hungariam invadens Pisonium obsidet. Classem navium Zothmundus in Danubio demergit; imperator revertitur. - 243-67. Insequenti anno Henricus iterum Hungariam adoritur, ubi fame exercitus laborat. Classis fraude Hungarorum Ratisponam revertitur. Teutones fame et sagittis pereunt. Henricus pacem rogat et filiam Sophiam filio Andrae Salomoni uxorem promittit. Pax fit inter eos et Andreas Alemanos comiteat

adiuvat. - 268-74. Nuptiae Salomonis cum Sophia. - 275-93. Andreas Salomonem contra pactum cum Bela factum regem coronat. Andreas Belam vel coronam vel gladium eligere iubet; Bela gladium (ducatum) eligit, sed ad Polonos it. - 294-310. Bela auxilium a Mescone impetrat et Andream adoritur, qui, licet ab Alemanis et Bohemis adiutus sit, tamen superatur et paulo post moritur. - 311-9. Schisma in ecclesia Romana. Henricus III. moritur. Matildis. Synodus ad Sutrium habita.

LIBER III. — 1-9. Bela rex coronatur; regnum ordinat et ditat. - 10-23. Contra catholicam fidem iterum seditio movetur, sed a Bela reprimitur. Bela moritur. - 24-27. Salomon Henrico IV. adiuvante regno Hungariae restituitur. Geysa et Ladislaus filii Belae Hungariam relinquunt. - 28-56. Oratio Henrici gravis ad Hungaros. - 57-62. Salomon a. 1063. rex coronatur. - 63-72. Prodigia. Gallia a pontifice Romano deficiens Candolum creat, qui proelio superatur et capitur. Concilium Mantuanum Alexandrum pontificem confirmat. - 73-86. Geysa et Ladislaus in Hungariam redeuntes a Dionysio episcopo cum Salomone conciliantur. - 87-95. De Bratislao duce Bohemiae marito Adeithae sororis Salomonis et de eius gestis et progenie. - 96-9. Zolomirus Dalmatiae rex contra Carinthios ab Hungaris adiuvatur. - 100-3. Salomon et frater David filios non habent; Colomannus et Almus Geysae filii. - 104-8. Salomon et Geysa Bohemos Hungariam vastantes repellunt et Bohemiam spoliunt. - 109-37. Chuni Hungariam vastant, quibus Salomon, Geysa et Ladislaus occurrunt et montem Cyrihylen occupantes depellunt. Ladislaus fortiter se gerit et puellam Hungaram liberat. Chuni devincuntur. - 138-48. Bulgari et Bessi Hungariam rapiunt, sed a Salomone et Geysa superantur. 149-55. Alba Bulgariae ab Hungaris obsidetur. - 156-66. Urbs et acriter oppugnatur et fortiter defenditur. - 167-78. Alba expugnatur et ingens praeda inter Salomonem et Geysam dividitur, ex quo discordia fit. - 179-89. Dissensio inter Bohemos et Austriacos. Conradus Moraviae diarcha iniuriis lacessitus Leopoldo Austriae duci bellum infert et Austriam pervastat. - 190-203. Gregorius VII. Henricum deponit et Rodolphum imperatorem nominat, Rodolphus autem a Henrico victus moritur. Bratislaum Henricus regem Bohemiae et Poloniae augurat; deinde Romam capit et Gregorium incarceration. - 204-29. Discordia inter Salomonem et Geysam in dies augetur, quam Vidus in Salomone fovet. Salomon ducibus insidias tendit. Mox inter eos pax redintegratur. - 230-9. Salomon Geysae insidias struit, sed Geysa de iis certior fit. - 240-50. Geysa fugere conatur, sed a Salomone circumventus funditur et fugatur. - 251-5. Geysa Ladislaum auxilio vocal, cui queritur. - 256-65. Vidus Salomonem in Geysam incitat, Erneus autem pacem suadet. - 266. Iadrenses a Venetis ad Hungaros deficere volunt. - 267-83. Salomon et duces (Geysa et Ladislaus) pugnam committunt. Prodigium a Ladislao visum Geysae et victoriam et coronam promittit. Geysa Mariae virgini templum vovet. Acies utrimque instruitur. Ladislaus s. Martino templum vovet. Erneus Vidum reprehendit. - 284-9. Prodigium Ladislai. Oratio Ladislai ad milites. - 290-306. Acri certamine concurrunt. Agmen Vidi funditur et circumdatum Salomonis caeditur, qui fugam capit. - 307-21. Ladislaum stragis miseret; s. Martino templum struit et mortuos sepeliri iubet. - 322-34. Ladislaus Erneum mortuum deflet et sepelit necnon Vidum mortuum. - 335-47. Salomon victus et regno privatus a matre reprehenditur; Pisonium fugit.

LIBER IV. — 1-11. Geysa rex et Ladislaus dux pronuntiat. Geysa Petro apostolo et Mariae virgini templa aedificat. - 12-33. Bessenei annuente Geysa Salomonem Hungariae eicere conantur, qui Leopoldum Austriae ducem in auxilium vocat et Bessenos vincit. - 34-44. Salomon auxiliares copias ab Henrico petit, pro quibus permulta pollicetur. - 45-53. Henricus ingentibus copiis Hungariam invadit; Salomon Nitriam obsidet. Opus Bator. - 54-66. Geysa Henricum arte et largitionibus optimatum Hungaria amovet. - 67-76. Ladislaus Pisonii Salomonem obsidet, qui pugnam detrectat. - 77-83. Geysa a Desiderio episcopo persuasus Salomoni duas regni partes offert. Geysa Magnus appellatur. - 84-9. Geysa moritur; filiam eius Otho Venetorum dux desponsavit. - 90-100. Ladislaus reiecto Salomone rex eligitur, qui virtutibus or-

natus Pius nominatur. - 101-8 Ladislaus corona repudiata invitus regno praeficitur. - 109-14. Ladislaus Zelomiro mortuo Dalmatiam et Croatiam e sororis testamento Hungariae adiicit. - 115-22. Ladislaus Salomonum regnum tradere vult, sed proceres impediunt. Stipendia Salomoni attribuuntur. 123-39. Salomon Ladislao insidias tendens capitur et Vissegradi incarceratur, Ladislaus corpus s. Stephani elevare vult, lapis autem tantum Salomone liberato amoveri potest. - 140-50. Blondus historicus et res Hungaricae. Edictum de Simonia. Concilium Lateranense. - 151-62. Salomon Cuthescum Chunorum regem auxilio vocat et Transylvaniam invadit, sed Ladislaus eos vincit. - 163-83. Salomon cum Chunis Bulgariam et Thraciam adoritur, Nicephorus imperator autem eos proelio superavit. Salomon fuga lapsus una cum Chunis in oppido quodam a Graecis obsidetur, unde feliciter effugit, sed mox e Chunorum oculis elabitur; eum vitae prioris poenitet et tandem pie et sancte obit. - 184-92. Chuni iterum Transylvaniam invadunt et diripiunt. - 193-204. Ladislaus Chunos aggredi parat. - 205-17. Captivi Hungari se liberant et Chunos aggrediuntur, qui a Ladislao vincuntur et capiuntur. Ladislaus Deo de victoria gratias agit. - 218-35. Chuni Hungariam invadere parant et per legatos a Ladislao captivos repetunt. Ladislaus eis bellum infert et Aco Chunorum rege in singulari certamine interfecto Chuni devincuntur. - 236-9. Ladislaus Ruthenos subigit. - 240-51. Ladislaus Polonos proelio fundit et usque ad Cracoviam eos persequitur, quam obsidet et deditioem capit. Bohemos quoque Ladislaus in deditioem accipit. - 252-4. Ladislaus Varadinum fundat; ibidem basilicam Mariae virgini aedificat et episcopatum statuit. Germani Ladislaum imperatorem eligere volunt. - 255-63. Ladislaus expeditionem Hierosolymitanam meditatur, ad quam Petrus eremita Christianos adhortatur. Nomina principum Christianorum expeditionis participum. - 264-8. Ladislaus expeditioni se parat. - 269-76. Ladislaus a Conrado Bohemorum duce regno expulso rogatus in Bohemiam contendit. De Colomanno et Almo filiis Geysae fratris Ladislai. - 277-88. Ladislaus in finibus Bohemiae morbo afflictus a. 1095. moritur et Varadini sepelitur. Pyrisca filia Ladislai. Almus a Ladislao rex designatus Colomanno cedit. Ladislao mortuo Hungaria triennium luget. - 289-301. Miracula. Ladislaus sanctus fit.

LIBER V. — 1-7. Colomannus rex creatur; monstruosa eius natura. - 8-15. Ladislao mortuo Germani Colomannum praefectum expeditionis Hierosolymitanae rogant. Colomannus Christiano exercitui transitum negat. - 16-23. Principes Christiani expeditionis. Colomannus iter per Hungariam praeccludit. - 24-31. Exercitus crucigerorum viam vi aperit et Zemlinum capit. Colomannus coactus transitum concedit. - 32-8. Exercitus Christianorum Niceam obsidet et expugnat. - 39-59. Christianus exercitus spoliis ditescens capit Iconium, Heracliam, Tarsum, Armeniam, Caesaream; Antiochiam obsidet et tandem occupat. Rugia et Armenia capiuntur. - 60-9. Tripolis et Hierusalem capiuntur. Gothfredus rex Hierosolymitanus declaratur. - 70-9. Discordia inter Colomannum et Almus interventu procerum dirimitur. - 80-97. Colomannus Rutheniam invadit et devastat. Rutheni a Chunis adiuti Colomannum vincunt, qui fugit et exercitus eius deletur Ladislaus et Stephanus filii Colomanni. - 98-123. Normanni Dalmatiam, Veneti a Colomanno adiuti Apuliam populantur. Dalmatae a Venetis ad Colomannum deficiunt. - 124-8. Iadrenses quoque ad Hungaros deficiunt. - 129-36. Veneti Iadram recipiunt, Sibinicum et Croatiam capiunt. - 137-69. Colomannus contra Venetos exercitum parat et Iadram obsidet; tandem Veneti vincuntur. - 170-9. Iadra et tota Dalmatia a Colomanno recuperantur. - 180-3. Veneti legati pacem vel indutias a Colomanno petunt. - 184-207. Oratio legati Veneti. - 208-11. Colomannus cum Venetis quinquennalem pacem facit. - 212-22. Veneti expeditionem in Syriam parant; Ioppen urbem obsidione Sarracenorum liberant et Tyrum deditioem capiunt. - 223-8. Colomannus Iadrae regiam aedificat, mox urbem incendere vult. - 229-35. Discordiae inter Colomannum et Almus; Almus veniam a Colomanno impetrat. - 236-54. Almus venationi vacat; Colomannum ad dedicandam aedem s. Margaretae invitat. Colomannus insidias timens et suspicionibus ductus Almus capit, sed intercessione procerum liberat. Almus insidiarum iterum accusatus

Patavium fugit. Nicolaus filius et uxor Colomanni moriuntur. De Boricho filio Colomanni ex adulterio nato. - 255-69. Henricus V. ab Almo auxilio vocatus in Hungariam venit et discordes placat. - 270-83. Colomannus suspicionibus procerum persuasus Almu et filium eius Belam excaecat. Colomannus in gravem morbum incidit. - 284-301. Colomannus Stephanum filium successorem statuit; Benedicto iubet, ut Almu capiat, sed is morte punitur. Colomannus moritur et Albae sepelitur. - 302-8. Bratislaus primus rex Bohemiae attributis Bohemiae Moravia, Polonia, Slesia et Lusatia declaratur.

LIBER VI. — 1-10. Stephanus II. rex coronatur; annos octo alieno ductu regnat. Stephanus nutantes Dalmatas in fide confirmat. - 11-31. Stephanus Poloniam vastat et contra Bohemos bellum movet. Bohemia iterum ducatus fit. Soltha inter Hungaros et Bohemos discordiam fovet, cuius dolo Bohemi Hungaros fugant castraque eorum diripiunt; mox Hungari Bohemos caedunt. - 32-5. Stephanus filiae Roberti Guiscardi desponsatur. - 36-53. Stephanus a Bezen, quem e regno eiecerunt, auxilio vocatus contra Ruthenos expeditionem movet. Bezen in cuiusdam oppidi obsidione cadit, quem Stephanus ulturus obsidionem invitis optimatibus urget; tandem soluta obsidione in Hungariam redit. - 54-82. Stephanus Poloniam, Bulgariam, Thraciam et Graeciam invadit. Imperator Graecorum Stephano bellum infert. In navali et terrestri proelio ad Carasum amnem Hungari delentur. Pax inter eos fit. - 83-9. Crudelitas Stephani, qui Almu in Macedoniam relegat. Almu mortuus in Hungariam defertur. - 90-101. Bela caecus clam in Hungariam reducit, quem Stephanus gaudens filium adoptat, Helenae Uri filiae desponsat et regali stipendio in Tolna vivere iubet. - 102-19. Ad famam mortis Stephani falsam duo reges declarantur. Stephanus dysenteria laborat. Chuni trucidantur, quibus satisfactionem Stephanus promittit. Stephanus a. 1131. moritur. - 120-41. Henricus IV. Paschalem papam capit. Pisani Sarracenos de Balearibus insulis pellunt. Libertas Matildis in ecclesiam Romanam. Gelasius in Gallia exsul moritur. Calixtus Henrico IV. conciliatur. Christiani Tyrum occupant. Frangepanes Gelasium papam persequuntur. - 142-4. Stephanus Belam caecum successorem eligit. - 145-9. Bela II. rex creatur. - 150-8. Geysa, Ladislaus, Stephanus et Almu filii Belae, qui regnum iustus administrat. - 159-68. Oratio Helenae reginae in conventu ad Arad oppidum habito contra auctores caecitatis Belae, qui severe puniuntur. - 169-96. Hungari hac ultione offensi Borichum adulterinum Colomanni filium ad regnum invadendum incitant, qui auxiliis Ruthenicis et Polonicis Hungariae appropinquat. In conventu a Bela indicto quidam pro Boricho contendunt, qui partim interficiuntur, partim ad Borichum fugiunt. Samson vituperat Belam, sed morte poenas luit. - 197-211. Oratio Budi ad Ruthenos et Polonos Borichum insectantes. - 212-31. Poloni et Rutheni domum eunt, Borichus autem proelium redintegrat, sed victus fugit. Auctores proditionis puniuntur. Bela Deo gratias agit. Auctoritas regis victoria augetur. - 232-8. Bela vino ebrietatique indulget; a. 1141. moritur. - 239-55. Discordia inter Innocentium papam et Rogerium. Innocentius Anacletum antipapam Roma eiicit et Lotharium imperatorem coronat; Rogerium in Siciliam pellit. Lotharius moritur. Turci capta Edessa multos Christianos necant. - 256-9. Geysa II. rex coronatur. - 260-73. Henricus dux Austriae a Saxonibus, Bavaris et Conrado III. adiutus Hungariam invadit. Pisonium occupat et Hungariam vastat. - 274-83. Geysa arma parat et proceres adhortatur. - 284-312. Geysa fortiter hosti occurrit. Proelio acri pugnatur et Hungari inclinantur. Tandem Hungari vincunt et Henricus caediur. Fames in Hungaria et Gallia. - 313-26. Bernardus principes Christianos ad Syriam recuperandam hortatur. Rogerius amissa recuperat. Conradus imperator exercitu crucigerorum per Hungariam insolenter transit, a Geysa tamen com meatibus ditatur. Conradus consilio Emanuelis imperatoris Iconium obsidet, sed paulo post re infecta domum redit. Balduinus IV. Ascalonam capit. - 327-39. Eugenius III. papa Roma exactus in Gallias it et Lodovicum regem ad expeditionem Syriacam incitat. Ludovicum cum exercitu per Hungariam euntem Geysa honorifice excipit. Ludovicus suasu Emanuelis exercitum magno damno per Syriae deserta ducit. Rogerius Emanuelelem vincit, Lodovicum a Sarracenis liberat,

suburbia Constantinopolis incendit, sed infeliciter cum Venetis confligit. - 340-8. Conradus, Lodovicus et Balduinus Damascum obsident, sed fame et siti absumpti in Europam a. 1152. redeunt. - 349-68. Borichus in castris Ludovici Geysae insidias parat. Geysa a Lodovico Borichum tradendum rogat, quem ille non tradit. Borichus aufugit, sed interficitur. Amor Geysae in fratres. - 369-76. Bellum Ruthenicum pro Minoslao gestum; tandem Lodomerius vincitur. - 377-89. Rogerius moritur; Guilielmus filius eius Adriano papae bellum infert et aliquot oppida capit. Fredericus Romae imperator coronatur. Romani in Adrianum et Fredericum rebellantes supprimuntur. Adrianus plura a Guilielmo occupata recuperat. Guilielmus Emanuelelem metuens pontifici cetera occupata promittit, sed cardinalibus dissentientibus Graecos caedit, Apulos et Salentinos in deditionem accipit. - 390-8. Alexander III. et Octavianus Victor appellatus de papatu contendunt. - 399-411. Almericus Hierosolymae Balduini III. successor Alexandriam occupat. Fredericus Mediolanum diruit. Concilium Divinonense Alexander papa reprobat, qui a. 1165. e Gallia Romam redit. De regibus Hispanis. - 412-18. Geysa II. a. 1161. obit. - 419-27. Stephanus III. rex eligitur. - 428-61. Emanuel in Dalmatas ac Venetos expeditionem cogitat. Veneti plures Istriae civitates capiunt. Praerogativa ecclesiae Gradensis. Iadrenses rebellantes Veneti frustra retinere conantur. Guiscardus capite multatur. Stephanus fines Venetorum vexat, qui ladra potiuntur. Dalmatae imperio Emanuelis se subdunt, qui naves Venetorum intercipit, Veneti autem alias celeriter conficiunt et Tragurium, Ragusium et Chium capiunt. Venetiae peste inficiuntur. Stephanus Iadrenses, Tragurios et Ragusios a Venetorum fide revocare nititur. - 462-77. Fredericus in Italiam redit. Emanuel imperium Romanum affectat. Fredericus cum Alexandro papa belligerat, tandem conciliatus peste in Germaniam redit. - 478-84. Stephanum regem frater Ladislaus regno eiicit et se regem proclamat, sed post sex menses moritur. - 485-91. Successor Ladislai II. Stephanus IV. victus obit, Stephanus III. a. 1173. moritur. - 492-7. Unionem orientalis ecclesiae cum occidentali ab Emanuele oblatam Alexander papa reiicit.

LIBER VII. — 1-8. Bela III. rex creatur; gravis et iustus. - 9-24. Bela regno suo praesertim Dalmatia nihil demi permittit. Pax inter Alexandrum papam et Fredericum imperatorem. Emanuel imperator moritur, cui filius Alexius successit. Alexandro mortuo Lucius III. pontifex creatur. Saladinus vincit Christianos et Hierosolymam capit. - 25-36. Bela Iadrenses ad se deficientes defendit, Veneti autem pro recuperata ladra expeditionem parant, sed eam frustra obsident. - 37-54. Clemens papa Venetos cum Bela placat et eos ad sacram expeditionem hortatur, cuius duces Fredericus imperator, Richardus Britanniae et Philippus Galliae reges. Ptolemaida Christiani recipiunt. Frederico Henricus filius succedit. Saladinus obit. Christiani Syriam amittunt. - 55-62. Pisani Polam a Venetis abripiunt, receptam autem Veneti moenibus nudant. Bela moritur. - 63-7. Emericus rex Hungariae creatur. - 68-92. Veneti Iadram et Istriam recuperare student et pacata Istria Iadram obsident. Iadra a terra frustra a Venetis oppugnatur; tandem a mari cedit et capitur. - 93-100. Alexius Graecus patrem Isachum ope Gallorum et Venetorum liberare vult. - 101-3. Veneti Iadrenses domant. - 104-8. Veneti Byzantino expugnato Isachum liberant, quo mortuo Balduinus imperator succedit. - 109-18. Mater Emerici terram sanctam visitans in itinere moritur. Mors Henrici Hierosolymae regis. - 119-28. Andreas fratri Emerico insidias tendit et bellum movet. - 129-41. Oratio Emerici ad Andreae milites. - 142-6. Milites arma deponunt et veniam ab Emerico accipiunt. Andreae quoque venia datur. - 147-9. Blondi historici error. - 150-1. Mors Emerici. - 152-8. Ragusium Venetis cedit, Henricus imperator Graecorum interventu Valachorum Adrianopolim obsidione solvit. De Valachorum origine. - 159-63. Ladislaus III. rex inauguratur et post sex menses moritur. - 164-71. Andreas II. rex eligitur; uxor eius Gertrudis. - 172-82. Hungaria, quia in sacra expeditione particeps non fuit, sugillatur. Andreas votum patris implere decernit. Honorius papa Petrum Antiodorensem imperatorem designat. Ioannes Columntensis sacram expeditionem movet. - 183-91. Andreas imperator sacrae expeditionis eligitur. Disceptatur,

num Venetis ius in Dalmatiam cesserit. Andreas Constantinopolim appellit. - 192-216. Andreas administrationem regni Bancbano tradit, cuius uxorem frater Gertrudis adiuvante Gertrudis polluit. Uxor Bancbani mortem sibi consciscit, maritus autem Gertrudem occidit, ad Andream Constantinopolim proficiscitur et facinus proponit. Andreas Bancbanum impunitum remittit. - 217-31. Christiani duce Andrea Damiatam a. 1218. obsident, cuius suburbium capitur. Inundatio Nili Christianis ingens damnum infert. - 232-45. Andreas Damiatam artius occludit et hostem castris expellit. Caradinus intactis Christi sepulcro et templo Hierosolymam diruit. Damiatam strenue et oppugnatur et defenditur. - 246-71. Galli Andrea invito impetum faciunt, sed funduntur et capiuntur. Urbem incolis peste deletis Christiani capiunt. Templum Maometi Mariae virginis dicatur. Soldanus capta Damiatam Cayrum tendit. - 272-6. Mors Petri imperatoris Constantinopolitani. Honorius papa ordinem Dominici confirmat. Fredericus imperator ab Honorio anathemate multatur. - 277-95. In Syria res Christiana arrogantia Iohannis regis cadit. Christiani in Cayrum et Babylonem a Sarracenis defensas bellum movent. Inundatio Nili iterum ingens damnum Christianis affert, qui fame coacti pacem cum soldano faciunt et Damiatam reddunt. Andreas et principes Christiani in Europam redeunt. - 296-9. Ioannes rex Hierosolymitanus Romam it. Reges Neapolitani nomine regis Hierosolymitani utuntur. - 300-7. Reliquiae sacrae de terra sancta ab Andrea in Hungariam portantur. Bancbanus morte multatur. - 308-54. Elisabetha Andrea filia Lodovico lanthgravio desponsata piam et misericordem vitam agit; bonis eicitur; post viri mortem maritari non vult; in ordinem divi Francisci ingreditur; bona omnia contemnit; praeceptor eius Conradus vir religiosissimus; arcana divina videt; adolescentem precibus deo addicit; aegrotis officia sordida praestat; Radekundin ad religiosam vitam ducit; moriens Christum videt; miracula. Andreas II. moritur.

LIBER VIII. — 1-6. Bela IV. rex creatur. - 7-17. De origine et incrementis Tartarorum, qui Indiam vastant et occupant, Chorasminos delent et Hierosolymam recipiunt. - 18-53. De moribus, specie, victu, religione Tartarorum. Rex eorum Chaan nominatur. - 54-91. De avaritia, luxuria, feritate, dolo et perfidia, vestitu, more belligerandi, usu mancipiorum et servorum apud Tartaros. - 92-103. De moribus mulierum Tartarorum et consuetudine sepulturae. - 104-13. Cuten Cumanorum rex submissionem et conversionem in fidem Christianam promittens a Bela contra Tartaros auxilium rogat. - 114-25. Cuten cum Cumanis a Bela honorifice in Hungariam deducitur, quibus Hungari damna ferentes invident. Bela in Hungaros severe, in Cumanos lenis se gerit. - 126-9. Bela in benemeritos ingratus et Cumanos aditu et honore Hungaris praeferre accusatur. - 130-44. Bela ab amicis in omnibus obiectis excusatur. - 145-53. Rumor Tartarorum advenientium in Hungaria fictus existimatur, Bela autem in conventu Budensi se bello accingit. - 154-72. Tartari per portam Ruthenorum Hungariam invadunt. Nomina ducum Tartarorum et ubi quisque irruerit. - 173-86. Bathus Belam contendens omnia vastat. Bela milites suos proelio retinet; equitatus Ugolini metropolitanae Colocensis deletur a Tartaris. Bathus fugiente Bela Vaciam capit. Fredericus Austriae dux Tartaros fugat. - 187-98. Causa Tartaricae irruptionis in Cutenem et Cumanos ab Hungaris conicitur, qui Cutenem trucidant et in Cumanos irruunt. Cumanis Hungariam vastant. - 199-213. Tartari Hungaros trucidant et regnum vastantes in Bulgariam abeunt. Benedictus episcopus Varadiensis a Tartaris opprimitur. - 214-45. Pugna ad Saium annem commissa. Bela suos frustra hortatur. Tartari castra Hungarorum aggrediuntur. Hungari se in castris continent; Colomannus Belae frater hostem petit, sed a suis desertus fugit. Bela fugiens se in silva recondit. Bartholomaeus episcopus Quinqueecclesiensis salvatur. Exercitus reliquus a Tartaris cum multis principibus et episcopis deletur. Strages Hungarorum. - 246-53. Tartari invento sigillo falsis litteris Hungaros decipiunt et caedunt. - 254-62. Bela in Austriam fugiens a duce primum amice excipitur, mox ingens debitum solvere cogitur; subsidium a papa petit. - 263-6. Dux Austriae Hungariam vastat. - 267-92. Cadan dux Tartarorum Varadinum capit; illis cedentibus urbem Varadini reficiunt, sed revertentes iterum capiunt. Incolae

trucidantur. De Rogerio, qui excidio affuit. - 293-306. Tartari Hungaros efficiunt et eis praefectos constituunt; paulo post omnes caeduntur. - 307-22. Tartari Villam Novam et monasterium Egres capiunt et Hungariam usque ad fines Austriae et Bohemiae vastant. - 323-32. Tartari Strigonium tendunt et Danubium glacie concretum transeunt, mox pars eorum Belam frustra insecuta Rasciam, Bosniam et Bulgariam vastat. - 333-50. Strigonium Tartari obsident et captum delent; deinde Albam Regalem et coenobium divi Martini frustra tendunt. Tartari Hungariam relinquunt et ad sua redeunt. - 351-66. Bela a Crucigeris Rhodianis et Frangepanibus adiutus e Dalmatia in Hungariam redit et primum duci Austriae bellum infert eumque vincit et caedit. Bela regnum ordinat. - 367-82. Austria ad Othocarum Bohemiae regem devenit, qui Carinthiam et Carniolam quoque mercatur et Belae bellum indicit. Bela in Moraviam contra Othocarum tendit, sed vincitur et pacem petit. - 383-6. Othocarus invitatus imperator esse recusat et Rodolphus Habsburgensis comes eligitur. - 387-95. Bela Strigonium instaurat ibique Mariae virgini templum aedificat. Bela IV. moritur. - 396-403. Stephanus V. coronatur, qui Othocarum vincit et Bulgariae regem sibi stipendiarium facit. Stephanus moritur. - 404-26. Ladislaus IV. rex eligitur, quem Rodolphus imperator contra Othocarum auxilio vocat. Inter Rodolphum et Othocarum pax fit et Austria Rodolpho cedit. Othocarus iurare recusans adigitur et a Rodolpho omnibus ludibrio exponitur, qua de causa Othocarus bellum Austriae infert. Othocarus a Rodolpho, quem Ladislaus adiuvat, vincitur et cadit. - 427-36. Ladislaus Cumanos proelio fundit, qui una cum Tartaris postea iterum Hungariam vastant. - 437-8. Affinitas Ladislai. - 439-62. Vita libidinosa Ladislai, quare a Philippo Firmano apostolicae sedis legato castigatur, demum pertinax anathemate percutitur. Ladislaus a Cumanis interficitur. In Hungaria ingens penuria.

LIBER IX. — 1-18. Andreas III. rex creatur. De origine et familia eius. Avus eius Andreas II. et pater Stephanus. Andreas Venetis vitam agens ad Hungariae regnum invitatur. - 19-24. Andreas Austriam populatur; interim in Hungaria contra eum coniurant. Carolus Siciliae regis filius e papae decreto rex Hungariae declaratur. - 25-47. Origo, familia et genealogia Caroli I. Siciliae regis. - 48-54. Carolo I. successit Carolus II. eius filius, cuius successor Robertus eius filius. - 55-80. Genealogia Roberti. - 81-95. Genealogia Caroli I. Hungariae regis. - 96-115. Genealogia familiae Tarentinae. - 116-9. Carolus III. (*sic*) rex Hungariae coronatur, mox interficitur. - 120-36. Comites, quos Caroli I., II., III. et Ladislaus creaverunt. - 137-42. Carolus Martellus (*sic*) regnum Hungariae competit. - 143-50. Iadra a Venetis ad Hungaros deficit, sed recipitur. - 151-8. Mortuo Andrea optimates de eligendo rege disceptant. Papa Carolum inducit, alii Vincenslaum Bohemiae regem esse volunt. - 159-77. Vincenslaus rex coronatur, sed a patre in Bohemiam revocatur et Ladislaus Vernerii filium secum ducit. Bonifacius papa ab Hungaris electionem Caroli frustra urget, qua de causa Hungari sacris interdiciuntur, contra Hungari pseudopresbyteri papam sacris, aqua et igni interdiciunt. - 178-82. Hungari liberam regis electionem volunt et nominationem papae non accipientes Othonem Bavarum in Hungariam introducunt. - 183-93. Otho rex coronatur, sed Transylvaniam lustrans a Ladislao vaivoda capitur et liberatus renuntiato regni iure in Bavariam redit. Corona sacra in via perit, sed invenitur. - 194-9. Ladislaus Vernerii filius liberatus inimicos Caroli et suos poenis afficit, sed pro Carolo efficere nihil potest. - 200-7. Cardinalis Gentilis legatus apostolicus inimicos Caroli anathemate ferit, necnon Ladislaum vaivodam, qui coronam sacram apud se tenet. - 208-9. Carolus rex Hungariae creatur. Rhodiani milites aurum corrogant. - 210-28. Matthaeus Trincinius quoddam castellum regium occupans Carolum irritat, qui eum invadit, sed vincitur; tandem copiis aliorum auctus victor evadit. - 229-35. De pluribus Caroli uxoribus. Basilica Albensis instauratur. Ladislaus filius Caroli nascitur. - 236-49. Carolus patruo suo s. Lodovico episcopo Tolosano aedem et collegium fundat et basilicam s. Stephani conflagram instaurat. Lodovicus et Andreas nascuntur. - 250-73. Felicianus Zaach Carolum, uxorem et liberos ense petit; regina vulneratur. Felicianus occiditur et familia eius severe punitur. - 274-8. Carolus expeditioni Hiero-

solymitanae se parat, sed multa mala eum retinent. - 279-312. Carolus Valachis iniustum bellum infert et Zeurim oppidum capit. Bazaradum pacem a Carolo frustra petit, qui Bazaradum movet, sed inter montium angustias exercitus a Valachis circumventus totus deletur. Carolus vestibus cum Deseo mutatis evadit et Deo de salute gratias agit. - 313-24. Spes Carolo regni Neapolitani. Lodovicus Bavariae et Fredericus Austriae duces imperatores electi proelio certant; Fredericus victor Ioannem papam pontificatu abdicare cogit et Petrum Corbaniensem surrogat, quem Ioannes capit et incarcerat. - 325-44. Robertus rex Neapolitanus a Carolo successorem petit; Carolus cum filio Andrea in Apuliam traicit. Quamquam Robertus regno se non abdicat, Carolus tamen filium in Italia relinquit et ipse in Hungariam revertitur. - 345-67. Ioannes Bohemiae et Casimirus Poloniae reges pacis causa Carolum Vissegradi conveniunt. Pax inter reges Hungariae, Bohemiae et Poloniae fit et foedus conficitur; reges duo a Carolo magnifice donantur. - 368-73. Locha dux Ruthenorum pacem et amicitiam a Carolo petit. Carolus a Casimiro Polonorum rege in filium adoptatus regni successor declaratur - 374-7. Locustae Hungariam et alia regna vastant. Prodigia. - 378-93. Robertus et Carolus reges moriuntur. Pompa funebris Caroli regis. - 394-8. Franciscus Petrarcha. Ciccus Asculanus. Hispani Sarracenos, Britanni Gallos caedunt.

LIBER X. — 1-14. Lodovicus rex eligitur; de eius moribus et maiestate; coronatur. - 15-31. Ludovicus bene de se sperare iubet et ad arma Hungaros excitat. Saxones in Transylvania domat, Alexandrum Valachiae ducem ad obsequium reducit. - 32-42. Elisabetha Lodovici mater Romam contendit; in Apulia ab Andrea et Ioanna nuru gaudio excipitur et Neapoli coronationi Andreae interest. - 43-53. Elisabetha Neapoli Romam proficiscens honorificentissime suscipitur; Romae a senatoribus et matronis salutatur et a papa benevole excipitur. Tempa et sudarium Iesu visitat. - 54-63. Neapolim remeans Ioannam insolentem et libidinosam increpat; mox in Hungariam revertitur. - 64-71. Andreas difficulter confirmationem Siciliae a papa obtinet. - 72-7. Casimirus Poloniae rex a Lodovico adiutus Litvaniam in fidem Christianam convertere conatur. - 78-82. Casimirus a Ioanne Bohemiae rege oppugnatus auxiliis Lodovici Cracoviam et Poloniam liberat. - 83-93. Lodovicus in Tartaros Transylvaniam infestans expeditionem parat, cui Andream Ladislai filium praeposit; Tartari caeduntur et Atlamus dux eorum captus interficitur. - 94-106. Lodovicus Croatos et Dalmatas rebellantes coerces; bellum inferens eos supplices invenit. Gregorium in Croatia seditionem moventem domat. - 107-23. Lodovicus Iadrenses a Venetis ad Hungaros deficientes defendit. Veneti Iadram oppugnant. - 124-38. Lodovicus Iadrensibus succurrit, sed reiicitur; Iadrenses iterum liberare volens iterum reiicitur et re infecta discedit. - 139-44. Iadrenses Venetis se dedunt. - 145-61. Bellum Neapolitanum oritur, quia Neapoli Andreas rex necatur. Novellus comes auctores punit. Fama necis Andreae in Hungariam pervenit. Ioanna se ante Lodovicum purgat, sed illa cum principe Tarentino rea proclamatur. - 162-8. Lodovicus ab Italis ad ultionem vocatur; animos Apulorum temptat et partem Italiae capit. - 169-78. Lodovicus honorifice a Venetis, Italis et Gallis excipitur et ab optimatibus honorificentissime salutatur. - 179-87. Lodovicus Sulmonenses obsidet. Nicolaus libertatis Romanae vindex. - 188-96. Lodovicus Sulmonem capit. Ioanna cum marito Neapoli Avenionem fugit. Lodovicus Neapolim capit et ducem Dyrachinum morte multat; rex Siciliae et Hierosolymae salutatur. Auctores necis poenas luunt. - 197-9. Pestis per orbem terrarum. Lodovicus in Hungariam revertitur. - 200-2. Bellum inter Venetos et Genuenses. Nicolaus tribunus plebis incarceratur. - 203-15. Neapolitani absente Lodovico rebellant et Hungaros relictos invadunt, sed vincuntur et auctores seditionis puniuntur. Vernerius dux capitur. - 216-26. Stephanus Siciliae praefectus copias Ioannae et Lodovici Tarentini fundit et urbes complures capit. A Lodovico Stephanus donatur. - 227-38. Ioanna et Lodovicus Tarentinus exercitu Apuliam invadunt. Lodovicus in Italiam revertitur et aliquot oppida capit. Teutones in regem et Hungaros Barii coniurantes paene omnes trucidantur. - 239-60. Lodovicus in Canusii oppugnatione in mortis periculo versatur; primum Luceriam et alia oppida, deinde

Salernum in fidem redigit. Nicolaus Contus a Lodovico Aversae expugnandae praeficitur; Stephanus abdicatur. Lodovicus mortifero vulnere in pede afficitur. Aversa capitur et milites munerantur. Lodovicus iura dicit; Andream vaivodam magistrum equitum et praefectum Apuliae declarat, Nicolaum Drugechum Salerno et fratrem eius Aversae praeficit. - 261-75. Lodovicus anno iubilaei Romam visitans honorifice excipitur, ubi in pontificis palatio hospitatur; tutelam reipublicae Romanae oblatam non accipit; templa et reliquias urbis visitat et in Hungariam redit. - 276-99. Ioanna in regnum Neapolitanum restitui curat et ideo Avenionem papae Clementi offerens eius opem vocat, qui ad pacem ineundam Lodovicum litteris et legatione hortatur; pax componitur et Ioanna regnum Neapolitanum recipit et regina vocatur. Lodovicus urbes et captivos proceres restituit, quare a pontifice laudatur. - 300-3. Prodigia. Carolus IV. rex Bohemiae eligitur. - 304-17. Lodovicus Dalmatiam a Venetis ereptam frustra repetit, qua de causa delectum militum habet. Veneti Dalmatiam suum ius esse dicunt et equum album vectigalis loco petitum Lodovico mittere negant. - 318-30. Lodovicus Dalmatiam invadit et aliquot oppida obsedit, inter quae Taurisium fortiter se defendit. Lodovicus Thoma magistro equitum relicto in Hungariam revertitur. Germani ab Italis auxilio vocantur. - 331-9. Nicolaus Conthus a Lodovico in Italiam missus frustra Castellum Francum oppugnat. Proelium ad Brentam fluvium. - 340-6. Veneti pacem a Lodovico frustra petunt. Pleraque oppida Dalmatiae ad Lodovicum deficiunt. - 347-51. Dalmatia Lodovico subditur; Veneti ab eo pacem impetrant; condiciones eius. - 352-8. Veneti perfidos graviter multant, quare Taurisini ad Leopoldum Austriae ducem deficiunt. - 359-64. Lodovicus in Litvanos et Roxanos bellum gerit. - 365-75. Lodovicus pontificum gratia ter in Italia expeditiones per legatos suscipit et eis Flaminiam, Picenum et Umbriam, mox Bononiam restituit. - 376-83. Veneti contra Lodovicum deficientes ad Hungaros concitant et Tergestinos ad Austriam trans-euntes oppugnant. - 384-400. Bellum inter Venetos et Franciscum Carrarium. Veneti Patavinos vastant, qui subsidio Lodovici accepto eos caedunt. Carrarius Venetos, Veneti Hungaros vincunt. Pax inter Venetos et Carrarium. - 401-15. Exercitum Leopoldi Austriae ducis Veneti fundunt et Feltrum obsident. Indutiae intervenit Lodovici. Foedus Lodovici cum Genua, Aquileia et Carrariis fit. Genuenses Venetis bellum indicunt. Veneti Phamaugustam et Catarum occupant, Sibinicum invadunt et Arbenses subdunt. - 416-27. Genuenses Venetos ad Polam superant et aliquot oppida capiunt. Veneti a Lodovico ad summum discrimen adducuntur. De pace inter Lodovicum et Venetos frustra disceptatur. Lodovicus obsidionem Taurisii solvit. - 428-42. Veneti Genuenses vincunt. Tergestini a Venetis deficiunt. Tanrisium Leopoldo donatur. Pax inter Venetos, Genuenses, Lodovicum et socios componitur. - 443-6. Bellum contra Bossenenses rebellantes. - 447-50. Bulgaria subditur. - 451-5. Lodovicus contra Carolum imperatorem bellum movet, sed indutiae fiunt, quibus exactis Lodovicus Moraviam vastat. - 456-7. Casimiro Poloniae rege mortuo Lodovicus heres regni fit et coronatur. - 458-68. Lodovicus Valachos invadit; Nicolaus vaivoda caeditur, Nicolaus Gara autem eos vincit. - 469-71. Modus regendi Lodovici. - 472-5. De virtutibus Lodovici. - 476-7. Lodovicus iudaeos pertinaces Hungaria expellit. - 478-82. Lodovicus eremitis s. Pauli et Carthusiensibus coenobia et templa erigit. - 483-9. Lodovicus Cumanos et Paterinos ad fidem Christianam convertit. - 490-4. Uxores et liberi Lodovici. - 495-522. Lodovicus domi forisque laudabilis, in otio rebus divinis addictus; Sigismundum filium adoptat; viribus eius deficientibus proceres regni in manus Mariae filiae Lodovici iurant. Amor, pietas et timor subditorum in Lodovicum. Lodovicus cometa apparente a. 1382. moritur et Albae sepelitur.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM DECADES

DECAS II.

PREFATIO.

Ad divum Wladislaum serenissimum Ungarie Bohemieque regem.

Res Ungaricas idcirco altius, serenissime Wladislae, superiore 1 volumine repetendas esse censuimus, ut gentis tue nobilitas, que scriptorum inopia in obscuro diu delituerat, quantum fieri potuit, revocaretur in lucem. Quod ut facilius efficeremus, utranque Scythiam et Ungariam a principio descripsimus. Scytharum originem, 2 mores et gesta, qua potuimus, brevitate retulimus et cum Unnis Gothorum, Vandalorum, item Alanorum et Gepidarum bella complexi sumus neque Longobardos, Bulgaros ac Romani imperii gesta pretermisimus. Adiecimus alia quoque permulta cognita non 3 indigna, ut historiam non iniucunda rerum varietate condiremus. Ad divi tandem Stephani regis tempora venimus, ut in hoc opere, 4 quod adspirante tuo numine felicibus auspiciis adorti sumus, sua ceterorumque Ungarie regum gesta ex diligenti investigatione compta ad Sigismundum usque Romanorum imperatorem ex ordine prosequeremur. Proinde nostro fave ingenio, princeps invictissime, 5 ac sanctissimi regis, cuius nomen tantopere veneraris, imprimis hinc vitam et gesta religiosius recognosce, ut hac pientissima commemoratione res Ungarie virtute ac sapientia tua latius amplificate divino eius patrocinio communiter persistent.

LIBER I.

Divo Stephano Toxis vetustissimo Unnorum genere natus avus 1 fuit, pater vero Geysa et Michael patruus, patruales autem Calvus Ladislaus et Vazul. Geysam ferunt Scythicam immanitatem abomi- 2 natum fuisse non parum, postquam e profana illa Unnorum impietate respiscere ceperat, et se longe alienigenis quam suis mitiorem prebuisse confirmant, quippe qui, ne vi aut ferro coinquinatos et infectos Ungarorum animos curare cogeretur, cum finitimis undique populis pacem suis incognitam inivit. Quin et tutum 3 Christianis omnibus aditum et inviolabilia hospitalitatis iura sollemni edicto exhibuit, sacerdotibus et sacre legis preceptoribus, ut in Pannonias alliceret, stipendia magna proposuit. Passim sanctos 4

viros disquisivit, qui veri dei nomen rudi et insolentissime genti publice profiterentur, ipse cum plerisque aulicis orthodoxe fidei sacris initiatus est. Et, ut in superioribus scriptum est, nulla vehementiori sollicitudine premebatur, quam quod plebem dure cervicis et feros procerum animos ad religionem veram non sine magno labore ac ingenti sevitia revocare posse videbatur. Succurrebat et illud, quante molis erat ingenitas deorum opiniones exuere, abolere patrios ritus, nove religionis templa statuere et antiquatis maiorum cerimoniis sacram ab hostibus, quos gravissimo sepe bello contriverant, legem accipere.

Dum Geyse animus pre divino timore ac populi salute fluctuat, ecce divina clementia, que cultoribus suis semper occurrit, per celestem ex alto interpretem in somnis eum consolatur, omnem sollicitudinem deponere ac bono animo esse iubet neque eum tali cura vexari oportere, ut sacella dicet, sacrosanctos introducat antistites Scythicamque gentem a profana religione vendicet, quando sanguine pollutas manus habet; neque ullo modo fas esse infestas humano cruore manus pias edes erigere, orthodoxe fidei fundamenta iacere, que pias tantum et nullo facinore contemeratas exposcunt. Sanctissimum ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hec, que tanti momenti sunt, a divina benignitate predestinatus est; hunc etiam divino consilio sacrosanctum Ungarie regem futurum propagaturum Christi nomen inter suos et hunc unum plebi sue salutem veram pariturum. Demum admonet se virum sanctissimum propediem esse missurum, cuius monitis eum obtemperare iubet, cum divina hunc mandata delaturum et gratissimam deo victimam dicaturum esse significet. Cum celestis in auras se recepisset interpretes, Geysa repente somno experrectus immortales deo gratias agit, se, regnum filiumque futurum Iesu Christo optimo maximo commendat, gravissima sollicitudine levatur, divinum somnium et mandata cum Christi fidelibus plerisque familiaribus communicat. Paucis post diebus sibi nunciatur Adalbertum virum gravissimum Bohemie antistitem ac mira vite sanctitate prestantem propediem affuturum, ut Ungaros a falsa religione redimat deque mandata publicamque salutem Scythis enunciet. Hunc extemplo eum virum Geysa fore intellexit, cuius in somnis fuerat admonitus, quare neque vana neque irrita sua somnia fuisse conspicatur. Cum sacerdotibus Adalberti adventum patefecisset, ne parva quidem inter eos letitia mox exorta. Rogati huiusce viri mores sanctissima queque illi referunt, hunc ex optimatibus Bohemie natum aiunt; patri Slavnicum fuisse nomen, matri vero Stresislavam; parentes utrosque probitate ac opibus prepolluisse, imperasse Lubicio, que quidem metropolis sita est, ubi Cydlina fluvius Albim influit. Quin etiam in Bohemiam ad Sudinam et Misam usque fluvium, in Teutones ad medium usque Hercynie silve, versus Moraviam ad Suitavam usque amnem et in Poloniam ad Glascum usque oppidum agrum amplificasse referunt; ab infantia quoque gravissima febre correptum ad dive Marie virginis edem perlatum a parentibus nuncupato re-

ligionis voto, si morbo evaderet, repente convaluisse; deinde in-¹⁷
genue educatum optimarum artium disciplinis mirifice claruisse,
decedente Bohemorum episcopo omnium procerum suffragiis in de-
mortui locum fuisse suffectum, quando moribus et doctrina in uni-
versa fere Germania ne alter quidem facile reperiri poterat. Quin¹⁸
etiam eo die, quo Bohemiensis pontifex designatus est, huius viri
sancitate miracula edita fuisse adiiciunt hominem demonio percitum
inter exorcizandum ab eo fuisse destitutum ac exclamasse
se in homine, quem incesserat, diutius idcirco residere non posse,
quia, postquam Adalbertus pontificatum iniit, omnes e Bohe-
mia cacodemonas huius antistitis potestate procul abigi cogeren-
tur; inito pontificatu nil ei fuisse antiquius, quam impias populi¹⁹
mentes ad salutem revocare, obstinatos procerum animos pia re-
ligione mollire ac sacerdotum denique intemperantiam coercere.
Quod cum prestare non posset, ne incassum piscari videretur, re-²⁰
lictis obduratissima gente Romam venisse ac monasticum habitum
sumpsisse dicebant, quare iratos Bohemos Lubicium eius patriam
clam invasisse, quinque Adalberti fratres, dum sacra facerent, ante
aras obruncasse, ceteros vero ad unum omnes interfecisse; de-²¹
inde Boleslai Bohemie ducis opera Pragam revocatum, cum pristina
populum perfidia obduratum invenisset, continuo abiisse ac red-
iisse Romam, ut in salutari otio requiesceret; paulo post tempore
habita synodo fuisse decretum pastorem quenque susceptum gre-
gem curare oportere neque sine maximo scelere defuturum; Adal-²²
bertum promulgata hac sanctione cum pontifice summo peregrisse,
ut, si proprie oves suam vocem non audirent, liceret sibi inter ce-
teras peregrinari nationes vere religionis expertes, ut aut eas ad
Christi fidem revocaret aut, si non posset, aliquam apud has mar-
tyrii palmam sortiretur; nunc denique famam esse hunc in Pan-
noniam non temere adventurum.

Cum hec a sacerdotibus piis Geysa cognovisset, Adalbertum²³
facile auguratur eum fore, quem somnia sua portendebant. Quare
ad excipiendum honorifice pontificem rex omnia parat, que et sue
et divine forent dignitatis. Imprimis obviam cum ornatissima pro-²⁴
cerum pompa et novorum collegio sacerdotum prodiit pontificem-
que Pragensem pro dignitate accepit. Ad avertendas a profana re-
ligione Ungarorum mentes huius opera et oratione utitur. Multi a²⁵
pristina religione deficiunt, pars magna baptismatis aqua expiatur
et in plerisque locis veri prepotentisque numinis sacra celebrantur.
Ex eo tempore in Ungarica gente lux divina latius emersit. De qua²⁶
illud, quod dici solet, vere predicari potest: Gentium populus, qui
ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Et lux lucis invisibilis
Christus est, quem tunc gentes videre meruerunt, cum a tenebris
revocate ipsum verum deum et hominem esse crederunt.

Dum hec passim fidei fundamenta iaciuntur, ecce uxori Geysae,²⁷
cui Sarolthe nomen erat et Giule hec filia fuerat, Stephanus proto-
martyr in somnis apparuit, ut, cum gravis esset, aliqua futuram
tanti regis parentem consolatione firmaret. Confide in domino Iesu²⁸

Christo, inquit, mulier, et ex divino mandato sic habeto te prope-
diem scitum fortunatumque puerum edituram, cui Pannonici regni
diadema debetur. Eumque scito talem fore virum, ut parem nun-²⁹
quam sit visura Pannonia; demum inter divos evasurum. Et, cum
ego Stephanus sim protomartyr, qui ei nunquam abero, meum
gnato nomen imponito. His dictis abiit. Saroltha somnio confir-³⁰
mata repente deo gratias egit divoque protomartyri apud omnes
aras rem sacram fieri curavit. Dum ingenti spe divinitus concitata³¹
vexantur, ecce tempestivo partu elegantissimus Strigonii puer editur
ab anno salutis nongentesimo sexagesimo nono, cui mox Stephani
protomartyris nomen inditum, ut numini promissa prestarentur. Un-³²
gari mira letitia gestiunt, quando primum regem potius et celo
quam humana sorte datum intelligunt. Somniis adauacta fides et,
que in his maxima portendebantur, obstinatissima expectatione spe-
rantur. Adalbertus Stephanum sacro baptismo initiavit, quare di-³³
vino numine percitus venerat in Pannonias. Instituit pater ille gra-³⁴
vissimus, quomodo infans aleretur et qua diligentia educaretur,
illudque imprimis, ut, cum per etatem fieri posset, cum lacte pre-
cepta sacre legis imbiberet et in timore dei semper institueretur.
Quin etiam Theodatus, qui apud Sanseverinates latius in Apulia³⁵
quondam imperaverat in Ungariamque patriis finibus eiectus eva-
serat et a Geysa duce mirifice observabatur, Stephanum e sacro
fonte eduxit, quare sacrosancti patris iure ab eo semper vernacula
Italorum lingua prerereretur Tata, id est pater, salutatus est. Et,³⁵
cum haud procul a Danubio cenobium fundasset ac villam erexisset,
nunc quoque id cum rure Tata nominatur, ubi celeberrima a divo
Mathia Corvino tempestate nostra regia cum vivariis et lacu con-
structa est. Ex Theodato cum nulli liberi superfuissent, huius familie³⁷
nomen in Pannonia paulo post extinctum. Infans autem a deo³⁸
electus et divinitus edoctus prius salvatoris nostri quam panis no-
men inter prima ac blesa verba enunciasset visus est. Nondum³⁹
tenellis excesserat unguiculis, cum grammaticis, preceptoribus sa-
cerdotibusque committitur, ut litteris pariter ac sacris diciplinis im-
bueretur. Nullis bonis artibus carere debet, qui se ad regnandum⁴⁰
natum esse arbitratur, ut deo gratus et hominibus perquam saluta-
ris esse videatur, et, quicumque aliis prefuturus est, huic imprimis
enitendum est, ut non minus virtute quam honore prestare cen-
seatur. Nihil a patre Geysa pretermissum, quod ad futuri regis⁴¹
institutionem pertineret, neque defuit divine benignitatis exuberan-
tia, quandoquidem princeps optimus potius natus quam factus esse
putabatur. Ab Adalberti latere nunquam aberat, a quo et doctrina⁴²
et exemplo tantum hausit sanctitatis, ut hunc sue gentis salutis ac
vite auctorem magistrumque unicum predicaret. Sepe puer advo-⁴³
cata contione de religione, de timore dei, de caritate publica, de
iustitia et pietate acerrime disserebat, detestabatur crudelitatem, homi-
cidia, rapinas, vim, adulteria; nil divino cultu et amore prestan-
tius, nil pietate ac innocentia dignius et commodius asserebat. In-⁴⁴
fremebat quandoque in Scythicam crudelitatem et aversos a dei

caritate animos precoci severitate ac vehementia corripiebat. Nunquam a divino nominis mentione contemplationeve alienus inventus est. Innocentibus et commiseratione dignis prompto patrocinio 45
occurrebat, tuebatur eos apud patrem, quem, ne quid iniusti faceret, quotidie admonebat. In collegio sacerdotum et in sacris assiduo 46
versabatur. Inita adolescentia paternum sepe munus obibat, ut hunc senio confectum et labore molestiaque levaret et reipublice detrimentum averteret. Sepe pro patre ius dixit, oratores audivit et 47
responsa dedit. Cum Geysa se etate effatum ac filium regno haud immaturum esse cognosceret, convocata contione ac cunctis regni principibus hec verba fecit:

Cum gravissime senectuti nostre matura mors immineat, mihi 48
vobiscum providendum est, socii, ne quid me decedente mali respublica nostra patiatur. Nam, cum peregrini in alieno solo siti simus 49
ab infestis undique vicinis circumventi, iam tempus et res postulat, ut futuris periculis prospiciamus et saluti nostre optime consulamus. Nota enim perpetua sugillaremur, si imperium, quod a maioribus 50
partum et amplificatum accepimus, negligentia nostra deleteretur. Difficile est res amplas sibi parare, sed partas tueri multo difficilius. Quod cum mecum ipse quotidie reputarem, quem reipublice summe 51
prefeceratis, preter instituta maiorum pace et religione vera muniendum imperium esse duxi ratus ad humanam divinamque felicitatem nil esse accommodatius. Pace finitimorum animos nobis conciliavimus et iam pro inita Christianorum religione Ungari, quos 52
haud aliter ac anthropophagos omnes abominabantur, externorum consuetudine mitiores effecti equis ubique oculis videntur. Nunc 53
autem decernendum est, quo modo hec confirmandi imperii fundamenta, que per institutam pacem et religionem iecimus, in dies coalescant. Verum, si sententie mee suffragia vestra successerint, 54
ea vobis deliberatio oblata est, in qua non humana consilia disquirere, sed divina potius mandata sectari opus est. Faustissimum illud 55
a me somnium sepius audivistis, in quo per celestem mihi deus internuncium significavit me veram religionem passim per Ungariam nunquam propagaturum neque veri dei templa per Pannonias fundaturum, quando sanctissimi huius operis fundamenta a pollutis humano cruore manibus iaci nequeunt; sed eum me filium genitum, 56
qui hec omnia peraget et ad rectam fidem ac veram dei opinionem vos convertet universos. Multos in religionem nostram traximus, ceteri autem, qui sunt innumere multitudinis, ne profanis Scytharum 57
cerimoniis desciscant, obstinatis adhuc mentibus reluctantur. Ne uxoris quidem somnium ignoratis, in quo a divo protomartyre Stephano eiusdem rei est admonita, filioque idcirco Stephani nomen est inditum. Hunc igitur imperio vestro quam maxime salutarem numina cuncta significant, quod fortasse non ita vehementer asseverarem, ne quo privato in rebus publicis traherer affectu, nisi filii in- 58
doles, immo vita, mores ac gesta, hec omnia, que diximus, evidentius affirmarent. Testor salvatorem nostrum Iesum Christum, quem 60
Adalberti opera nuper agnovimus, eum ab ineunte pueritia incre-

dibili arte et observantia quadam inaudita paternam sepe insipientiam increpuisse, commonefecisse, ut divino cultui semper incumbere. Comitem me vobiscum agerem, remitterem vectigalia, coercerem vim, cedes et latrocinia, bella componerem, miserabilibus prospicerem, pauperibus omnia erogarem parique discrimine proceres humilesque tractarem. Multa me pueri consilio et efflagitatione fecisse non diffiteor neque me aliter ab eo atque ab aliquo divino internuncio admoneri reputabam. A me genitum esse non inferior. Vobis et saluti publice natum prodigia cuncta portendunt. Ego quoque conscientie imperio sepius adigor hunc preter paternam observare dignitatem, quia, quanti momenti sit, et deus admonuit et res ipsa pre oculis ostendit. Proinde, viri optimi, qui mecum et rempublicam optime gessistis et catholicam fidem impetravistis, vos oro et obtestor, quando me ad extremum vite redactum videtis, ut Stephanum vobis et saluti publice natum in patris locum sufficere iubeatis, idque dum curetis populi sanctione et exercitus auctoritate faciendum, ne econtra numinum imperia ac mandata, que saluti vestre e celo prospiciunt, reluctari videamini. Quod si vestro nunc decreto confeceritis, ceteri vestra auctoritate ducti hec eadem approbarent. Quod ut faciatis, non tam miserabilis mea senectus et oratio, item mee in vos caritatis memoria, quam vestra utilitas et imperii salus deique voluntas adhortari debet. Ego autem si precibus hec vestra et populi commoda a vobis impetrarim ac demum in filii manus plane iuraveritis cuncta eius impetrata facturos, cumulatissimo me beneficio a vobis affectum ex hac vita dimittetis. Quare Stephanum vobis e celo datum colite et observate, concordiam otiumque retinete, catholicam fidem propagate, quam si Ungarorum dura pectora semel admiserint, multo pertinacius imposterum retinebunt. Ac idcirco deus asperrimam Scytharum prolem in his Christiane reipublice finibus collocavit, ut vera imbuti religione orthodoxam fidem ab omni infidelitate obstinatissime tueantur.

Vix hec senex peroraverit, cum lacrimarum profluvio clauditur oratio. Quicumque aderant, pari pietate commoti in eius sententiam omnes ultro contendunt, quando nihil reipublice salutaris decernere neque cumulatores duci de cunctis optime merito gratias referre poterant. Presente patre omnium consensu Stephanus non tam humano quam divino iudicio non dux, ut pater erat, sed Ungarorum rex creatur, universe reipublice summa traditur. Cunctique nobiles et plebei in manus eius coniurant se nunquam imperia detrectaturos, gratissima ac fida prestituros obsequia et celestis internuncii loco eum habituros, mox procerum manibus elatus in solium rex ab omnibus consalutatur. Delatus in castra a pretorianis legionibus eadem consalutatione comprobatur. Geysa pro suscepto beneficio multos e patribus muneribus honestat, remittit vectigalia, militibus annonam sestertiaque pro cuiusque dignitate distribuit, in populum missilia sparsit, in publice hilaritatis speciem ludos edidit passimque apud omnes aras sollempnia celebravit. Deinde paucis post diebus increbrescente senili pituita non sine maximo Unga-

rorum luctu diem obiit ac ingens sui desiderium Pannonie reliquit. Extinctum patrem pientissimus filius honorificentissimo funere ac singulari pompa exornavit. Initum iam pridem regnum incredibili diligentia et equitate gerit, sive ius diceret sive quid decerneret sive cum amicis colloqueretur sive iter faceret. In cunctis eius actionibus pre oculis deum semper habere videbatur, quem perinde atque divinum iudicem et censorem actionum suarum intueretur, in cuius aspectu se quot horis reum effingeret tanquam rerum omnium rationem redditurus, et, si quid meruisset, penas subinde daturum.

Adalbertus pontifex defuncto Geysa, ubi se Pannonicis rebus pro divina voluntate abunde satisfacisse putavit, alio sibi peregrinandum esse decernit et, ut in extremas orbis oras dei verbum effunderet barbarasque gentes vera religione imbueret, in eos Sarmatas, qui nunc Pruteni appellantur Venedicumque sinum accolunt, iter arripuit ratus se aut populos divini cultos expertes revocaturum ad lucem aut pro Christi nomine pulcherrime moriturum. Dectis sibi duobus tantum comitibus, quos laborum tolerantissimos esse noverat, in Prussiam venit; in locum divertit, qui peninsule speciem referebat. Cum diverse religionis hominem pagani adventasse cognoscerent, coacta mox ingenti multitudine eo conveniunt, ubi virum alienigenam esse senserant. Quem cum orantem invenissent, facto repente impetu certatim seviunt, solo ingeniculatum ac supplicentem immaniter cedunt. Desidente aliquantulum barbarorum furore rogatus, quisnam esset, Christianum se respondit atque illius numinis esse cultorem, a quo omnia facta sunt; ex dedita in Prussiam opera venisse, ut eam vere religionis expertem e diaboli faucibus eriperet, exueret profanis ritibus et Iesum Christum et omnium rerum creatorem gentes edoceret. Talia dicente clamor exoritur, pro ridiculo maximo virum habent, quare eo vehementius infremunt, terram pedibus fustibusque feriunt, uno ore vane superstitionis hominem continuo explodendum exclamant, illudunt plerique, multi, ne e vestigio se e finibus eripiat, crudelem interitum interminantur. Cum nihil se proficere posse intelligeret, de mutando habitu, de capillis barbaque demittenda, quo familiaris cum barbaris versaretur, cogitare cepit. Nam, si qua se inter eos consuetudine insinuare posset, gradatim et sensim inter ipsos verbum dei saturum esse confidebat. At, ubi nil sibi succedere intellexit, desperata horum salute in Livoniam, que in maritimam Sarmatici litoris oram ad septentrionem effunditur, iter capit et ea quidem mente proficiscens, ut aut eam regionem quamvis immitissimam Christiane fidei vendicet aut in propagando sacrosancte religionis imperio gloriosissime moriatur. Livoniam ingressus, dum obstinatos efferarum gentium animos verbo dei mollire contendit, ecce Gaudentius alter e comitibus in somniis inter sacrificandum custodem altaris rogasse ipse sibi visus est, an totum calicem in ara situm sibi haurire fas esset; contra custodem renuentem respondisse calicem pontifici tantum Pragensi esse destinatum, eum totum poculum haurire oportere. Quod quidem somnium cum Adalberto re-

tulisset, intellexit pater ille sanctissimus optatissimi sibi martyrii tempus imminere. Sexto post die, cum Gaudentius coram eo rem sacram fecisset, hic sacris rite peractis secessum petiit, ut membra aliquantulum fessa relaxaret; inter dormiendum ecce impiorum multitudo confluit, qui circumventum intrepidumque capiunt, vinculis obligant, efferunt in iugum montis paloque alligatum septem lanceis corpus effodiunt. Hec inter cruciatus verba fecisse perhibetur: Habes, Adalberte, quod optasti, nunc ultro pro Christo morere, qui pro te ceterorumque mortalium salute crucem sponte subire voluit, septem donis te deus ornavit et mira virtute munivit, quando septem te lanceis in honoris speciem confodiendum esse decrevit; proinde pulcherrime morere, calca Tartarum et ad dulcissimum servatorem tuum ex his erumnis solutus evola. Demum, cum de martyrio pulcherrime triumphasset, statim post efflatam animam, vincula, quibus erat obstrictus, sponte soluta, mox in terram e palo procidit; dispan-sis manibus in crucifixi speciem corpus humi dimissum; caput palo prefixum in ludibrium Christianorum per pagos et oppida circumtulere. Vivum ac defunctum miracula multa edidisse ferunt; dum Pragensem pontificatum gereret, apparuisse Iesum eique hec verba obiecisse: Adalberte, stertis et populus hic preceps fertur. Quibus calcaribus agitatus per Moraviam et Ungariam Christianam fidem passim predicavit et Poloniam subinde petiit. Neque illud admiratione dignissimum tacite pretereundum carnifices sectum e cadavere digitum, cuius gestu inter predicandum plurimum utebatur, in Vindaum amnem proiecisse proiectumque piscem absorbuisset absorptumque in facis speciem in ventre piscis illuxisse; piscatores hoc adactos portento mira industria captasse piscem; quem cum exenterassent, Adalberti digitum facis more lucentem invenere. Sed ad Stephanum regem revocetur oratio.

Cum Geysa ab anno salutis nongentesimo nonagesimo septimo diem obiisset, filius inita iuventute omnium suffragiis principum diadema iam assecutus nihil maiore studio aggredi cupiebat, quam universos Ungaros in lucem asserere veritatis. Neque illud ignorabat nullum diu principem esse regnaturum, nisi iustitia et religione prepolleret. Huc omnes ingenii nervos intendebat et, ut hec facilius assequeretur, divinis codicibus incumbebat. Adhibebat sibi sacrarum rerum preceptores, quibus familiarissime et assiduo utebatur. In re quaque gravissima viros sanctos consulebat, ne quo se suosque piaculo inscius incestaret. Sed, cum publice saluti imprimis intendisset animum, quam sine finitimarum provinciarum otio assequi non poterat, imprimis cum omnibus vicinis initia et confirmata pace regnum communivit, ut, si qua inter suos populos principesve pertinaces seditio pro subeunda fide Christi oriretur, his nulla foris auxilia sperari possent. Verebatur enim, veluti mox accidit, Scythicas mentes haudquaquam facile ritus patrios esse deposituras. Quin et ex his, qui baptismate abluti fuerant, multos pudore, nonnullos regis gratia, perquam paucos ultro catholicam fidem accepisse sentiebat. Contra vero popu-

lum perniciosam deorum opinione universum ire perditum equo animo
 perpeti non poterat, quin sibi certum erat aut ad salutarem fidem
 eum revocaturum aut regno simul et vita cariturum. Dum aliquanto 101
 severius in reluctantes agendum esse censet, quando quam plu-
 rimi sine vi ad resipiscentiam cogi non poterant, principes plerique
 cum ingenti multitudine in eum coniurant, intestinum bellum mo-
 liuntur et, ne Scythicam feritatem exuant, ceteros ab instituta re-
 ligione deterreant, primum in pagos late deseunt, predia vastant,
 mox adauctis viribus oppida regia adoriuntur imprimisque Ves-
 primium iuxta Pannonie lacum sitam urbem quidem non ignobili-
 lem obsident, ut maiorem regi stomachum facerent et eorum, qui
 ab eius fide desciverant, animos auerent.

Novitatis huiusce auctorem Cupan Calvi Zirindi filium, qui in 102
 Simigiensi agro dominabatur, Ungarorum annales fuisse tradunt.
 Quippe qui defuncto Geysa Stephani matrem per adulterium in
 connubium allicere conabatur, ut eam nactus uxorem Stephani vi-
 tam dolis interciperet ac rerum denique potiretur. Occasionem ex- 103
 plende libidinis cum in dies sibi dari expectaret, in hac rerum
 novitate quiescere non potuit, tumultui non solum adesse, sed pre-
 esse voluit. Nam imperandi cupiditate correptus religionem pro ni- 104
 hilo habere, fas et nefas eque ducere iustitiae simul et pietatis ex-
 pers, item feritatis esse plus quam Scythice pagos eque ac oppida
 hortari, ut a regia fidelitate ac superstitione deficerent; se coniu-
 rationis principem deperdita quadam audacia profiteri, criminibus
 regem ad augendam invidiam onerare; passim predicans hunc sue 105
 gentis hostem patre perniciosiorem futurum, quando externe quam
 sue gentis studiosior et amantiore erat, Martem, Herculem patrios-
 que deos, quorum numinibus res Ungarica tantopere adoleverat,
 aboleri iusserat, eorum sacrosancta simulacra ubique disiecerat, fa-
 tuam inducere superstitionem nitebatur, quin et otio et desidia
 bellicosam gentem enervabat, pacem indixerat erumnosam, cum vi
 et bello Ungari victum semper traxerint.

Cum inferiorem fere Pannoniam totam suscitasset, gravi Ves- 106
 primium in contemptum regis obsidione premebat. Contra vero 107
 Stephanus in tanto tumultu nequaquam animo consternatus, quando
 sub divina se tutela esse intelligebat, ad coercendam Cupe au-
 daciam mox summa celeritate ac prudentia omnia moliri, passim
 per Ungariam delectum habere, imprimis divinum e celo auxilium
 implorare, impensius divi Martini numen, ne sue Pannonie deesse
 vellet; item maximam exuviarum ac prede hostilis partem nuncu- 108
 patis votis polliceri, ad hec tumultuarium cogere exercitum, accire
 principes, quos et sua et patris beneficentia fidos habebat, nihil
 pretermittere, quod bello usui fore duceret. Coacto demum exer- 109
 citu ad Goron amnem castra locat ibique primum iuvenis deo dedi-
 tissimus defendende publice salutis necessitate adactus sibi ense
 accinxit. Duos ibi magistros equitum pronuntiavit fide ac militari 110
 disciplina prestantes, quorum alter Huntas, Paznan alter dictus
 est. Hi Teutones fuisse traduntur, qui, cum Christiana fide polle- 111

rent, imperante Geysa in Pannoniam venerant, nobili genere nati et, cum bello ac pace de Ungaris essent bene meriti, principatum semper inter proceres apud Geysam tenuerunt multumque in propaganda Christi fide patrem ac filium adiuvere. Hi reluctantes in fide pro servis habendos esse censuerunt, item ut, qui ex Ungaris prius in religionem confluerent, inter eos hi nobiliores haberentur. Atque in istorum sententiam a Geysa edictum factum est. Post hos Vencellinum Alemanum hospitii iure sibi coniunctissimum dictatorem creat, cui exercitus universi summam tradidit. Hec ubi rite constituta sunt, instructa acie in Cupan itur. At, ubi coniuratorum castris appropinquant, infestis utrinque signis extemplo concurrunt. Cum prelium consereretur intestinum, eo obstinatius et crudelius utrinque pugnabatur, dum fortuna nunc his, nunc illis adridet et pari spe utrinque dimicatur. Ex hoc factum est, ut longam cruentissimamque pugnam ederent. Rex divina potius oratione et militari hortatione quam armis certare, per legiones modo discurrere, legatorum et centurionum animos confirmare, turmas cohortesque hortari, ut pro Christi caritate fortissime dimicarent, revocare terga vertentes et quandoque timidos graviter increpare, subsidia mittere laborantibus et nullum imperatoris optimi officium pretermittere. Vencellinus, qui in dextero cornu presidebat et quadrato agmine Cupe se obiecerat ratus inclinato ducis agmine ceteros omnes facile cessuros, acerrime pugnabat. Disquirebat ubique, ubi Cupas esset, ut singulari certamine cum eo dimicaret.

Dum dubio ubique Marte pugnatur, rex elatis in celum manibus his fugam verbis deprecatur: Clementissime deus, qui lucem veritatis tue in durissimo ac truci populo, quem mihi commisisti, infundere voluisti, ut tue fidei radiis illustratus perpetuo Christiane reipublice fines tueatur, te supplex exoro, ut nutantium animos confirmes, vires plebi tue e celo demittas, ut celesti auxilio munita tuos proterat inimicos. Et tu, Iesu Christe optime maxime, cuius ductu et auspiciis bellum gerimus, per salutarem tui, queso, passionem populo pro te dimicanti propius adesto tuisque fidelibus victoriam pro clementia tua concedito, fedam fugam sistito. Ego autem omnium rerum decimas pro referenda gratia gloriosissimo nomini tuo passimque basilicas dicabo. Vix hec dixerat, ingens ecce clamor per legiones exoritur. Cupe cornu a Vencellino inclinatam; utrinque ducem singulari certamine congregi cum hec audivisset, illuc cum validissimo agmine continuo properat. Laborantes et iam inclinosos inimicos proterit. In media acie Vencellinum offendit et congratulatur deo gratias agens, qui Cupe caput absciderat et opima de hoste spolia referebat. Quo per acies circumlato ita hostium animi consternati, ut palantes fugerent. Magna cedes ac miserabilis oritur, principes coniurationis maxima ex parte capti et in castris cesi, in ceteros regis edicto remissius actum. Parta victoria Cupe corpus in partis quattuor dissectum; una Strigoniensi porte affixa est, Vesprimiensi altera, tertia lauriensi, in Transylvaniam quarta

ad deterrendos Dacorum animos delata et Albe Iule prefixa. Quam 123
quidem regionem Herdel olim Ungari ab auri feracitate kenchie
appellavere. De ceteris captivis pro facinorum gravitate pene sunt
exacte. Contra vero militibus et prefectis, qui se in eo prelio op- 124
time gesserant, premia pro dignitate e regia liberalitate tributa, dic-
tatori premia multa magnique honores redditi, item oppidis villis-
que a rege amplissime donatum ferunt, ex quo Radus natus est.
E Rado Misca et e Misca Cupas et Martinus orti, qui inter pri- 125
marios Ungarie proceres preclari semper habiti. Divo autem Mar- 126
tino Pannonice gentis patrono ut debita vota exolverentur, perpetuo
regis edicto Simigiensis populus, qui Cupe tyranni audaciam sec-
tatus est, non modo frugum, vini ac pecorum, verum etiam libe-
rorum decimas divi Martini basilice quotannis pendere iussus est.
Preter hec tertia prede pars templi postibus affixa. Pro hac salu- 127
tari victoria supplicationes habite, apud omnes aras sollemnia ce-
lebrata.

Tali successu regis animus non elatus, sed ardentissima dei 128
caritate succensus est; quotidie humi prostratus deo supplicat, ut
sibi salutare consilium divina ope perficere totamque Ungariam,
antequam rebus humanis excedat, ad veram fidem revocare liceat.
Quod ut a deo assequeretur, sepe in cinere et cilicio supplicabat 129
et in templo assidue exorabat, laudabile propositum suis diplo-
matibus longe lateque declaravit. Quare plerique sacerdotes publica 130
utilitate commoti ad predicandum dei verbum in Ungariam ultro
confluunt et pro catholica fide peregrinari gestiunt, alliciebantur quo-
que sanctitate principis, cuius nomine multi e remotissimis in Pan-
noniam partibus evocabantur, imprimis Astricus vir sanctitate con-
spicuus cum discipulis advenit, e quibus Bonifacius in inferiorem
Pannoniam demissus ad predicandum nomen domini clara morte 131
affectus inter divos relatus. Item ex ea Dalmatie parte, quam Po-
lianam dicunt, heremite duo, quorum alter Andreas, Benedictus alter
dicius est. Andreas vite sanctitate miracula edidit; Benedictus,
cum pro Christo sanguinem effuderit, inter divos martyres adnume-
ratus. Astricum et discipulos rex honorifice excepit et ad radicem 132
Montis Ferrei collocavit, ubi divi Benedicti cenobium magnifico
sumptu exedificare permisit. Quin et basilicam illam ingenti dona-
tivo multisque prediis pagisque donavit, quo monachi commodius
in regulari vita consistere possent. Horum consuetudine, quando 133
viros optimos esse intelligebat, mirifice delectabatur, quorum auxilio
ac opera Ungaros partim sponte, partim vi ac metu in lucem veri-
tatis asseruit. Mandata sacre legis et orthodoxe fidei axiomata om- 134
nes scire coegit, profanis dira supplicia indixit, deinde, ut dignas
deo gratias ageret ac ovile sacrum pastoribus impositis lueretur,
ad fundandos episcopatus animam advertit. Et, cum natale solum 135
nature lege unice diligeret, Strigoniensem imprimis ecclesiam erexit
eamque metropolitanam sedem esse iussit, mox Colecensem basili-
cam statuit eiusque pontificem Astricum designavit, quem mori-
bus et doctrina prestantem esse noverat eumque post initum ponti-

ficatum Anastasium appellavit. Hunc quarto post obitum patris 136
 anno Romam ad summum pontificem mittendum esse censuit; man-
 data dat, ut a Christi vicario in Ungaros, qui eius fidem nuper
 iniverint, apostolicam benedictionem impleret et inter oves Petri
 adnumeret; post hec, ut Strigoniensem basilicam metropolitanam
 esse iubeat; item ceteros episcopatus in Ungaria nuper erectos sa- 137
 crosancta auctoritate confirmet; demum, quando potestas omnis a
 deo est et maxima cepta sine divina ope consummari nequeunt,
 regalia insignia cum pontificia benedictione piis precibus assequa-
 tur. Astricus Romam properans, ut legationis officio diligentissime 138
 fungeretur, die noctuque iter facit. Quid facit deus, qui piorum 139
 consiliis et honoribus semper incumbit? Nimirum dextrerrimis eos
 prosequitur auspiciis. Eodem enim anno Misca Polonie dux ad fidem 140
 cum populo conversus eadem a Benedicto pontifice maximo
 per legatos postulabat, quare coronam pontifex ingenti sumptu
 compararat, ut religionis ac fidei accessione letatus Miscam ducem
 et novum Christi militem ob rem bene gestam regio diademate in-
 signiret. Pridie eius diei, quo Polonis destinata corona tribuenda 141
 erat, Astricus urbem ingreditur; ecce in somnis superiore nocte
 dei internuncius pontifici apparet. Salve, inquit, pontifex! Cras Pan- 142
 nonice gentis legatum ad te venturum esse scito, qui, ut tuo bene-
 ficio et auctoritate suum principem regio diademate dones, exora-
 bit destinam Polonis coronam; quando ita merita postulant, huic
 dato, proinde divina mandata servato. Cum is in auras recessisset, 143
 secunda hora diei Astricus in senatum apostolicum admissus est,
 ubi, cum regis mandata ex ordine retulisset eiusque sanctissima
 gesta subiecisset et, quantum catholice fidei ultra citraque Danu-
 bium accessionis fecisset, quam in Getas et Sarmatas usque pro-
 pagarat, enarrasset, incredibili apostolicum ordinem gaudio complevit. 144
 Re ad senatum relata pro voluntate regis et legati postula-
 tione nullo refragante decernitur, ut non modo Christianissimus
 rex regia corona donetur, in regno apostolica auctoritate confirme-
 tur et regis acta cuncta cum institutis episcopatibus approbentur,
 verum etiam, quia verus et fidus dei miles est et apostolus, ad
 exaggerandam eius dignitatem in perpetuum pontificie legationis
 insigne, qua sibi posterisque regibus semper fungi fas sit, prefe-
 rende crucis potestate honestetur. Cum legatus omnia non solum 145
 e sententia, sed preter spem et opinionem impetrasset, magno re-
 fertus gaudio in Pannoniam se recepit. Strigonio appropinquanti 146
 rex cum singulari sacerdotum pontificumque pompa obviam prod-
 iit, Astricum pontificia munera deferentem et coronam et crucem
 ostentantem honorificentissime deo gratias agens excepit; aposto- 147
 lica insignia prae reverenter accepta, quando ad unanquamque Ro-
 mani pontificis mentionem Stephanus spectante populo inclinato
 capite sese ingenuculabat, ut exemplo suo ad Romani pontificis
 apostolicique senatus obsequium et observantiam omnes hortaretur.
 Post hec, ne fundamenta pacis interciperentur, cuius se filium 148
 fore profitebatur, varias leges et edicta tulit, imprimis de sicariis,

adulteris et homicidis, item de vi, latrocinii et furtis capitalia sup-
 plicia promulgavit; in sacrilegos, profanos numinumque contemp- 149
 tores perquam severe animadvertit; iniurias, audaciam ac omne fa-
 cinus gravi censura coercuit; ne quis indicta causa vicinum lederet,
 diligentissime cavet; viduarum et pupillorum causis mirifice favit; 150
 ut trium liberorum iura foveret, conjugatis premia proposuit; ce-
 libes a sacerdotio alienos infames habuit; ut seminarium Christi-
 ane reipublice exemplo suo foveret, quacum affinitatem contraheret,
 aliquamdiu secum cognitasse ferunt, ne quam sui dissimilem sibi
 coniugaret. Henrici secundi imprimis affinitas succurrebat impera- 151
 toris quidem sanctissimi, qui tertio Othoni plane successerat tum
 humano, tum divino consilio ad imperium evectus e nobilissimo
 Bavarorum ducum sanguine natus. Hic e beati Volphgangi Ratis- 152
 bonensis episcopi oraculo imperatorem se fore Romanum in som-
 nis accepit. Inito paulo post imperio Italiam ingressus a Stephano
 octavo imperator appellatus, ubi piam expeditionem feliciter peregit.
 Nam Capuam a Sarracenis occupatam eiectis hostibus recuperavit, 153
 Bubaganum Meli suffectum et Constantinopolitani imperatoris pre-
 fectum, cuius auxilio Sarraceni Italiam repetierant, acerrimo bello
 insecutus est ac Troiam urbem in Apulie finibus sitam, ubi castra
 Hannibalis fuisse ferunt et a Bubagano deducta Grecorum colonia
 instaurata, ut eo facilius Calabros Apulosque in Grecorum fide con- 154
 ficeret, obsessam quarto mense expugnavit. Sancti Miniatis cen-
 obium in edito monte ante urbem Florentiam fundavit. Fesulas a
 Florentinis occupari diruique permisit, quare multum urbs illa per-
 crebuit; quin etiam Bohemos, Polonos et Sclavos armis in Christi 155
 fidem asseruit. Et cum sepe eucharistia ante prelium muniret exer-
 citum, Laurentium, Georgium et Adrianum cum armato angelo div- 156
 vos aciem suam precessisse suspexit. Deinde momentanei huius
 imperii non contentus angustiis ad immortalia regna animum erexit,
 quibus ut facile potiri posset, omnes ingenii vires ad divinum cul- 157
 tum sane convertit; basilicas et pontificatus multos statuit, epis-
 copalia delubra Sclavorum vicinitate diruta propria impensa instau-
 ravit, veluti in Hildesensi, Magdeburgensi, Argentina, Misnensi et
 Merseburgensi denique civitate, quemadmodum intueri licet, varias
 edes et cenobia fundavit, que proventibus et sacris ornamentis magni- 158
 fice donavit. Castitate erat incomparabili consimilem nactus uxorem,
 que Cunegundis est dicta. Divinum hi potius quam humanum con-
 iugium sane contraxerant non prurienti libidine, sed intemerata vo-
 luntate conflatum, in quo una fides ex composito inviolate casti-
 tatis, unus animus iustitie et veritatis, una repulsa intemperantie et
 iniquitatis, par celestis caritatis affectus. Inito dudum connubio ul- 159
 tro perpetuam deo castitatem vovent et sub Augustali dignitate vir-
 ginitatem celaturos esse sperant, de diis et hominibus certatim
 benemereri contendunt, unde miracula non temere multa promana-
 runt. Sed, ut scriptores plerique referunt, Henricus pridie eius diei, 160
 quam e vita decederet, accitis uxoris parentibus imperii que primori-
 bus immaculatam, quam acceperat, Cunegundim se reddere fassus est.

Stephanus igitur Henrici secundi sanctitatem, gestorum gloriam 161
et religionem conspicatus, cuius ope et hortatu Ungaros in veram
fidem asseruerat, cum pari probitate coniungi cupiebat; accedebat
et imperatoris dignitas et potentia, quam ad rem suam nimium facere
intelligebat. Contra vero Henricus Stephani prestantiam et in- 162
genitam sanctitatem non ignorans nihil ducebat antiquius, quam
aliqua cum eo affinitate vinciri, qua infestissima utraque natio, que
tot annos crudelissima bella gesserat, reconciliaretur et divi regis
sanctitas propagaretur, cuius sapientia ac studio factum erat, ut Un-
gari, qui finitimos diu Scythica feritate vexarant, in Christi fidem
asserti et vicinis et Christiane reipublice salutare fore viderentur.
Proinde postulata a Pannonico rege sororem, cui Gysle nomen 163
erat, ultro Henricum coniugavit, ut pari cum viro sanctitate certaret
pacemque perpetuam inter Alemanos et Ungaros pacisceretur. Hec 164
affinitas ab omnibus annalium scriptoribus affirmatur preter cetero-
rum opinionem; Ungarici aliter sentiunt annales, quippe qui di-
vum Stephanum in uxorem Gyslam Guilielmi ducis filiam asserunt
accepisse. Guilielmum sancti Sigismundi Burgundiorum regis fuisse 165
fratrem et post Sigismundi martyrium, ne interitum dixerim, ad Hen-
ricum imperatorem confugisse, eius iussu Venetiis fuisse collocatum,
Gertrudem imperatoris sororem in uxorem habuisse et ex ea Gys-
lam filiam accepisse Ungarie regi desponsatam; Gertrude intempe- 166
stiva morte subrepta sancti Stephani sororem sibi copulasse ex ea-
que genuisse Petrum, qui ad regni fastigium evectus est. Ex uxore 167
hac plures filios divum regem tulisse ferunt et imprimis Emericum,
ut de ceteris sileam, quorum nomina non traduntur, tot divinis do-
tibus imbutum, ut e divinis quoque parentibus promanasse vide-
atur. Preter pudicam temperantissimamque vitam tantum in deos 168
et homines pietatis ostendit, ut divino potius quam humano con-
sensu se Stephano Gysla coniugasse reputetur. Certatim utrinque 169
sanctissima facta manabant, divina caritate neuter equo animo su-
perari patiebatur et in Christo coniuncti coniugalem amorem redin-
tegrabant. Quanquam in omnes pientissima, precipua tamen bene- 170
ficientia in miserabiles ac calamitosos, in sacerdotes ac templa ute-
batur. Basilicas omnes profusa liberalitate prosequabatur, ne quid
divinarum rerum ornamentis deesse videretur; simulacra deorum ex-
postulato argento obrussaque multa dicavit. Item gemmatas phialas, 171
sacras vestes ex auro contextas insano sumptu factas per collegia
sacerdotum sepe distribuit. Vesprimiensem basilicam propria im- 172
pensa exedificavit abundeque donavit rebus omnibus, que cultui di-
vino usui esse solent; uberrimos quoque proventus adiecit, unde
antistites ceteraque sacerdotum collegiâ pro dignitate viverent. Si- 173
mili quoque diligentia vir eius, ne mulieri cederet, metropolitane
basilice ceterisque episcopis tam abunde prospexit, ut nil sibi su-
perfuisse videretur, uti deo, cultui divino non modo se, verum etiam
sua omnia adiudicasse videretur. Quin et hec agris, villis, oppidis 174
portoriisque donarat, quotannis eorum accessionem fieri iubebat,
ne quid dei cultoribus deesse pateretur. Quotannis quoque cenobia, 175

basilicas edesque sacras perlustrabat, ut edificiis hominibusque prospiceret, inter lustrandum non modo sacerdotum, verum etiam et pontificum mores exacta investigatione recognoscebat, increpabat negligentie reos, studiosissimum quenque diligebat observabatque. Per questores autem singulis fere mensibus urbanos paganosque antistites cunctaque sacerdotum cœlegia recensere, recognoscere vitas et cuiuscunque verba factaque diligentius pensitare studebat, ne quid publice privatimque piaculi committeretur aut in Christi fidem intenderetur. Illud precipue sibi cure fuisse tradunt, ut viros moribus et doctrina probatissimos in rebus sacris ubique proficeret. Cum in divi Martini cenobio Sebastianus singulari vita et sapientia non mediocri preditus esset, miro amore a rege complectebatur eiusque favore et auctoritate eo usque evectus, ut Strigoniensis metropolita crearetur supremam in Ungaria dignitatem assecutus. Nescio, quo mox fato cecus effectus est, cui, cum cecitatis casus sacri muneris exercitationem inhibuisset, eius officium permissu apostolico accitus Astricus Colociensis episcopus eque resarsit, ac si eius loco suffectus esse videretur. Tertio cecitatis anno instauratis luminibus in pristinam is dignitatem a Romano pontifice restitutus. Paribus igitur studiis rex et regina in prestantissimo quoque virtutum genere certabat.

Emericus autem in tam ardenti caritate Christi natus quid aliud quam suavissimum deo holocaustum esse poterat? Ab ineunte purititia, quo sanctitatis evasurus esset, facile declaravit, quippe cum esset somni parcissimus, a secunda fere virgilia noctis ad lucem usque Davidicos rhythmos leclitabat et per singulos repetito mentis examine a deo veniam implorabat. Id sepe rimatus pater ingentem de filio spem concepit. Quin et illud minus omittendum, cum pater divi Martini cenobium, quod in monte Pannonie insano sumptu fundarat monachisque compleerat, revisere decerneret, filium secum ducere statuit haudquaquam ignarus, quanta dei gratia puer ille polleret. Inito itinere cum templo appropinquasset, monachi longo agmine obviam prodire, ut, qua decet, regem dignitate exciperent. Contra vero rex, ut Emerico eque ac celesti angelo patres honestaret, filium premisit. Qui prererenter ab his exceptus et consalutatus, tanquam divinitus esset admonitus, monachis ne paria quidem oscula distribuit, sed pro cuiusque meritis impartitus est, quoniam huic duo, tria illi, nonnullis quattuor quinqueve et plerisque septem libasse dicitur. Pater a tergo tanquam e specula cuncta considerabat et, quamvis filium nil temere fecisse confideret, admiratione tamen carere non poterat. Quare sacris rite peractis Emericum percontatur, cur inæqualia patribus oscula distribuisset. Pro continentie, inquit, tempore oscula dedimus; quibus autem septena data, hos perpetue castitatis cultores esse scito et ex numero septenario absolutissimam prepotentissimamque viriutum virginitatem esse intelligito, quippe que ad penetralia cordium usque penetrat, que deo dumtaxat parere solere reconditas quoque hominum mentes intuetur. Rex inde profectus paucis post diebus,

cum quiescere non posset, donec rem exploratam haberet, ut evidentius hinc auspicatam filii sanctitatem cognosceret, cenobium duobus tantum accitis comitibus repetit, non solum diurnis, verum etiam nocturnis sacris interest, ut, quinam forent, qui septena oscula susceperint, exploraret. Post matutina sacra inter monachos 189 insinuatus animadvertit omnes preter eos, qui cumulatissima oscula nacti fuerant, cubicula repetiisse, illos contra in sacello remansisse et in secretiorem quenque angulum secessisse, ut sacros ibi rhythmos deo succentarent ac reliquum spatium noctis in dei laudem absumerent. Hos veluti e specula singillatim adoritur con- 190 salutatique benedixit, ad Maurum demum pervenit septies osculatum, a quo, anne castitatis intemerate compos esset, neque blanditiis neque minis neque quavis alia artificiosa percontatione extorquere potuit. In sequenti die conventum edixit, ut hunc ex in- 191 dustria variis criminibus postulatum periclitaretur. At ille nihil 192 obiectis calumniis respondit haud inscius omnes mortalium animos parere deo, quare facto periculo rex enarrata sui adventus causa Mauri virtutem publice approbavit paucisque post mensibus eum Quinqueecclesiensi episcopatu prefecit.

At illud de Emerico ne sine piaculo quidem subterici potest. 193 Cum Vesprimii esset, antiquam religiosamque divi Georgii edem uno tantum ex amanuensibus accito nocte adiit ibique inter supplicandum ante aram constitutus deum pia obsecratione percontabatur, quid numini potissimum prestare posset, quod illi foret acceptissimum. Edes extemplo ingenti splendore completur et hinc 194 vox divinitus audita: Nil, Emerice, deo virginitate antiquius futurum putes; proinde, ut gratissimam mihi victimam facias, mentis et corporis a te virginitatem postulo; hanc offer et in proposito persta. At ille: Domine deus meus, qui omnia conspicis et huma- 195 nam firmas imbecillitatem, item principibus ac regibus terre dominaris, tuam in me voluntatem perface, perniciosas in me concupiscentias rore misericordie tue penitus extingue. Confirma fragilitatem servuli tui et, ut in tuo servitio usquequaque persistat, a lubricis eum voluptatibus et ab omni labe pro tua clementia redime, ne unquam e tua gratia elabatur. Amanuensem mox admonuit, ne vivente ipso unquam de re hac quicquam proderet.

Post hec pater, ut publice saluti de successore consuleret, 197 Emericum patrandis liberis haud intempestivum digno coniugio obligandum esse censuit ratus neminem regno commodiorem futurum, si viveret, sin minus sanctissimam hinc prolem sperari posse ac regendis Ungaris accommodatissimam. Quare excellentissimam 198 forma et virtute virginem ac regali genere natam huic desponsat pater operamque liberis quandoque dandam edocet, ne legitimus idemque optimus Pannonie regno successor desit. Quamvis hoc 199 haud facile efficere potuit, quando non sine multis eo precibus filium redegerat, ipsum tamen obtemperantissimum et decenti coniugio iam obstrictum nunquam cum uxore rem patrasse, sed maiorem, si dici potest, quam antea, castitatem servasse comperit. Quin 200

etiam uxorem, quam virginem Emericus acceperat, sub coniugalis
 pretextu consuetudinis castissimam sanctissimamque prestiterat ra-
 tus multo fore prestantius virtutum quam liberorum fecunditate pol-
 lere. Cum uxore iuventutem non exegit, quandoquidem virtutum
 cumulum adeptus ex hac continuo vita ereptus est et celesti potius
 quam hac misera mortalium condicione dignus est habitus. 201
 Non gnati fatum, sed malam regni fortunam flet pater, quando il-
 lum ex hoc felicissimum, contra vero id miserrimum auspicator
 spe tanta orbatum. Una tantum fiducia et consolatio paterne ac-
 cesserat orbitati, quod nati, quem inter divos relatum esse non igno-
 rabat, patrociniū apud superos maximum et sibi et suis hinc
 se nactum intelligebat. Post divi Emerici mortem eius uxor integram
 utriusque virginitatem, dum perpetuam viri castitatem testari
 cupit, cogitur profiteri. Amanuensis, quod in Georgii ede viderat,
 post eius obitum publice predicavit et intemeratam testatus est
 castitatem. Quin et Eusebius metropolita Cesariensis publicarum
 die supplicationum hunc in celum elatum se vidisse asseveravit. 203

Auxit huiusce rei fidem ingens memorabileque miraculum, quod
 Ladislai regis temporibus accidit. Corradus enim Teutonum genere
 natus omni facinorum gravitate completus, cum divina quadam gra-
 tia sub tanta scelerum mole resipisceret, urbem Romam adiit, ut
 detecta mentis labe pontificia auctoritate expiaretur imperataque
 supplicia penderet. Cum ante Hildebrandum divi Petri vicarium se
 constituisset, patefacis non sine summa cordis penitentia facinori-
 bus hac pena multatur, qua lorica loco interioris tunice ferre quin-
 nisque catenis ferreis obstringi a lustratore pontifice iubetur. Item
 pugillares dati, in quibus longa facinorum omnium confessio con-
 tinebatur, iidemque pontificio anulo obsignati. Postremo iniunctum,
 ut religiosissima queque orbis sacella divorumque monumenta eo
 usque perlustraret, quo usque illuc perveniret, ubi vinculis ultro
 fractis exolueretur et pugillares reserarentur, qui scelera longo ora-
 tionis ordine complexi minima quaque littera sponte caruissent.
 Ingenti is penitentia correptus monumenta queque sanctissima lu-
 strat neque Hierosolymam pretermittit salvatorisque sepulcrum. 209
 Sancti demum Stephani regis fama ductus in Pannoniam se recep-
 pit, venit ad Regalem Albam, ubi corpus eius in magnifico sacello
 reconditum, et ea quidem mente, ne unquam inde recederet, quo
 usque solutis per se vinculis et deletis ultro pugillaribus se no-
 sceret expiatum, quin et iuramento propositum confirmarat. Basili-
 cam mox Albensem ingressus ante divi regis aram se constituit,
 ingenti rerum a se pessime gestarum penitentia conficit, vehemen-
 tissimis numen precibus sollicitat, ut eius patrociniū scelerum om-
 nium veniam consequatur. Cum a prima hora diei ad nonam us-
 que obsecrationibus incubuisset, corpore animoque defatigatus ante
 aram subinde gravi somno correptus est. Ecce inter dormiendum
 huic divus rex apparet, Surge, mox inquit, amice, ne meis quidem
 meritis opeve apud tribunal dive maiestatis tibi confiderem. Tu
 scito, quando pro tanta facinorum mole patrociniū meum ad imp- 215

petrandam delictorum impunitatem ne tibi quidem satis esse potest. Proinde Emerici mei monumentum, quod iuxta est, adito, qui, cum pre virginitate sua precipuam apud deum gratiam promeruerit, si advocatus adhibeatur, omnium, mihi crede, scelerum impunitate donaberis. Ipse enim ex eorum numero unus est, qui vestimenta immaculata sortitus agnum sequitur, quocumque ierit, et ante thronum dei novum rhythmum succentat assiduo, quare eo propera et opem eius implora. Mox ille somno experrectus ad beati Emerici sacellum confugit, exorat divi numen adolescentis, deinde opinione celerius vincula, quibus erat obstrictus, undique disrupta concrepuere. Pugillares facionorose confessionis nudi rescisso sigillo sponte patuere, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem littera inspicere poterat. Ad catenarum crepitum cum editui ac alii complures convenissent, rogatus vir ille rem ex ordine universam aperuit. Qui tunc aderant, hac rerum insolentia in dei divique Emerici religionem conversi vehementissima omnes huiusce numinis devotione succensi sunt eiusque sacello tantum religionis accessit, ut e remotissimis regionibus huc homines plane confluerent, qui pro gravissimis rebus vota nuncuparent. Cum hec regnante Ladislao accidissent, qui dei quoque cultor erat eximius, tante rei admiratione percitus rex ille optimus pontificum procerumque omnium frequentissimum concilium habendum esse duxit, ut eorum auctoritate gravissima sanctio fieret, qua inter divos Emericus referretur. Quin et omnibus tridua passim ieiunia edixit, mox Novembris corpore urbem lustravit, dicavit Mausoleum ibique reconditum est divinique honores exhibiti, vota quoque frequentissima ibi quotidie suscipiuntur edunturque miracula.

Mater eius obitum aliquanto impatientius tolerabat et graviter angebatur, quod optimum regni successorem amiserat. Sed tamen illud fuit admirabile. Trigesimo post eius mortem die, cum Alba ab Ungaris frequentissime ac sollemnes celebrarentur exequie, non meroris, sed publice letitiae dies ille visus est haud aliter, atque si maximum apud divos patrocinium sibi ac regno omnes sortiri viderentur. Post filii mortem Stephanus eo magis quam antea pro regni successore sollicitari cepit, quo potiore spe frustratus esse sibi videbatur. Quod secum quotidie agitans ad divinam opem, ut ex instituto suo facere consueverat, repente confugit. Assiduis divam virginem precibus exoravit, ut se suumque regnum perpetuo magna mater patrocinio tueretur, cuius tutelae ac potestati se Ungarosque omnes addixerat omniaque suorum studia fortunasque dicaverat. Quin etiam illud sollemne promulgavit edictum, ut omnes diem beate virginis, quo inter divos relata fuit, inter celebratissimos haberent domineque diem appellarent ac cetera eius festa ieiuniis et singulari sollemnitate transigerent, hanc demum peculiarem sibi deam pientissimamque patronam in celo terrisque ducerent. Quin etiam, ut eius numen semper Ungaris querrimum redderet, celeberrimam in Alba Regali basilicam dicavit, ubi regum

corpora reconduntur ibique ex instituto creati regium diadema sus-
 cipiunt. Opus est mirabili sumptu incrustationibus marmoreis re-
 nitens, ubi pavimenta tessellata cernere est, magnificas columnas,
 aras iconibus ac tabulis nonnullas mirum in modum exornatas,
 ex purissimo auro argentove conflatas, item sacella regia ac mo-
 numenta pleraque in Mausoleorum speciem; preterea signa sunt
 quedam et tabelle lapidibus et gemmis exculpte, quin et supra
 mensam Christi acuminata testudo insano lapillorum et auri sumptu
 elaborata; ne varia quidem vasorum genera desunt, multa cry-
 stallina, pleraque myrrhina, onychina multa, ex porphyrite et ala-
 bastro complura gemmata, nonnulla, in quibus nil auro et argento
 vilius intueri licet; de vestibus supellectilique sacra nil dicendum,
 quando cunctarum rerum mira copia, que divino cultui sunt usui.
 Cum peculiarem hanc regum edem esse iuberet, tanta eam immu-
 nitate privilegioque donavit, ut huius antistes nemini episcopo pre-
 terquam pontifici Romano subiiceretur. Quin et regibus ius esset
 expiationis et cuiusvis consecrationis tempore pro arbitratu suo
 episcopum optare ac illuc ad exhibenda sacramenta mittere. Om-
 ni basilicam, qua potuit, liberalitate potestateque donavit presente
 absenteve rege nulli pontifici rem sacram ibi facere ius et fas esse,
 nisi cui rex presolve basilice demandarit, quem prepositum appel-
 lant. Quin etiam populus nulli decimas pontifici preterquam huic
 suoque collegio pendere iubetur. Item nemo rex reginave institui
 regisque insignibus donari poterat sine presulis huiusce presentia.
 Hanc nostra tempestate basilicam aliquo vetustatis situ obductam
 divus Mathias Corvinus non instaurare, sed multo magnificentiore
 sumptu amplificare cepit et fundavit magne are testudinem, quam
 si per vitam absolvere poterit, opus non modo auctore dignissi-
 mum, sed ceterorum prestantissimum fore reputatur.

Item, ne a divina beneficentia, quam sibi indulgentissimam
 nactus erat, ingratitude aliqua destitueretur, Hierosolymis specta-
 bile monachorum cenobium fundavit, qui ad sanctissimum salva-
 toris nostri monumentum sacra quotidie pro publica salute opera-
 rentur, idque prediis abunde donavit. Rome quoque Stephano proto-
 martyri edem dicavit cum XII collegio sacerdotum, item adiecit
 hospitium, ubi Ungari, qui Petri Paulique basilicam viserent, com-
 mode et gratuito excipi possent; utrique villas uberrimosque pro-
 ventus addixit, ne qua rerum inopia laboraret. Constantinopoli quo-
 que templum haudquaquam ignobile statuit pari quoque liberali-
 tate donatum. Multa pietatis et clementie sue monumenta reliquit,
 unde, qualis in omnes et potissimum in pauperes et calamitosos
 fuerit, facile conici potest. Quotidianas egenis ac mendicantibus
 impensas exhibuit, multas noctes transigebat insomnes, ut clande-
 stinas miserabilibus eleemosynas erogaret Christique fideles sua
 beneficentia miseria liberaret. Verum illud referunt admiratione
 dignissimum. Quadam enim nocte celesti percitus instinctu clam
 sine comite e regia prodiit distentos nummorum loculos ferens,
 quos miserrimo Christi popello distribueret. Quo cum venisset sti-

pemque viritim daret, inter petulantes rogatores mox orta seditio, regi per contumeliam ab avidioribus plerisque barba distracta et ne parva quidem ex parte convulsa. At is nequaquam ex hoc succensus, immo solido quodam gaudio agitatus in genitricis edem properavit ac mox ante aram in terram procidens ingentes dive gratias egit. Regina, inquit, celi ac divum magna parens, unica Ungarice patrona gentis, immortales tibi gratias ago, quod me, quem regem esse voluisti, milites tui hoc modo tractarunt colueruntque; si has ab hostibus iniurias accepissem, tuo auxilio ulciscerer. Proinde hinc future felicitatis auspicia capto neque irrita filii tui verba scio fore, cum suis apostolis ne minimum quidem e capite capillum peritum esse recepit. Haudquaquam casus iste pietatis officium interpellavit, immo exuberantiore posthac beneficentia usus est, cui, cum ipse satis esse non posset, familiares, monachos, sacerdotes et occultos quosdam dispensatores adiecit. Cuius quidem rei Guntherus eremita Bohemicus gravissimus testis est, qui principis liberalitate pellectus in Ungariam sepe adiit eiusque monitu cenobium in regione, quam Beel nunc appellant, a rege edificatum ampleque donatum, ubi Gerardum monachum virum quidem religiosissimum contemplativam vitam egisse fama est, quem post regis obitum ad pontificatum evectum fuisse ferunt, sed fluctuante in Pannonia Christiana fide lapidibus obrutum et inter divos relatum affirmant. Nunc ad divum regem revocetur oratio.

Tantum sua in deum pietate prepolluit, ut sub tutela auspiciisque divinis regnum geri experientia declararit. Quadam nocte in somnis e celo admonitus continuo experrectus cubiculo exiliit, Veredarium prefectum legionis evestigio accitum in Transylvaniam ulteriorem Dacie partem properare iubet, ut populos vicalim degentes admoneat imperetque, facultates omnes in oppida munitissimaque loca conferant, cum Bessi, qui Istri ora accolunt, ab omni religione alieni et Ungarice gentis hostes acerrimi regni limitibus immineant. Vix Veredarius mandata peregit ac illi in tutum bona congresserant, ecce barbari immites adventant, agros passim discursant, igni ferroque cuncta vastant, quos inveniant, licet perquam paucos, sine aliqua sexus et etatis ratione trucidant. Desides tantum aliquos invenere iique socordie sue luere penas et, nisi hoc monitu suis rebus ipse prospexisset, iam de Transylvania fuisset actum. Item alia successere bella, que divina benignitate prospere gessit.

Ab anno salutis secundo supra millesimum inter Stephanum et Giulam avunculum intestina bella exoriuntur. Is enim nepotem Christiana fide initiatum et a Scythica religione desciscentem iniquissimo animo ferebat, quare non solum verbis sepe regem acerrime corripuerat, verum etiam armis lacessere nitebatur, ut ad patrias hunc cerimonias revocaret. Ubi verbis se nihil proficere posse intellexit, a Transylvanie montibus, cui preerat, Ungariam quotidianis incursionibus et rapinis infestat. Contra rex pientissimus, ne cum suo sanguine manum conserere cogeretur, per legatos et

tetiales admonuit obsecravitque sepissime, ne in Scythica feritate persisteret, verum deum et servatorem suum agnosceret; omnis tamen opera eludebatur. Proinde hunc Ungaris quotidie insultantem et varia detrimenta inferentem armis coercere cogitur. Comparato ne mediocri quidem exercitu in Transylvaniam contenditur, paucis mensibus universa capitur. Giulia cum uxore duobusque liberis postremo captus in Pannoniamque ductus. Pretiosissima regio et auri, vini, frumenti, pecorum omniumque rerum feracissima ex eo tempore Ungarie regno est adiecta. Populi omnes, qui eum Dacie tractum incolebant, partim vi, partim sponte in Christianam fidem asserti sunt. In avunculi regia ingens auri et argenti copia deprehensa facinorosissime comparata, ex qua basilicam Albe prestantissimam rex erexit, que cum sepe incendio fuerit obnoxia, hinc publica nata est opinio et explorata fides templum idcirco diro sepe incendio laborasse, quia ex pecunia scelestissime parta fuerit edificatum. Giulia cum liberis et uxore inviti orthodoxam fidem subiere, baptismate expiati a rege vinculis liberati sunt et pro dignitate tractati.

Paulo post ingens e Bulgaris Sclavorum genere natis bellum exoritur, quippe qui inferiore Mysia quondam potiti, que ultra citraque Istrum ad Euxinum usque Pontum effunditur, nunc iidem Cea duce finitimos adoriuntur, predas abigunt ingentes et atrocissimi ac incursionibus late vagantes pro viribus cunctos infestant, nunc Transylvaniam, nunc Ungariam diripere contendunt. Ad cercendam horum audaciam magnum ubique delectum rex habere cogitur, nam non solum hostes numero roboreque potentes, verum etiam locorum difficultate munitioneque inaccessibiles aditurus erat. Comparatis igitur magnis copiis inferiorem Mysiam ingreditur, durum hostem invenit, sepius manu equo Marte consertum. Bulgari tandem novissimo prelio terga vertunt lateque funduntur fuganturque. Ceas eorum princeps in pugna cesus castraque direpta, e quibus tanta preda acta est, ut nemo spoliis hostium inoneratus abierit, tantaque auri, argenti ac lapillorum inventa copia, ut, quicquid multis illi bellis congesserint, uno prelio amiserint. Et, cum pugna in ulteriori Dacia, quam Transylvaniam dicunt, gesta fuerit, ditissime regioni prefecit proavum, quem Zoltam nominabant. Hostilis preda non in usum humanum, sed divinum conversa; aurum et argentum cum gemmis in cruces, calices, phialas et vestimenta pontificia erogatum, unde tot templorum ornamenta confecta sunt, ut ne minima quidem Pannonie edicula expers tam pie fuerit prodigalitatibus. Et basilice presertim Albensi donativa duo dicavit, que rationalia nunc appellant, horum utriusque oram cernere erat e septuaginta obrusse pondo sane constantem, ubi lapilli late discintillabant. Que cum Benedictus pontifex maximus spectasset, eo donanda privilegio censuit, ut, quicumque in sacris faciendis his uteretur, coronandi regis Ungarie integram sibi potestatem inesse sentiret. Multa huic ornamenta a Gysla sunt adiecta, ut nemo hec sine maxima admiratione spectare queat.

Preterea, cum ante beati Emerici mortem Bulgaricum bellum 276
 gestum esse tradatur, ad Budam veterem Germanicam quondam le-
 gionem et Antonini ac Severi temporibus ad coercendos barbarorum
 impetus ibi collocatam, quam ante Bude appellationem Si- 277
 cambriam nominabant, rex et regina cum filio venerunt; ubi, cum
 nullum veri dei templum conspicarentur, in quo pia sacra opera-
 rentur, exedificandum ampleque donandum continuo cenobium cum
 ede censuere, quam divo Petro Pauloque dicarunt. Artifices om- 278
 nes e Grecia acciti, ut opus memorabile facerent; statuarii ac pla-
 stici undique magna mercede conducti. Ut magis ferveret opus, 279
 Stephanus et Gysla Bude constiterant, verum, cum hic operi, sig-
 nis, tabulis ac ornamentis illa incumberet, neuter voti compos esse
 potuit; nam, cum ante mortem ipsorum perfici nequiverit tanta 280
 moles, a Ladislao tandem rege sanctissimo pronepote suo consum-
 matur. Perpetuum divo Stephano institutum hoc fuisse ferunt ter 281
 quotannis basilicas et cenobia, que fundarat, revisere solitum, ad
 aras primum omnes pias preces et sacra fecisse, ut magnis nu-
 minibus supplicia debita exsolvere videretur; deinde singillatim tem- 282
 pla lustrasse, ne qua quicquam negligentia collaberetur; si quid
 vitii imminentisque ruine tectis et parietibus intuebatur, extemplo
 instaurasse; peculiare semper loculos a latere circumtulisse ex his- 283
 que propria manu mendicantibus et egenis erogasse pecuniam;
 Emericum quoque regali habitu indutum, cum templa cum patre
 lustraret, ante aras se continuo exuisse, ut altaria excoleret. Pari 284
 quoque studio Gysla utebatur, cui nihil erat antiquius, quam cum
 viri probitate certare, sacras vestes et ornamenta sacerdotum dili-
 gentissime recognoscere, ut absumpta reficeret aut lacerata resarciret.

Vivente Henrico principe sanctissimo paribus utrinque studiis 285
 pax longe lateque servabatur omniaque apud Ungaros e sententia
 gerebantur. Post, ubi imperator ille optimus inter divos relatus est, 286
 Corradus natione Suevus, item Corradi Varmaciensium ducis filius,
 qui Othonis tempore in Ungarico bello occubuerat, ex Gallica ma-
 tre natus matrona quidem nobilissima et Henrici tempore prefec-
 tus equitum Cesar designatus in imperio non in probitate succes-
 sit, quippe qui institutam pacem utrique genti apprime salutarem
 interceptit. Hic cum adventum in Italiam tribus ferme annis distu- 287
 lisset, Italie principes ac populi inita coniuratione se in libertatem
 asseruerunt adventurumque Corradum armis inhibere adoriuntur,
 quare non sine validissimo exercitu Italiam adire coactus est. Ex quo 288
 quidem tempore illam Gregorii quinti Othonisve primi sanctionem
 in imperatores olim promulgatam primum observatam legimus, qua,
 quicumque Cesar in Germania declaratus Italiam aditurus erat, ut
 a Romano pontifice Augustali coronam donaretur, duas prius in iti-
 nere, unam Modonetie ex palea, alteram Mediolani ex ferro confec-
 tam a metropolita consequi iubebatur. Cum Mediolanenses sibi in- 289
 festos invenisset, qui Heliprando tunc duce regebantur, urbem ob-
 sedit, suburbia incendit, obsidionem tandem Coloniensis metropo-
 lite consilio haud aliter ac divinitus admonitus solvere coactus est,

quoniam inter sacrificandum divum sibi Ambrosium apparuisse asseverabat extremum Germanis excidium interminantem, si urbem suo numini dicatam dicto celerius non relinquerent. Romam profectus cum universo exercitu a Ioanne decimonono pontifice maximo auream est coronam et Augustalia insignia rite consecutus. Italiae principes, qui Sclavorum et Ungarorum potissima auxilia implorant, dum pre illorum cunctatione et imperatoris viribus sibi diffidunt, mutato consilio omnes ultro gratissima illi obsequia deferunt.

Pacata is Italia in Germaniam rediit; qui rebellantibus Italibus auxilia magna promiserant, re detecta cognovit omnes. Ungaros et Sclavos potiores audivit; ne difficulter quidem hec credere cogebatur. Nam, cum populos utrosque in Christianam fidem nuper assertos nosset, facile ad defensandum Christiane reipublice caput postulatis impensius auxiliis coniurasse putabat divumque Stephanum, quem Christianissimum intelligebat, apostolice sedis gratia, que tantis eum honoribus et immunitatibus excoluerat, omnia moliturum arbitrabatur. Hinc belli causas promanasse ferunt, plerique defuncto Henrico concordie ac pacis auctore ingenita Germanorum Ungarorumque odia diutius contineri nequivisse prodiderunt; quare prius in Sclavos, deinde in Pannonios Corradus castra movit. Totamque Bohemia, Polonia et universa fere Sarmatia sub Sclavorum nomine continetur; nam eadem his omnibus lingua est. Bohemorum igitur et Polonorum motus uno alterove prelio repressit et ad obsequia grata redegit, sed cum Boleslao Polonorum duce, ut auctor est Otho, cum regni sibi nomen usurpare contenderet, quod sub Henrico occeperat, magna prius bella gessit eumque subegit. Item et Mesconem filium eadem paterno more molientem, qui eiecto Othone fratre se regem appellarat, Polonia eiecit Othonemque restituit. Deinde in Ungaros haud facili bello domitabiles itum.

Stephanus, ubi Corradum cum universis Germanie viribus Pannoniam irruere intellexit, pontificum procerumque omnium repente concilium habendum esse censuit; quantum a Germania periculum instaret, edocuit. Habuit delectum, quam nunquam antea, longe maiorem; pontifices, sacerdotes, item sacri et profani omnes pariter arma capessenda decernunt, quo facilior resistendi copia daretur. Cum potentissimo hoste rem esse intelligunt. Postquam comparato validissimo exercitu castra habere cepit, divinum imprimis auxilium his breviter imploravit, quamvis in exorandis placandisque numinibus die noctuque nunquam cessare videbatur: Si placet tibi, regina celi et Ungarici patrona soli, hoc regnum hereditario iure tibi legatum igni ferroque ab hostibus vastari et plantatam nuperime Scythicis pectoribus fidem filii tui continuo extirpari, ne mee, queso, desidie, sed numini hoc tuo tribuatur. Si quid regis culpa patratum est, cui plebem tuam commisisti, ipsum, te precor, penas luere patiari, innocentibus parce, novam hereditatem tuam pro solita benignitate tuere. Mox effusus in lacrimas et dive genitricis numine confirmatus in Germanos signa moveri iubet, cum nunquam fidelibus pia numina desint. Res non tam commemoratione

quam admiratione dignissima pridie eius diei, quo in hostium con-
 spectum futurus erat, accidisse dicitur. Tesserarius nanque per omnia
 militum contubernia et tentoria quidam discurrit, qui imperatoris
 edicto Germanum quenque solutis castris domum repetere iubet. In
 sequenti nocte ante lucem Corradus soluta castra comperit, videt
 domum quenque festinare; rei novitate percitus causam disquirit;
 omnes uno ore referunt tesserarii voce missione donatos; accitis
 tesserariis neminem invenit, qui missionis edictum circumtulert.
 Mox Corrado Stephani sanctitas explorata succurrit, cuius gratia
 celestem internuncium sub tesserarii specie castra solvisse reputavit,
 ne sancti regis populus oppugnaretur, ne qua inter seniores
 iunioresque Christianos seditio defectione suboriretur. Approbavit
 divine missionis edictum imperator instaurataque pace in Germaniam
 se recepit cum gravissima asseveratione pollicitus se Pannoniis,
 quos sub divina tutela esse intelligebat, perpetuo manus abstenturum.

Rex autem evestigio, cum dive genitricis patrocinium laboranti
 sibi sueque Ungarie affuisse conspexerit, humi prostratus clementissimo
 numini gratias egit et per cunctas aras Pannonice deae sacrificari
 passim edixit. Deinde eo ardentius pro explorata divinae clementie
 gratia in dei caritate permansit, quem in partiendo tempore tali
 usum institutum fuisse ferunt interdum dicendo iuri ac regalibus
 officiis et negotiis incumbere, noctes omnes fere insomnes ducere,
 in divina contemplatione versari, cum assiduis lacrimis pro publica
 et privata salute supplicare, piis precibus equiora numina reddere,
 in divinam quandoque contemplationem usque adeo rapi, ut humo
 subtractus in aere pendere videretur. Nam, cum in remotam quandam
 basilicam secessisset numinis exorandi causa, distentis circum
 tentoriis noctem transegit; qua quidem intempesta, cum in
 tabernaculo ad contemplandum suscitaretur, usque adeo in divinitatis
 contemplatione ereptus est, ut corpus evectam in aere mentem
 subsequeretur. Quin et tabernaculum, ne vehementissimam contem-
 plationem interciperet corpusve inhiheret, ne cum animo in aera
 raperetur, ipsum quoque simul tractum in aere diu pependisse tradunt.
 Cum patefactum cuidam sancto viro miraculum intellexisset, mox
 eum admonuit pariter et interminatus est, ne quid de hac re se
 vivente proderet. Fama tamen regie sanctitatis ea late diffusa
 vagabatur, ut e remotissimis multi oris ad venerandum hominem
 plane confluerent.

E Bessis Bulgarisque, quos gravi bello domitarat, sexaginta
 circiter viri ac iidem non ignobiles eius fama succensi ad adorandum
 regem in Pannoniam iter iniverant. Carros multos ducebant, quibus
 magnam auri et argenti copiam ceterasque fortunas imposuerant,
 ut non modo eum perrevererentur, verum etiam inter regia servitia
 perpetuo se insinuarent. Cum Pannonie fines attingissent, plerique
 sceleratissimi tribuni cuiusdam famuli auri cupiditate tracti ex
 insidiis hos adoriuntur, multos trucidant, exanimes aliquos relin-
 quunt, ceteris fuis fugatisque onusta plaustra diripiunt num-

matique in sylvas se recipiunt. Qui ex hac Bessorum societate su- 318
perfuere, ad regem tandem perveniunt, illatas sibi cedes et latro-
cina, item peregrinationis causam ex ordine referunt. Rex miseros 319
consolatus confestim et clam tribunum per apparitorem cum uni-
versa familia ocissime ad se venire iubet; quod nisi continuo fecerit,
perduellionis penam indicit. Tribunus mox edoctus coacta familia 320
opinione celerius advenit, ante conspectum regis famulorum agmen
explicat. Cum male mentis conscii vultu facinora proderent, que 321
nuperrime patrarant, Cur, inquit, contemptis numinibus et divina
lege preter ius et fas, diri grassatores hospitum sanguine manus
infecistis? Cur in humanum genus et in eos, qui vere sapientie 322
cupiditate peregre iter faciunt, tam impie sevivistis? Cur viros in-
nocentissimos morte multastis? Proinde, sicut in alios a vobis ac-
tum est, ita et vobiscum nunc in conspectu meo deus aget. Mox 323
capitales eos pronunciavit. Ad omnes regni aditus singula horum
paria, quando multi fuerunt, crucibus affigi iussit, ut liberum per-
egrinis iter in Pannoniam quondam hospitabilem omnibus fore si-
gnificaret. Quare factum est, ut, quoad vixerit, ne minimum quidem 324
latrocinium in Ungaria posthac patratum senserit. Hoc enim se- 325
veritatis exemplo ita facinorosorum audaciam coercuit, ut nemo per-
egrinis manum iniecerit. Eos vero, qui lesi et spoliati fuerant, non 326
solum indemnes, verum cumulatissime donatos et voti compotes
prestifit.

Paucis post annis, quando virtus adversitate perficitur et, quos 327
deus diligit, corrigit, ut aiunt, et castigat, cum magno rex dolore
torqueretur, quod Emerico orbatus nemo sibi nepos et cognatus
erat, cui regnum et Ungarice fidei conservationem tuto committeret,
cumque intelligeret Scythicam gentem intermissa divini cultus fidei-
que custodia in pristinam insipientiam continuo recasuram, varios
ex hoc morbos subire coactus est. Emericum ab anno salutis XXXI. 328
supra millesimum extinctum aliqui scripsere. Ipse tanto corporis
languore correptus est, ut ne pedibus quidem stare posset, quare
aliquanto remissius regnum gerere videbatur. Hinc proceribus quat- 329
tuor, qui adhuc profana cordis perfidia laborabant, suscitatur auda-
cia consiliumque adoriendi regis ineunt rati morte regia se non
modo Ungaros in pristinam immanitatem revocatuos, verum etiam 330
tyrannidem facile assecutuos. Ex composito ex his unus imminente
vesperi, antequam lucerne adhiberentur, tecto gladio in cubiculum
regis clam ingreditur. Dum cauto gradu, ubi ille recumberet, inter 331
tenebras percontaretur, nescio, qua gladius incuria decidit frago-
remque non parvum edidit. Rex inquisita statim casus huiusce 332
causa, quamvis divinitus admonitus non ignoraret, emissarium ta-
men advocat. Quid sibi velit, interrogat. At ille mox ingenti pen- 333
nitentia et ingenua confessione correptus rem universam prostrato
ante pedes corpore reteggit, amplexus genua multis veniam lacrimis
precat. Rex eius obsecratione victus concessa impunitate dimisit. 334
Eius edicto in coniuratos subinde quesitum, de quibus re com-
perta pene legitime sunt exacte.

Ingravescente in dies egritudine inopinata febris incessit, quam cum sibi vitam propediem correpturam intelligeret, pontifices ac proceres omnes acciri iubet, ad quos imprimis de rege eligendo, deinde de fide conservanda retulit; quin et pientissima omnes admonitione instituit, ut initam salvatoris nostri fidem pertinacissime retinerent, colerent iustitiam, concordiam simul et pacem amarent, mutua inter se caritate certarent nihilque ducerent antiquius quam in Christiana fide versari, eam sanctitate armisque tueri, malle mori quam falsa vanaque numina colere; ab humano sanguine, item furtis, latrociniis et omni denique vi manus abstinerent; divina precepta summo studio observarent, ita demum viverent, ne quid deo carius haberent, operamque pro virili quisque sua semper darent, ne qua deum hominemque capitali iniuria lederent; cum finitimis quiete viverent et regum edicta pontificumque decreta prestarent. Ad postremum basilicas et universa collegia sacerdotum, item regnum animamque suam cum universa fidelium multitudine profusis lacrimis et elatis in celum manibus in contione dive genitrici perpetue virgini ac unice Ungarorum domine deoque instantissime commendavit. Instabat dies auguste virginis, quo inter divos relatam dicimus; hunc novissimum vite diem sibi Stephanus ex voto preoptarat et cum summa contentione a numinibus implorarat, ut pari cum ea die in celum referri videretur. Compos tandem voti inter celum pontificum et sacerdotum coromanque procerum sacris rite peractis a salutis anno trigesimo quarto supra millesimum, regni vero XXXVII. animam efflavit ab omnibus perpetuo desiderio deploratus. Ad celebrandas divi regis exequias non solum ex universa Pannonia Daciaque, verum etiam e finitimis populis multi convenere, ut singulari pompa funus efferretur. Corpus succollantibus pontificibus supremisque magistratibus Albam delatum; cum nondum dive genitricis basilica rite sacrata foret, metropolita cum pontificibus et collegiis sacerdotum prius eam ex more dicarunt; mox in medio templi marmoreo sepulcro condidere riteque inter divos retulere. Vix condito corpore innumera ad eius aram multitudo confluit vota nuncupantium, graviter languentium; multi tamen cunctis mirantibus voti compotes deoque gratias concinentes rediere. Complura diu miracula ad eius aram edita; ibi angelorum concentus nocte sepius auditi. Sed, priusquam ad cetera flectatur oratio, illud interiiciendum censeo, quod de substituendo rege Ungarici annales referunt a ceteris scriptoribus pretermissum.

Cum paulo ante mortem Stephanus successoris cura admodum sollicitaretur, ne quis a suo sanguine alienus regnum obiret, Budam Egruthi filium extemplo Nitriam properare iussit, ut Vazulem patruelis sui filium, quem propter etatis sue lasciviam in vincula coniecerat, continuo liberatum ad se duceret, uti eum, antequam vita decederet, regem Ungarie declararet. Quod ubi Gysla cum Buda scelestissimo consilium iniit, quonam modo regis mentem interciperet neque Vazul, sed Petrus Stephani ex

sorore nepos et Guilielmi filius Alemanico genere natus regnum
 assequeretur. Quare Sebum Bude filium Nitriam premisit, qui 347
 nomine regio Vazuli effoderet oculos et infuso aures plumbo
 compleret ac patrato demum facinore fugeret in Bohemiam. Sebus 348
 Budam precedens Nitriam contendit, dira regine mandata peragit.
 In sequenti die Buda advenit, Vazulem exertis luminibus et ob- 349
 structis auribus invenit atque immaniter tractatum potissimisque na-
 ture adminiculis defraudatum ad regem duxit, quem ita deforma-
 tum ubi rex aspexit, in profusissimas repente lacrimas conversus
 est. Quare adaucta egritudine confirmatoque dolore in effeta 350
 iam etate neque de facinorosis hominibus penas exigere neque
 vitam ultra prorogare potuit. Sed mox Calvi Ladislai filios patrum 351
 quondam sui ad se iubet acciri, quorum unus Andreas, Bela alter
 et tertius Leventa dicebatur. Hos admonet dicto celerius Bohemiam
 Poloniamve petant, insidias evitent fugaque salutem sibi com-
 parent, quando ipse imminente morte neque eos tueri neque ma-
 lorum audaciam et obstinatam regine mentem coercere potest. Re- 352
 gis imperio iuvenes obtemperant, se ocissime dolis expediunt clande-
 stinumque iter in Poloniam ineunt. Admiranturque plerique, quod 353
 Ungarorum annales referunt, Gyslam tantum facinus fuisse ausam,
 cum omnes plane scriptores sanctissimam mulierem et divo rege
 ac fratre imperatore non indignam affirmant. Quare, si utrorumque 354
 scripta tueri volumus, duas uxores Stephanum duxisse cogimur
 affirmare et utriusque Gysle fuisse nomen, unam eamque sanctis-
 simam Henrici sororem, alteram vero Guilielmi filiam, qui sancti
 Sigismundi frater fuit et e Burgundiensium ducum familia prodiit,
 atque diversis utranque moribus fuisse asseverabimus, nam et Cor- 355
 radus imperator Gyslam quandam Caroli Magni genere natam
 uxorem nactus est, que et Rodulphum Burgundie regem habuit, et,
 antequam Corrado imperatori nuberet, Ernesti Suevie ducis et Al-
 berti fratris, qui Austrie dominabatur, fuit uxor, ex quo Ernestum
 Hermannumque filium suscepit. Sed ad diverticulum revertamur.

Eius corpus, antequam pontificia sanctione vel divina potius 356
 declaratione extolleretur, annis quinque ibidem iacuit et quadra-
 ginta. Demum, postquam Ladislaus vir deo devotissimus regno 357
 potitus est, id auctoritate apostolica sancitum et ita diploma in Pan-
 noniam missum est, ut, quicumque primum in Ungaria Christiane
 fidei fundamenta iecerint, ne legitimo honore defraudentur, omnia
 eorum corpora in glorie speciem sollempni celebratione ostentaren-
 tur, ut hinc inter divos relatos esse credant. Accepto diplomate 358
 Ladislaus eius pronepos habito optimatum antistitumque conventu
 tridui cunctis ieiunium indixit omnes hortatus, ut precibus, inedia,
 supplicationibus, eleemosynis auspicia divina captarent, quibus
 divinam voluntatem intelligerent. Exacto ieiunii tempore ad divi 359
 regis tumulum perventum est, cuius lapidem, cum amovere con-
 tenderent, nulla vi loco movere potuerunt. Hoc eo tempore 360
 tentum intercessit, quo exorta inter Ladislaum et Salomonem fra-
 rem seditione alter alterius iussu gravi carcere coercebatur. Con- 361

tus ingens regem frustratus in admirationem summam adegit ac tali ostento deterrebat omnes, qui iratum numen auspicabantur. Tunc virgo quedam Charitis nomine appellata, que haud procul a basilica in servatoris ede sanctissime vivebat, repente Ladislaum admonuit eum frustra conari neque lapidem e tumulo dimoveri posse, quo usque frater carcere educeretur. Rex sacre virginis oraculo adronitus Salomonem e vinculis continuo expediri iubet, tridui ieiunium iterum indicit, tertio die sacris rite peractis spectante frequentissima populorum multitudine ingens lapis facillime ablatu est. Corpus divi regis tumulo eductum et acclamantibus omnibus per basilicam circumlatum, mox pro dignitate reconditum, evidentissima subinde numinis benignitate tot edita miracula, ut nemo corpore mancus aut egritudine languens voti impos abierit. Ibi in tanta multitudine cernere erat ambulare claudos, cecos instauratis luminibus videre, mutos loqui, leprosos paralyticosque curari, nutantes in fide animos confirmari, omnes denique corporis et mentis egritudines abigi. Quin et juvenis, qui annis circiter XII paralyti solutus manuum ac pedum carebat officio, carruca huc advectus implorato numinis auxilio repente desiluit ac deo gratias agens Stephanique laudes proclamans ad aram per mediam multitudinem repente cucurrit. Puer septennii nervorum contractione correptus ad sepulcrum allatus distentis mox brachiis ac pedibus expeditus incessit.

Ladislaus autem rex tot miraculorum successu in stuporem conversus medie are imposuit sacelloque elaboratissimo donavit. Iam dudum tanti numinis sic fama percipuit, ut ex omnibus Ungarie finibus languentium agmina festinarent. Ex his, qui gravius laborabant et cunctantius venire cogeabantur, divum regem impensius exorantes in itinere convaluere et in testimonii speciem ibi lapides in acervos plane congesserant. At illud fidem exuperat; mulieri unicus erat puer, qui repentina morte correptus animam efflavit. Mater numinis patrocinio freta immenso cordis affectu extinctum filium in sancti regis ediculam defert et ea quidem mente se nunquam loco moturam, donec ex volo in puerum animam revocaret. Ne audacem quidem mulierculam fides et spes ipsa fecellit: sacellum ingressa tam vehementi obsecratione numen exoravit, ut spectante frequentissima hominum turba mulieris orbitatem deplorantis puer humi porrectus subsilierit et in matris amplexum se effuderit. Quanta hinc divo regi gloria successerit et quantum omnes preter opinionem stupor invaserit, pro se quisque facile cogitabit.

Item post virginis auguste anatheosin die quinto omnes Ungarie principes, preterea pontifices sacerdotumque collegia cum Ladislao rege religiosissimo Albam convenere, ut in basilica sollemnia facerent et pro mortuis parentarent. Celebratis mox inferiis ad sancti regis monumentum perventum est, quod ubi regio iussu prerverenter exorato prius numine reclusum est, tanta odorum fragrantia hinc effluxit, ut universam basilicam veluti celesti quodam

rore completeret. Deinde, cum ossa tractarent, balsamo quodam deli- 377
 buta et humecta comperere. Lectis subinde ossibus et in sindone re- 378
 conditis anulum aureum vetus eius gestamen in liquore disqui-
 rere ceperunt, quem cum nulla percontatione in arca marmorea
 indipiscerentur, de hauriendo liquore cogitatum. Is, ubi exhauriri 379
 ceptus est, completis plerisque phialis ac doliis nunquam penitus
 exantlari potuit. Nam ad singulos haustus vi numinis ille liquor
 reparabatur. Quod ubi comperitum est, quod fuerat exhaustum, con- 380
 tinuo reconditis ossibus infudere et post infusionem liquor ille
 neque crevisse neque decrevisse visus est. Ex invento ibidem the- 381
 sauro dive virginis ara instaurata. Quin et paucis post temporibus
 eximii principis uxor, cui Mathildi nomen erat et intestinorum
 dolor tribus annis incesserat, huius fama commota in Ungariam
 peregrinatur atque adito sacello mox penitissimo cruciatu liberata
 est. Sed ad dextre anulum redire cogimur.

Mercurius Ungarico genere natus et Cathipani Alberti prepo- 382
 siti pater ac basilice Albensis edituus, qui vite quondam politice
 renunciarat, ut religioni expeditius inserviret, cum Ladislaus rex
 imperasset tumulum aperiri, ne quid e sancti regis reliquiis subtra-
 heretur, cum plerisque aliis, qui sepulcro inheserant, regio iussu
 procul amotus est. Is tristi vultu repulsus abiit et, cum mona- 383
 chus esset, in sacrum chorum se recepit, ubi cum pudore suffu-
 sus graviter angeretur, quod sanctissimum corpus neque videre
 neque oculis attingere potuisset, ecce iuvenis quidam intempe-
 nocte coram adstitit forma incredibili, liberali facie candidissimo-
 que habitu, nescio, quid bysso involutum deferens, Accipe, inquit, 384
 Mercuri, quod optasti, et donum hoc pretiosissimum, quod tue
 fidei committitur, commendatissimum habeto, asservato diligentis-
 sime et, cum tempus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris rite 385
 peractis Mercurius petita latebra rem traditam explicat, sancti regis
 dexteram et anulum invenit iuxtaque admiratur ac numini gra-
 tias agit. Is ad Carpati montis radices secessit, qui Transylvaniam 386
 ab Ungaria dirimit olimque Ripensem citerioremve Daciam ab ul-
 teriore et Transalpina dividebat, ubi cenobium quoddam ligneo
 opere confectum gubernaturus erat. Tanto dexteram studio asser- 387
 vabat, ut neque sibi neque alii credere auderet. Terre committere
 satius esse ratus infodit et quotidianas ex monachis excubias in-
 stituit, ne quo modo surripi posset. In dies promendi tempus dari 388
 expectabat, quin et huiusce rei cenobii auctores admonuit, ut pari
 studio curarent. Demum id ex ordine Ladislao regi, quem virum
 sanctissimum esse intelligebat, aperuit. Mox regis edicto pontifi- 389
 cum optimatumque conventus habetur, ubi sollempnis dies regie
 dextre extemplo decernitur. Deinde cum universo Ladislaus colle- 390
 gio sacerdotum dextram divi Stephani reconditam ostendit basi-
 liceque intulit, quam magno deinde sumptu ac ditissimo apparatu
 instauravit multisque pagis, oppidis et proventibus donavit. Id au- 391
 tem salutis anno supra millesimum septuagesimo octavo accidisse
 illius cenobii scripta et privilegia sane testantur abbatiamque

regie dextre nunc appellant. Cui tempestate nostra Antonius Salo- 392
 nensis vir magno ingenio ac sacris litteris non mediocriter erudi-
 tus profuit et privilegia, unde hec accepimus, nobis ostendit. Sed 393
 illud omnes ne satis quidem admirari poterant Stephani corpus
 in pulverem redactum nil preter ossa superesse et ea quidem carie
 iam absumpta, contra vero dextram anuli gestamine preditam
 integram permansisse neque vermibus neque livide fuisse obnoxiam
 vetustati. Quanam causa potius dextra quam caput et cor deo 394
 dicatissimum se a carie vendicare debuit, nempe, quia dextera pie-
 tatis et misericordie fuerat, que e peculiaribus oculis calamito-
 sissimo cuique eleemosynam quotidie erogabat, illud omnes mira-
 culum accidisse confirmant. Quis enim illud e divino servatoris 395
 nostri ore promanasse infitiabitur: Beati misericordes, quoniam
 ipsi misericordiam consequentur. Merito igitur manus illa corrup- 396
 tionis expers esse debuit, que neminem mendicare, esurire in cap-
 tivitatemque aut quavis miseria iacere perpessa est. Proinde divum 397
 Stephanum ne iniuria quidem primum patrie patrem omnes una
 voce congeminant et prevenerantur. Eius obitum incendia multa, 398
 terremotus ac varia portenta secuta sunt, item decimo Kalendas
 Iulias duo soles in celo visi neque fames et pestilentia defuit bel-
 lorumque calamitas.

Henrici Stephanique temporibus, varia quoque in Italia gesta 399
 sunt. Guilielmus quidam natione Normannus Ferrobracchius ex
 cognomento dictus ne mediocrem quidem Etrurie partem cum tota
 Flaminia possedissee dicitur. Huic Trancredus pater fuit, fratres 400
 vero XI Samus, Gothfredus Roberti pater, Drago, Trancredus, Gun-
 fredus, Malogerus, Robertus cognomento Guiscardus, Rogerius,
 Alberedus, Gothfredus et Frumentinus. Trancredum e comitibus 401
 Lombardie promanasse ferunt. Guilielmus cessantibus Italie moti-
 bus cum Molocho Greco Apulie Calabrieque provinciam Constan-
 tinopolitani imperatoris nomine gerente, item cum Salernitano Ca-
 puanoque principibus fedus inuit, ut expeditionem gloriosam adori-
 antur, Siciliam diu a Sarracenis occupatam a profana barbaria
 vendicent ac demum predam insuleque imperium, si e sententia
 res evenerint, tripartito dividant. Quattuor exercitibus ex composito 402
 adoriuntur ac cesis captivis hostibus insula tota potiuntur. In preda 403
 quidem a Molocho servata equitas, sed in dominatu pretermissa,
 quando ex Grecis tantum oppidis presidia et magistratus im-
 posuit. Conceptum hinc stomachum Guilielmus dissimulat, cum 404
 utroque principe in Calabriam se recipit, dimissis deinde sociis
 cum proprio exercitu in Apuliam divertit obsidetque Melphiam
 eamque facta deditioe capit. Molocho accepto nuncio statim 405
 affuit et, dum pro portis et menibus castra locat, facta a Guilielmo
 eruptione cum universo fere exercitu ceditur imprudens. Quare 406
 magna confestim provincie parte potitur hostis. Cum anno salutis
 secundo supra millesimum Germani Henricum Bavarie ducem Ces-
 sarem declarassent isque Gallorum et Metensium bello remoraretur,
 ecce Sarraceni Sicilia exacti duplici classe per Superum In-

ferumque mare Italiam repetunt. Hinc Capuam occupant, hinc Ba- 407
rum obsident, cui nisi ab Urseolo duce Veneto et Gregorio cati-
pano, quod magistratus imperialis nomen est, fuisset tumultuaria 408
classe subventum, iam de urbe foret actum. In sequenti anno Turci
Palestina potiti Hierosolymam capiunt atque dominico sepulcro,
item ceteris basilicis finitimis manus divino numine abstinent. Ad- 409
rienses etiam cum Venetias infestarent, apud Lauretum, qui Padī
Atesisque ostia vicus interiacet, ab Othone Urseolo magna clade
superati. Defuncto Guilielmo Drogo frater Apuliam occupat, sed a 410
catipano ab imperatore misso paulo post eiicitur. Capua Henrici
pii opera a Sarracenis liberatur, ut supra retulimus. Verum impe- 411
rante Corrado, qui successit Henrico, cum Normanni Grecique Apu-
liam tenerent, inter Aufidum anem et Oliventem urbem magnis
viribus de regionis imperio dimicant, demum cedentibus Grecis
Normanni victoriam adepti sunt. Item anno XII. supra millesimum 412
Colomannus vir sanctissimus in Stocheravensi oppido e suspendio
martyrii coronam nactus est ibique sepultus, sed in sequenti anno
a Megigando Ebestatensi episcopo in Medelicham honorifice trans-
latus. Item Ernestus Suevorum dux ab Albertino comite inter 413
venandum sagitta confossus interiit, orto inter Corradum divum-
que Stephanum bello Ernestus, qui a Corrado defecerat ad dediti-
onemque redierat, una cum Verardo comite in Alemania ceduntur.
Rodulphus Burgundie rex cum Corrado imperatori regnum com- 414
misisset, quod ipse a suorum seditione tueri desperarat, ex eo tem-
pore Burgundia in ius imperii concessisse visa est, quam, cum
invisus adisset, totam ferro ignique vastavit. Quo quidem tempore 415
sol ingenti defectu laboravit ac Sarmate Christiani nominis ignari
cum Germaniam invasissent, Viribinam urbem frequentissimam in
Saxonum finibus sitam magna civium strage occuparunt, sed ab
imperatore exacti mox victi vectigalesque facti sunt. Corradus 416
autem anno salutis XXXVIII. supra millesimum haud multo post
regem Stephanum, imperii vero quartodecimo diem pulcherrime
clausit.

LIBER II.

Postquam Gysle opera et arte Petrus sanctissimi regis e sorore 1
nepos orbato luminibus Vazule regno potitus est, eo insolentie eve-
ctum ferunt, ut non tam ex genere quam feris Teutonum moribus 2
cuncta gessisse videretur. Se nanque e rege creato intolerabilem
tyrannum exhibuit neque divi avunculi vestigia sectari neque regie 3
maiestatis officium cum decore servare studuit. A principio nobi-
lissimum quenque habere ludibrio, intumescere superbia plus quam
barbara, Alemanis plus equo credere, gerere cuncta eorum arbi-
trio, suos aspernari et habere pro servis, magnificere peregrinos et
externis usquequaque blandiri, arcibus ac oppidis Teutonum pre-
sidia cunctis imponere, ex his quoque creare magistratus et sibi 4
custodiam adhibere, peculiarem populum abominari. Accedebat in-
temperatissima libido ingensque lascivia hominis, quo imperante

ne vili quidem ingenue matrone tuta poterat esse pudicitia. Quin 5
 et virgines et mulieres a suis satellitibus pretorianisque militibus
 passim incestabantur. Sepe antistites, nonnunquam etiam optima- 6
 tes ad regem ex composito convenere, profusis contendere preci-
 bus, ne tantum malis ac petulantibus hominibus indulgeret, Teu-
 tones admoneret, ut se modestius agerent, pudicis mulieribus abs-
 tinerent, vim demum omnem inhiberet. Asseverabant etiam haud 7
 parum esse dubitandum, ne qua ex hac insolentium improbitate
 novitas oriretur, que si acciderit, quam dii averterent, irritam im-
 posterum penitentiam secuturam. Contra rex optima consilia sper- 8
 nere et pre insolenti levitate interminari se, nisi monitis abstine-
 rent, que ex ingenita iniquitate ac Scythica improbitate darent, eo
 indignationis evasurum, ut potissimos ordines, item prefecturas et
 magistratus omnes Teutonica tantum gente completeret, ut ne mi-
 nima quidem munia Ungari domi militieque gererent, immo se in
 eorum potestatem universam Pannoniam redacturum. Ad postre- 9
 mum illud adicere Ungariam idcirco nominatam, quia perpetuo
 angore agi oporteret. Que cum insolentissime iactitaret, dire con- 10
 iurationis semina iecit, quippe Ungarorum animi eo usque irritati,
 ut omnia quam tyrannidem perpeti malint.

Quare tertio initi regni anno non invitis pontificibus sacer- 11
 dotumque collegiis optimates, perfecti legatique legionum et tribuni
 militum cum exercitu ad unum omnes in Petrum coniurant. Clan- 12
 destina inter se concilia habent, in quibus de exigendo rege de-
 cernunt et, quem eius loco sufficerent, regia stirpe natum affec-
 tate disquirunt. Augebat indignitatem superiorum memoria princi- 13
 pum, qui non solum patres patrie iure appellati, sed merito inter
 divos relati fuerant. Ad omnium disquisitionem succurrebat unus, 14
 qui ab Ungaris Aba, a ceteris Alboinus dictus est; plerique Ovo-
 nem nominant. Hic ducta sorore divi regis pre fausta affinitate 15
 nimis emergerat. Proinde hunc abdicato Petro regem creant, in
 castra ferunt, ut a militibus approbetur. Ab his acclamationibus
 exceptus et rex continuo salutatus in Petrum aciem educi iubet.
 Quod ubi Petro significatum est, cum in se arma publice ferri et 16
 regni hostem pronunciatum esse cognosceret, ab omnibus desti-
 titus in Vindeliciam, quam nunc Bavariam dicunt, iter arripuit.
 Ubi regem evasisse Ungari intellexere, in Budam cognomento 17
 Barbarum malorum omnium auctorem se convertunt, frustillatim
 hunc concidunt, duobus filiis oculos eruunt. Sebum, qui Vazulem 18
 iussu Gysle execaverat, amputatis manibus pedibusque perimunt.
 Ceteros regis amicos et familiares partim lapidibus obruunt, par-
 tim ferreis clavis attritos crudeli morte conficiunt. Aba igitur re- 19
 gno potitus habita contione novitatis causam explicat se non am-
 bitione largitioneve aliqua, sed vi regium diadema sumpsisse; Petri
 insolentiam intemperantiamque refert, de se omnes bene sperare
 iubet et ad bene vivendum hortatur. Mox omnia eius edicta, leges 20
 et decreta rescindit antiquatque ac nova promulgat. Coniurationis 21
 principes tres fuere, Visco, Toizlanus et Peslus, qui gentis liber-

tatem salutemque querebant ac regnum regio sanguini preipi tolerare non poterant.

Vix Aba tribus annis plane regnarat, ecce Petrus cum magnis Alemanorum copiis in Ungariam irruit Henricumque tertium Corradi ex Gysla filium, cuius auxilium implorarat, secum ducit. Contra rex, cum Petrum ab Alemanis exceptum et auxilia validissima consecutum novisset, legatos ad imperatorem repente mittit anno salutis XLII. supra millesimum, antequam is Ungarie fines attingeret, quibus hec mandata dantur, Cesaris voluntatem percontentur, an exacti Petri gratia cum Ungaris bellum an pacem velit, utrum potius optet, enunciet, utrunque ab Ungaris facile exacturum. Ad hec perquam brevissime Cesarem respondisse ferunt se perpetuas suorum iniurias et inustam preter equum et fas Petro notam nunquam perpessurum, sed mox pro vendicandis his contumeliis, quid et quantum valeat, ostensurum, ne qua ex hac patientia ceteris post hac accedat audacia; reges apud omnes gentes suo iure sacrosantos esse oportere. Ad hec illi subiicere nulla Petrum ab Ungaris iniuria fuisse affectum, sed regio potius diademate honestatum, se ipsum sibi tantum obfuisse et exuisse regno; reges sacrosantos apud eos semper habitos, tyrannos tantum tolerare non posse. Deinde explorata Henrici voluntate succensus Aba comparato repente exercitu ex utraque Danubii ripa et Austriam et Bavariam invadit, hostes audacia vincere mavult; quecumque offendit, omnia diripit et vastat, qui occurrerant, omnes iuxta cedit, capit sese dedentes et Tulnam usque discurrit. Mox abacta ingenti hominum pecorumque preda in Ungariam se recepit, deinde altero Carinthiam exercitu iubet invadi, sed Gothfredum preda onustos ad Patavium hostes aggressum exonerasse ferunt.

Dum hec agebantur, Henricus Colonie Pasche anniversarium celebrabat, ubi habito conventu de gravibus Ungarorum iniuriis ad principes retulit. Fit consultum, ut ingens in Ungariam expeditio instituat, captivi cum abacta preda armis tantum vendicentur. Advenere iterum Abe legati, qui intellecta Germanorum voluntate Henrico omnia, que vellet, se prestituros, item captivos ad unum restitutos pollicentur, dummodo Petri restitutionem dimitteret, quam morte gravius toleraturos profiterentur. Contra vero id potissimum imperator affectabat, quod Alberti efflagitatione ducis Austrie, qui sororem Petro coniugarat, ei ultro receperat se omnino Petrum in Ungariam restitutum, sed ab intenta expeditione a Gothfredo Loringorum duce et Gozilonis filio, qui in Germania res novas agitabat, revocatur. Assidua legatione imperatoris animum eludere Aba conatur, quippe qui in sequenti anno oratores remittit, qui de pace agerent, promitterent captivorum liberationem, qui superessent, de his, que reddi nequirent, ipsum cumulate satisfacturum. Responsa inde referunt Cesarem de componendo bello nihil acturum, donec in Bavariam venerit, ubi detrimenta pensitet et, qui preter equum et fas lesi fuerant, componendis rebus adsint. Paulo post non modo in Bavariam, sed Iaurinensem usque agrum castra

rediit ac, ut meritas deo gratias ageret, deposito paludamento sump-
 toque cilicio, item nudis pedibus porrecto humi pectore ac profusis
 coram legionibus lacrimis ante sacrosanctum et salutare crucis li-
 gnum procidit, immortalem divine benignitati gloriam retulit. Im- 67
 mortales quoque gratias egit, quod Ungarorum manus evaserat,
 sevitiam eorum et vires divina ope represserat. Eadem quoque re- 68
 ligione universus exercitus deo laudes ac sacros hymnos concinere
 visus est, ut imperatoris exemplo divinum beneficium recognosceret.
 Ex Teutonibus sagittariorum arte innumera multitudo desiderata; 69
 ex Ungaris numerus paulo minor, qui, postquam terga vertere oc-
 cepere, salutem sibi fuga compararunt. E cadaverum fetore aliquot 70
 mensibus nemo illac iter facere potuit, unde locus ex utraque lin-
 gua sibi nomen invenit.

Dum victor ex ingenti labore respirat miles aut corpora aut 71
 vulnera curat, Ungarice reipublice legati continuo affuere, vim, pre-
 dam et agri devastationem deprecantur, Petrum regem repetunt,
 quem Abe scelere exactum indoluere; proinde veniam exorant et
 Cesaris edicta servaturos pollicentur. Benigno hilarique vultu hos 72
 Cesar admisit omniaque postulata ultro prestiturum se recepit.
 Post hec una cum legatis ac exercitu universo Albam perventum 73
 est, ubi in ede dive genitricis Petrum regno eiectum his rite re-
 stituit, diadema, sceptrum ceteraque insignia reddidit et regem Un-
 garis Ungarosque regi reconciliavit. Omnesque antistites et opti- 74
 mates Cesaris edicto in regis manus ultro iurarunt se perpetuo eius
 imperata facturos neque legitima unquam obsequia detrectaturos.
 Mox rebus compositis pacataque Ungaria Henricus Ratisbonam se 75
 recepit Petrusque Alemanorum auxilio recuperato regno potitur.
 Ne minus quidem in hoc quam Bohemico bello, quod ante Un- 76
 garicum primo imperii sui anno gestum est, preclarum se Henricus
 ostendit, quare a Caroli Magni sanguine, quando Gysla mater
 eademque Corradi uxor inde genus duxisse fertur, haudquaquam
 degenerasse videtur, immo in hoc tanti gloria principis repullu-
 lasse visa. Sed res aliquanto alius repetenda.

Boleslao tertio Bohemie duci Mesconem Polonorum principem 77
 Graccoviam dolo eripuisse ferunt. Post bellum deinde gestum et 78
 gravissimam agrorum vastationem iudicie demum indite, item sta-
 tutum, ut Graccoviam ambo duces convenirent ibique de perpetuo
 federe decernerent. Boleslaus, accepta fide cum venisset, in convi- 79
 vio captus et luminibus orbatus est, comites immaniter trucidati
 omnes preter Ursonicenses, qui fraudis conscii hosti dominum faci-
 norosissime tradidere. Ii domum reversi lamirem Boleslai fratrem 80
 pari perfidia perdere student. Quare Tochares, qui Ursonicibus 81
 opibus et fortunis longe prestabat, iuvenem sub pretextu venation-
 nis in sylvam traxit tractumque ac stipiti alligatum sagittis con-
 fodi iubet. At Ovaras eius famulus clam elapsus ad suos transvolat, 82
 domini periculum populo exponit, qui raptis ocissime armis in syl-
 vam properat, proditores adoritur et obtruncat, lamirem morte libe-
 ratum reducit. Mescio deinde aperto Marte cum validissimis Bohe- 83

miam copiis adoritur, agrum longe lateque populatur, pagos incendit, demum Pragam obsidet eamque biennio fame laborantem occupat. Vicegradensem arcem capere non potuit, quandoquidem 84 semper in lamiris fide permansit. Fuerat Odalricus Boleslao frater, 85 quem Henrico imperatori eximie educationis gratia pater dederat instituendum. Is accepta Mesconis perfidia clam ab Henrico dimis- 86 sus castellum, cui Dievizo nomen est, subit; exin coacto milite montes repente occupat Prage urbi prominentes, mox dispositis circum aenatoribus clangoribus eos cuncta complere iubet Pra- gensibusque per preconem nunciat victos prelio Polonos in fugam iam dudum converti, victorem cum copiis adesse principem. Cum 87 Polonorum presidia Prage imposita hic rumor incessisset, percussa metu prosiluere, Pragenses adauctis animis hostes fundunt fugant- que; multi in fuga cesi. Mesco spe sua frustratus quam plurimis 88 desideratis Poloniam rediit, Odalricus urbe potitur. Sed fortuna 89 viri mores immutavit, quippe qui, cum fratrem sibi etatis benefi- cio preferri conspicaretur, ambitione ductus ei oculos eruit. Variis facinoribus claruit. Cum e venatione rediret, puellam vidit vesti- 90 menta lavantem rusticali genere natam, liberali facie, forma ele- ganti et venustate nimia, cui Bocene nomen erat; primo obtutu in eam exarsit; accedebat suavissimum virginis alloquium ingenuique mores, quibus miserrime captus est. Hanc mox in familiaribus 91 uxorem accepit, ex qua Byzetislaus natus est. Qui, ubi ad- 92 olevit, tanta fuit audacia, ut Iuditham Othonis filiam Ratisbone in sanctimonialium cenobio permanentem sola fama peramarit eam- que clam e loco sacro subtraxerit. Pater cum hanc multis validis- 93 simisque copiis repeteret ac utrinque acies constitissent, Iuditha in medium progressa Sabinarum more utrinque reconciliavit.

Odalricus deinde filium Moravie prefecit, qui a Polonis magna 94 ex parte occupatam deletis hostibus in potestatem suam asseruit; quin et innumeram Polonorum multitudinem, qui bello capti fue- rant, in Ungariam venundandos misit. Boleslaus Graccovie exce- 95 catus interiit. Odalricus quoque filius vita excessit, quod cum lamir accepisset, nepoti Bohemie dicionem sponte concessit. Huic quin- 96 que ex Iuditha fuere filii: Spitigneus, Wratislaus, Corradus, Iaromirus et Otho, quorum numero fretus in avum Polonorum princi- pem arma vertit. Graccoviam vi captam diruit, Gnesnensium regio- 97 nis metropolim diripuit, abstulit crucem auream CCC pondo. Hen- ricus igitur tertius graviter indignatus, quod Poloniam iniussu suo devastarit, Odalrico filioque bellum indixit. Quia Romano imperio 98 ducatus ille subiectus erat quotannisque boves centum et XX item argenti postulati quinquaginta pondo pendere cogebatur, quare imperator cum Othardo Saxorum duce a duplici latere Bohemiam invadere decernit. Sed, cum regio sylvis sit obducta, in primo 99 aditu parum prospere rem gessit; quandoquidem equitatus nemo- ribus impeditus et ab insidiis circumventus vix multis desideratis evadere potuit. Othardus ingressus ferro ac incendio agrum late 100 vastavit, mox abacta maxima preda in Saxoniam se recepit. In 101

sequenti anno Henricus et Othardus instauratis et auctis exerciti-
 bus Bohemiam repetunt, sylvam iniecto igni transmittunt, exin totam
 regionem populantur et incendunt. Odalricum et Byzetislaum Prage 102
 obsident, urbem Severi pontificis consilio, qui noctu in castra prod-
 ierat, occuparunt. Dedentibus sese Odalrico ac Byzetislaao leges 103
 ab imperatore pro arbitrato date, exacta trium annorum vectigalia.
 Silesia quotannis XXX auri, quinquaginta argenti pondo, Bohemie
 principi tantum dare iussa. Byzetislaus deinde Ungariam aggredi 104
 ausus, que, cum propriis legibus uteretur, Romano imperio parere
 recusabat. Hostile solum ingressus convocatis Bohemie primoribus 105
 Spitigneum primogenium successorem sibi declaravit; reliquos
 filios divisa inter eos Moravia fratri parere iussit. Mox estuantis- 106
 sima febre correptus obiit; corpus Pragam in antiquorum monu-
 menta relatum. Spitigneus Bohemie suscepit imperium. Sed ad
 diverticulum revertamur.

In sequenti post restitutum Petrum anno Henricus Ungariam 107
 revisit, quem rex Petrus tam mirifice exceperit, ut ab eo regnum,
 ut re vera acciderat, se recepisse ostenderit, cum omnibus optima-
 tum magistratuumque ordinibus obviam prodiit, diadema cum au-
 rata hasta detulit moxque magnificentissime donatum in Germa-
 niam remisit.

Dum hec ita agebantur, Andreas, Bela et Leventa, qui sancti 108
 regis iussu extorres in Bohemiam aufugerant, egestate affecti in
 Poloniam se receperant, ubi a Mescone Polonie principe benigne
 suscepti et pro dignitate tractati sunt. Hac tempestate inter Pome- 109
 ranos Christiane fidei expertes Polonorumque vectigales et Polo-
 nos, qui ad fidem sese converterant, orta discordia res armis agi
 cepta, quia annua vectigalia hi Polonis expendere recusabant,
 contra illi vi exigere pergebant. Verum, cum utrinque acies con- 110
 stitisset, utrique genti visum est, ut commodius saluti publice con-
 suleretur, ambo duces singulari certamine litem dirimerent. Si Po- 111
 meranus caderet, postulata tributa penderentur, si vero Polonus,
 ius omne tributorum amitteret. Placuit populis utrisque condicio.
 Sed, cum Mesco ac filii singulare certamen reformidarent, Bela in 112
 medium prodiens, Si vobis, inquit, Poloni, placet, ut pro principe
 ac dignitate vestra in certamen ipse descendam, quamvis me pa-
 gano profanoque hoste nobiliorem reputo, hoc tamen ultro pro
 vobis subibo periculum. Accepit Mesco, quod Bela detulerat, ac 113
 gratias egit; ne subrogatum quidem perduellionem Pomeranus ipse
 recusat. Quare, ubi se certamini ambo commisere, cum infestis 114
 hastis primo concurrerent, dicto celerius Bela hostem equo detur-
 bat, mox gladio confossum prostravit humi. Bellum et causa sin- 115
 gulari certamine dirempta, Pomerani se Polonorum vectigales pro-
 fitentur, vectigalia rite persolvunt et quotannis statuta tributa sine
 controversia se posthac expensuros pollicentur. Mesco, qui Bele 116
 opera victoriam ac dignitatem cum salute sibi compararat, ne ingra-
 titudinis reus esse videretur, Belam non modo multis muneribus
 affecit, verum etiam filie nuptiis et Pomeranorum provincia ample

donavit et pro viribus hominem quotidie honestavit. Bela ex Me- 117
 sconis filia Geysam Ladislaumque suscepit. Andreas vero et Leventa,
 cum se regio genere natos cogitarent et apud Mesconem longe
 inferiorem tanquam mendici se vitam degere reputarent, fortune
 indignitate perciti relicto fratre impetrata missione abiere. Cum ad 118
 Lodomerie regem appulissent, nequaquam admissi sunt et, cum
 ubique prohiberentur hospitio, adaucta desperatione in Cumanos
 reconditos Sarmatie populos penetrarunt. At illi suspicione perciti 119
 et exploratores fore rati, quando validissimis corporibus hos esse
 videbant, ultimo iam supplicio affecissent, nisi quidam forte Un-
 garus ibi captivus intercessisset, qui se illos agnoscere et patria
 preter ius et equum exactos atque commiseratione dignos esse
 testabatur. Aliquamdiu apud Cumanos in captivitate manserunt, 120
 mox liberati in Roxanos, quorum regionem nunc Rusciam dicunt,
 contendere.

Cum Petrus rex se ab omni periculo tutum esse existimaret, 121
 quando, inimici sui ubinam gentium delitescerent, ignorabat, libere
 regnare cunctisque civitatibus et oppidis Teutones et Italos preficere
 omniaque ex eorum consilio gerere ceperat ratus se perpetuo
 in portu navigaturum, quod plerique optimates egerrime ferebant.
 Quonam modo Ungariam ab horum tyrannide liberarent, quotidie 122
 cogitabant, quin etiam profugum divi regis genus Andream, Belam
 et Leventam, quia eius beneficio emergerant, non modo memoria
 ac fide clam persecuti fuerant, verum etiam sepe pecuniis adiuve-
 rant. Ex his Visca, Bua et Buhna auctoritate opibusque prestabant, 123
 qui una cum universa cognatione divi generis reliquias non sine
 suspiriis et gemitu repetebant, occasionem dari cupiebant, qua hos
 in regnum restituerent paremque gratiam numini sancti Stephani
 de his optime meriti referrent. Petrus Henrici tertii patrocinio fre- 124
 tus in eam reductus est audaciam, ut se potius tyrannum quam
 regem ostenderet, et, quamvis suoapte ingenio Ungaris infensus
 esset, accedebant improbi mores eius ac illorum nondum delenita
 feritas, qua peregrinas gentes equis oculis ultro intueri prohibe-
 bantur. Quin et pars magna sacrosancte fidei iugum cervicibus 125
 excutere ex ipsa novitate sperabat, ut in Scythicam recideret pro-
 fanitatem. Dum coniuratorum numerus in dies augetur neque pre
 incremento facile celari potest, ad Bude Devecherisque aures res 126
 ipsa pervenit, qui apud Petrum delationis gratia nimium poterant;
 ii coniurationem Petro referunt. Quare tam vesano repente 127
 furore percitus est, ut coniurationis principes eorumque cognatos
 continuo capi captosque eculeo imponi iusserit, de quibus dira
 usque adeo facta est questio, ut ibidem expirarint; multis oculi
 sunt exerti et ultimis demum penis affecti. Deinde in ceteram se- 128
 vitur Ungariam et ita sevitur, inquam, ut omnibus malle mori quam
 miserrime vivere certum esset. Hi novis vectigalibus, criminibus
 illi affecti sunt.

Quod cum optimates, antistites principesque regni tolerare non 129
 possent sibi pro se quisque timeret, Canadini conventum habu-

ere, ubi illud omnium consensu sit plane consultum, ut publicis oratoribus Andreas et Leventa e Roxanis in regnum revocarentur, quibus gratissimum ex iuramento obsequium ac regnum ipsis debitum sine periculo pollicentur. Auditis oratoribus Andreas et Le-
 venta, cum his parum crederent, ipsi ad explorandam rem in Ungaria-
 130 venere in oppidoque ab Aba condito delituere, quod Novum castrum nunc appellant. Hoc ubi late mussitatum est, innumera
 131 Ungarorum multitudo confluit, qui consalutatis regibus obstinata efflagitatione postularunt, ut universum populum pagano ritu vivere Scythicaque numina recolere, ad hec episcopos, collegia sacerdotum et Christianos vel maxime peregrinos passim trucidare, demum basilicas et templa omnia diruere permitterent. Quod si impetra-
 132 rint, se interfecturos Petrum, exacturos Teutones Italosque, item pacatum eis regnum prestituros pollicentur. Cum reguli sine per-
 133 missione ista regnum recuperare non possent, ultro postulata concessere. Quare ex Ungaris primus omnium Vatha ex Belo oppido
 134 natus se cacodemonibus plane devovit, caput Scythico more rasisit, cincinnos pagano ritu tris dimisit, quo nunc Turci more utuntur. Multo post tempore lanus eius filius ex instituto paterno sibi ma-
 135 gos magasque ac haruspices adhibuit, quorum carminibus magnam principum gratiam sibi venabatur. Pre ceteris incantatricem pre-
 136 veneratus est, quam Rasdin appellarunt, que a Christiano deinde Bela in carcerem coniecta tanta fame confecta est, ut pedibus la-
 certisque comensis se interemerit.

Horum igitur opera populus fere universus a vera fide defecit. 137
 Recidit in demonum devotionem et equina carne vesci ceptum est. Proinde in Christianos omnes et imprimis in antistites et sacerdo-
 138 tes ita sevitum, ut neminem fecerint superstitem; basilice ac delubrum quodque religiosissimum passim diruitur; sacra donativa ac dicata diis spolia diripiuntur; mox in Petrum regem inelamatum. Et Teutonici cum Italis ad mortem ubique postulati; ceduntur ex
 139 his, quicunque munia diversa gerebant. Item in castra regis Petri aeneatores tris missi, qui Andree et Levente regum nomine edictum
 140 pro vallo grave ita precinerent: Ungarus quicunque est, antiquatas maiorum cerimonias resumito, Scythicos deos recolito, Christianos peregrinosque ritus exigit, adversus Christianos arma sumito, Petrum tyrannum interficito, Teutonem et Latinum quenque passim cedito, nova templa amolitor, pontifices ac sacerdotes ubique con-
 141 trucidato; qui contra sanctionem hanc dixerit feceritve, capitalis esto ac hostis Ungarie gentis haud aliter, atque si Martis Herculisve aris ac focus vim intulerit, promulgato. Per noctem edicto perni-
 142 cibus statim equis aeneatores advolarunt. Hinc Petrus regulos rediisse novit, quod dudum ignorabat, eorumque opera ab orthodoxa fide defecisse Ungaros et prefectos cum sacerdotibus passim cesos intellexit. Quare dissimulato metu amotisque castris Istrum
 143 traicit, ut Albam contenderet caput gentis. Quod ubi inimici animadvertere, preoccupata urbe turribus et basilica advenientem regem reppulere.

Interea Andreas et Leventa cum validissimo Ungarorum exercitu presto appropinquarunt. Quod cum Gerardus, Beztritus, Buldus et Benetha episcopi, item Zonuchus princeps Albanus accepissent, regulis obviam ultro prodeunt, ut honorifice novos reges excipiant. Cum ad Gyodi pagum venissent, in dive Sabine templo rem prius sacram facere decernunt, quam regulis occurrant. Gerardus igitur pontifex, antequam sacra facere adoriretur, socios admōnuit eo die se cum eis martyrium subire oportere et iam dudum inter divos celesti benignitate esse referendos. Affirmabat enim se superiore nocte Iesum Christum optimum maximum in somno vidisse in dive genitricis tabernaculo iuxta presidentem, eucharistiam calicemque sui sanguinis nobis omnibus preterquam Benethe eque propinquantem, qui martyrium fortasse detrectabit. Demum eos hortatur, inter se mutuo delicta confiteantur, futuram beatitudinem spe obstinatissima expectent, interea peccatorum impunitatem a deo lacrimis implorent. At illi salutarem mortem haudquaquam reformidantes monita peragunt; deinde sacris rite peractis, ut regulis occurrant, versus Pestum iter ineunt. Gerardus vir statura brevis et presingulari vite asperitate viribus effetus curru vehebatur. Verum, ubi ad Danubium perventum est, Vatha duce, qui se cum liberis demonibus plane devoverat, omnes in sacrosanctos patres saxa capiunt, mox facto agmine irruunt obruuntque in eos. Qui ipsum lapidibus pelunt, signo salutis assiduo Gerardus se presignat atque eo magis in eum plebs impia irritatur. Curru deturbatum rapit bigisque in montem fluvio prominentem subvehit subvectumque e prerupta rupe in subiecta saxa precipitat. Post casum palpitante pectore, cum adhuc spiritum inesse putarent, hasta transverberant; caput lapidi illisum preter Danubium; lapis sancti viri sanguine sedatus nulla Danubii inundatione dilui potuit, quamvis annis circiter septem ibi permanserit, donec eius a sacerdotibus lecte reliquie in sacellumque Canadini sunt recondite; lapis in altaris superficie in rei testimonium collocatus. Nunc autem in suburbio Budensi, ubi ille deturbatus est, sacellum est divo Gerardo dicatum. Hoc igitur martyrio vir ille sanctissimus natione Venetus, qui in Budensi agro vitam duxit heremiticam et pro spectata vite sanctitate in Canadiensem pontificatum evectus erat, immortalem sibi vitam comparavit. Buldus pari morte affectus, Beztritus et Benetha transmissa amne, ubi Pesto applicuere, alter impiorum vulneribus confossus postero die vita excedit, alter intercessionem regulorum, ex eorum manibus ereptus est. Zonucho Istrum equo traicienti Murthmur parva cymba occurrit, ut periculo liberaret, qui sacro baptismi vinculo ei coniunctus erat. Quod ubi a profana multitudine prospectum est, elato clamore mortem interminatur, nisi amicum a Scythica opinione descendentem interficiat. Invitus igitur Murthnium Zonuchum obruncat. Eo quoque die magnus sacerdotum fideliumque numerus pari crudelitate absumptus.

Petrus aulem, postquam universam gentem in regulorum partes recidisse cognovit, cum non mediocri Alemanorum manu in

Austriam fugam init. Cum in Mosoniensem agrum venisset, ut ex- 166
 hinc in Austriam se subriperet, preoccupatos regni exitus offendit,
 qui impositis ubique presidiiis acri custodia observabantur. Super- 167
 venere legati regulorum, qui sub specie ineunde pacis in Ungariam
 revocarent; invitus retrahitur neque maxime suspicionis expers,
 quippe qui subtractum sibi exercitum intelligebat. Qui cum in pa- 168
 gum, quem Zamurem appellant, divertisset, legati dispositis mox
 insidiis circumvenere, ut captivum ad regulos ducerent. Quare in 169
 quandam domum cum parva aulicorum manu ille se recepit et, cum
 se acerrime tueretur, vix triduo confossis ad unum omnibus suis
 capi potuit. At, ubi in legatorum potestatem venit, continuo exce- 170
 catus est Albamque ductus pre dolore nimio paucis post diebus
 ac tertio restitutionis anno diem obiit et in Quinqueecclesiensi basi-
 lica, quam ipse fundarat divoque Petro et Paulo dicarat, sepultus est.

Ex Abe Petrique discordia et regulorum revocatione tot 171
 calamitatibus affecta est Ungaria, ut ex intestino bello exinanitum
 regnum videretur, quandoquidem Petri gratia Henricus tertius eam
 infestis sepe armis repetierat. Neque defuere Adalberti Leopoldique 172
 filii bella, qui protegende Austrie gratia, quam Ungari sepe inva-
 serant, cum Aba rege ad internecionem usque crebro concurrerant,
 quod anno salutis quadragesimo secundo supra millesimum ac-
 cidisse ferunt. Et in sequenti anno quinto Idus Decembres Leo- 173
 poldus miles fortis ex cognomento dictus et Adalberti filius diem
 obiisse dicitur. Sed Adalberto Ernestus filius successit, quo in Sa- 174
 xonum bello occumbente Leopoldus Leopoldi pii pater Austrie do-
 minatum init. Quater in Abam Henricum tertium castra movisse 175
 plerique tradidere. Agnes fuit eius uxor mulier quidem imperio digna,
 que post Petri mortem una cum viro augustalia insignia, dum na-
 talitia salvatoris celebrantur, a Clemente secundo summo pontifice
 Rome suscepit et auctoritate pontificia confirmatum his imperium.
 Mox Capuam usque proficisci placuit, a quo Pandulphus captus 176
 in Germaniamque ductus est, qui ea tempestate princeps res no-
 vas in Campania moliebatur. Eodem ferme tempore Sarraceni 177
 Stunum Calabrie oppidum occuparunt. Quin et Dragone Norman-
 norum principe in Apulo agro defuncto Hunfredus frater tyran-
 nidem invasit, cui paulo post vita decedenti Gothfredus subroga-
 tus est. Item Guaimarus Salernitanus princeps eadem gente ori- 178
 undus cum suorum occubisset insidiis, Gisulphus dominatum accepit.
 Cum Normanni ambitiosissimum genus hominum Beneventum ur- 179
 bem pontificie dicioni subditam occupassent, Leo pontifex maximus
 auxiliariis copiis imperatoris adiutus adversus eos castra movit.
 Sed ex inauspicato inito prelio, cum Romanus miles terga vertis- 180
 set, pontifex in pugna captus et pro dignitate ductus paucis post
 diebus singulari pompa Romam remissus est. Item Pallantis Rome 181
 corpus insane magnitudinis inventum adhuc incorruptum, cuius
 hiantia quoque vulnera cernere erat. Preterea lucerna ad caput ar- 182
 dens, que neque vento neque aqua vel quovis alio liquore extingui
 poterat, verum subacto stilo mox illo foramine ingruente aere lu-

men evanuit. Tale huic epitaphium fuisse fabulantur:

183

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole sua iacet hic.

Preterea in Apulia marmorea comperta statua, cuius caput circulus 184
ex ere his inscriptus litteris ambibat: Kalendis Maiis exoriente sole
aureum mihi caput erit. Quidnam id protenderet, Sarracenus qui- 185
dam Roberti Guiscardi captivus interpretatus est, cum sol ad pre-
scriptum terminum pervenerit, si quis statuam subfoderit, maximum
ibi thesaurum deprehensurum. Neque interpretationem res fefellit, 186
nam Kalendis Maiis magna auri copia ibi comperta, qua Sarrace-
nus se a captivitate redemit. Sed ad historiam redeamus.

Exactis usquequaque hostibus ac Petro vita defuncto Andreas 187
cum Leventa ac universo Ungarorum exercitu Albam contendit, ut
ibi ex more pontificum principumque consensu et auctoritate regni
insignia plane susciperet, sed, cum episcoporum pars magna cum
Gerardo cesa fuisset, vix tres tantum ex illa strage superstites in- 188
veniri potuere. Andreas igitur ab incarnatione domini anno quad-
ragesimo septimo supra millesimum diadema regium accepit. Qui, 189
postquam se rerum potitum esse cognovit, hoc per universum re-
gnum promulgavit edictum: Quicumque Ungarus Ungarieve incola 190
peregrinusve frequentans deposito pagano ritu ceremoniisque Scy-
thicis abrogatis, quas rex, quia usus ita postularat, paulo ante per-
miserat, ad veram Iesu Christi fidem evestigio non redierit ac sac-
ram legem a divo rege Stephano traditam non receperit, capitalis 191
esto. Vicus, oppidum et civitas queque demolita templa basilicas-
que reficito, pontifices collegiaque sacerdotum pristino more obser-
vato et pareto, Christianorum ritus revocato, profanas ceremonias
falsosque deos exigito, eorum simulacra demolitor. Si quis magnis 192
verisque numinibus ac sacerdotibus maledixerit feceritve, deum ho-
minumque hostis esto. Si quis sacra legerit, lecta continuo resti- 193
tuito; quique sacro vel quovis alio humano sanguine manus fe-
darit, commissa piacula expiato. Ungarus demum quisque cedibus, 194
latrociniiis ac cetera denique vi et iniuria abstineto. Sanctionem igitur
hanc quicumque contempserit adversusve iverit, capitibus ac re-
rum omnium reus esto.

Iisdem ferme diebus Levente mors intercessit, quam non sine 195
divum benignitate accidisse arbitrantur. Is enim satis superque Chri- 196
stianis infestus erat neque Scythicas ceremonias dirosque mores fa-
cile exuere posse videbatur. Quare, ne instauratam a fratre fidem 197
labefactaret, a diis immortalibus intempestiva morte ereptus esse
reputatur et in ulteriore Danubii villa sepultus, ubi quondam Toxis
proavus ritu Scythico sepultus esse ac ville nomen tribuisse dicitur.
Sed de parentibus horum diversa sensere; alii nanque regulos 198
istos Vazulis excecatis ac filie Tati, plerique vero et fortasse rectius
Calvi Ladislai filios prodidere, qui Roxanam vel Ruthenam uxorem
accepisse fertur, ex qua Andream, Belam et Leventam sustulisse
creditur.

Pacato deinde regno ac universo fere populo ad rectum dei
 cultum revocato ad reprimendos finitimorum impetus incursionese-
 que animum advertit. Bratislaus enim subacta Polonia ter Panno-
 niam invasit, ne mediocria quidem detrimenta intulit, sed tertium
 ingressus repentina febre correptus pedem referre coactus est. Ex
 testamento quinque filiis Moraviam, Bohemiam ceterumque domi-
 natum rite distribuit legavitque. Spitigneus natu maior Moravie re-
 gno potitur; Bohemie pars media Bratislao, altera Corrado et
 Othoni obtigit; Iaromirus adhuc in litterario ludo versabatur. Paulo
 post comperta Spitignei sevitia et ambitione Bratislaus timore per-
 cuitus relicta in Olomucensi urbe uxore in Pannoniam secessit, ubi
 ab Andrea rege gratissimo hospitio exceptus et pro dignitate tractatus
 et exornatus est. Spitigneus receptis fratribus, qui remanserant
 in regia, Corradum venatoribus, epulis vero regalibus Otho-
 nem prefecit, mox Bratislavi uxorem capi et in Lesca munitissima
 arce asservari iussit, quam prefectus arcis tam dura ac immani
 custodia servasse dicitur, ut alterutro uterque noctu pede una
 compe obstringeretur. Verum Severi Pragensis episcopi ac optima-
 tum intercessione mulier exacto mense carcere liberatur. Que cum
 ad virum in Pannoniam gravida properaret, edito immaturo partu
 in itinere animam efflavit. Bratislaus audito uxoris obitu parentis
 ac gnati fatum iuxta deplorare coactus est. Ac nihilo secius rex
 Andreas suavissimi hospitis dolore cruciatur, ad ineundam conso-
 lationem hortatur neque quicquam sine divina voluntate asseverat
 accidere; fallaces spes hominum reputare oportere omnemque spem
 et curam in deo collocandam, quam humanis commodis longe sa-
 pientius utiliusque hominibus consulere existimandum est, atque
 multa, que accidunt nobis, incommodissima miserrimaque videri,
 que, si eque pensitentur, preter opinionem utilissima iudicabuntur;
 in utraque fortuna et modum et equum animum omnino retinend-
 dum, post mala semper bene sperandum. Subinde delenito aliquan-
 tulum viri dolore hospitem rex ad cenam invitat; lautissimis epulis
 ac vino exhilarantur animi. Andree unica erat gnata, cui Adleithe
 nomen erat; matura iam etate ac eleganti forma cum summa ve-
 nustate coniuncta primo obtutu hospitem obstrinxit, cuius amorem
 ubi pater intellexit, hanc ei continuo desponsavit. Quod ubi Spiti-
 gneo fratri significatum est, ratus hunc auxiliaribus Ungarorum
 copiis adiutum Moraviam sibi facile occupaturum, ut rebus suis
 tuto consuleret, legatos ad Bratislaum mittit, qui eum e Pannonia
 revocent ac polliceantur se, veluti pater ex testamento legaverat,
 omnia ultro restitutum. A quibus persuasus ille rediit seque fratri
 ex composito reconciliatus legata cuncta recepit. Quanquam im-
 perandi amore Spitigneus traheretur ac immodice ambitioni foret
 obnoxius, bonis alioquin moribus fuisse traditur. Sed, qua in ma-
 trem Iuditham Bratislavi senioris coniugem impietate usus est, haud-
 quaquam hinc commendari potest; hanc enim regno eiecit. Que,
 cum gnati crudelitatem alio modo ulcisci non posset, in eius con-
 tumeliam Bohemorumque contemptum Petro Ungarie regi extemplo

nupsit, in Pannonia vitam exegit. Sed post filiorum reconciliati- 216
nem a Bratislao filio in prioris viri sacellum relata et Prage in
divi Venceslai templo anno salutis quinquagesimo nono ultra mille-
simum pro dignitate sepulta.

Hinc igitur Andree cum Bohemis, Polonis Australibusque orta 217
dissensio, quas expeditiones ita prospere gessit, ut Ungarorum an-
nales referunt, ut tribus annis hos tris, quos retulimus, potentatus
stipendiarios sibi fecerit. Contra Alemanorum, qui, ne hac Austra- 218
les insigni nota sugillarentur, Andream Henrico tertio per legatos
obsequium ac stata quotannis tributa ultro detulisse referunt; id
ceteri nequaquam memorant scriptores preter ea, que paulo post
sequuntur. Sed illud constat anno salutis quinquagesimo primo ultra 219
millesimum Andream cum Adalberto, qui Austrie dominabatur, pa-
cem fecisse, item Bohemiam Poloniamque post aliquot bella pacasse.

At, cum se ad senium declinare ac liberis carere animadver- 220
teret, ad Belam fratrem, de quo supra diximus, in Poloniam lega-
tos misit Belam exorans, ut cum uxore ac liberis expectatione cele-
rius in Pannoniam redeat et, veluti communibus erroribus ac mi-
seriis agitati fuerant, ita et nunc bonis avitis ac regno pariter per-
fruantur; quin etiam regi neque fas neque iustum esse se sine fra- 221
tre regno eodemque amplissimo potentissimoque potiri, item per
orbitatem neminem sibi esse, cui regnum legari queat. Hac igitur 222
obsecratione Bela victus coacta familia dimissoque ne mediocri
quidem Sarmatie ducatu, quo a Mescone ob rem clare gestam in
singulari certamine donatus fuerat, in Ungariam cum familia se
recepit. Tam grato ab Andrea fratre animo et tam insigni popu- 223
lorum plausu exceptum ferunt, ut universa in eius occursum non
modo regis aula, sed Ungaria sit effusa nullusque dies letior ac-
tus. Postridie, quam venerat, conventu habito Ungaria tris in par- 224
tes divisa; due regi, tertia Bele fratri omnium consensu tributa est.
Hinc discordiarum seminarium sane profluxit, hinc dissensionum 225
bellorumve cause, quibus semper Ungaria fluctuavit; quare inter
duces regesque Pannonie discidia, cedes ac assidua prelia inter-
cessere. Eodem quoque tempore ad inferioris Pannonie lacum An- 226
dreas in insula Tychonia cenobium magnum cum basilica fundavit,
quam divo Aniano dicavit. Mox ad propagandam sobolem animum 227
adiecit, uxorem duxit Agmundam Ruthenorum ducis filiam, quos
olim Roxanos et Roxolanos nominabant; ex hac Salomon et Da-
vidus orti. Ex concubina, quam in Morothensi pago clam tenuit, 228
Georgius natus est. Ex Bela in Polonia Geysa et Ladislaus; at, 229
ubi in Ungariam reversus est, Lampertus ac filie sunt edite. Inter 230
fratres hos tanta semper caritas intercessit et concordia, ut una
eademque ambobus voluntas inesse videretur; contra vero in filiis
nepotibusque accidit, ut rite inferius referetur.

Dum magnum in Pannonia otium agitur mutua fratrum cari- 231
tate munitum, ingens Alemania bellum molitur; Henricus enim ter- 232
tius Petri iniuriam et Ungarorum inconstantiam ac perfidiam ultu-
rus coactis undique copiis eo hanc expeditionem animo suscipit,

ut aut Ungariam imperio Romano vectigalem faciat aut ad extremum usque ibi vires eludat. Imprimis adita Pannonia Pisonium 233 obsidet, tormenta diversa menibus admovet, turres erigit, commeatus inhibet. Classem etiam, que secundo amne defluserat, a 234 Danubii parte disponit, ut civitas undique oppugnari queat, castella in turrium speciem navibus imposita, ut hinc oppidanos a menibus arceant. Duobus hec mensibus undique oppugnatur, omnis 235 tamen Teutonum eluditur opera. Ungarorum presidium ab Andrea 236 urbi impositum, ne qua rerum caritate premeretur neve Danubii aditus occluderetur, unde ab inferioribus regionibus commeatus et auxilia inferri possent, novum sane commentum excogitavit. Vir inter 237 eos nandi arte peritissimus mox inventus, cui Zothmundo nomen erat; hic intempesta nocte perfecti iussu nando clam hostium naves subit, sensim eas tenui terebro subfodit. Dum naufraga universe classi vitia subigit, vix renandi ad suos spatium datur, ne 238 illucescente die in facinore deprehenderetur. He non modo proprio 239 onere, sed machinis etiam onuste secunda ac tertia hora diei imo desiderare occepere; a principio plerique incautis adhuc nautis demerse sunt. Hac igitur arte eluse Alemanorum vires obsidioque soluta, 240 quando ex oppidanis et centurionibus plerique quotidie facta eruptione in hostium castra seviebant. Ex his potissimi nominantur 241 Maiothecus, Andreas, Vilungardus, Brosa et Martinus, qui magna sepe strage ex improvise hostes affecerant, quare in Alemaniam spe sua delusi rediere. Cum re infecta Henricus imperator cedere 242 cogeretur, eo magis in Ungaros exardescit; exercitum longe maiorem instaurat onerariamque classem reparat, qua commeatus deferat.

In sequenti anno dispositis abunde omnibus, que bello usui 243 erant, classi Gebartum episcopum et eundem fratrem eius prefecit Danobioque defluere iubet; ipse cum turmis et cohortibus preter Zale Zeliceque fontes amnium in Ungariam iter facit. Andreas ac 244 Bela frater id edocti ea parte, qua hostis iter facturus erat, acervos frumentarios ac pabula cuncta comburi, incolas et pecora hinc abduci precipiunt, ne qua prede commeatusve copia foret hosti. Imperator adita Pannonia et incensa ab incolis, quacunquam iter 245 fecerat, regione neque militi neque equo adminiculi quicquam invenit et, cum, ubinam classis esset, intelligere non posset, in omnium rerum egestatem incidit. Transmissa sylva Bodoatinis montibus 246 appropinquavit intolerabili commeatum pabulique inopia laborans. laurinum interea classis applicuit. Prefectus classis tabellarium ad 247 imperatorem continuo misit, qui litteris se certiolem ab eo fieri postulabat, ubinam cum classe expectaturus esset exercitum. Is ab 248 Andree militibus, qui viatoribus insidias forte tetenderant, interceptitur, ducitur ad regem Belamque et adhibito interprete Nicolao laurinensi episcopo Andree omnia patefiunt, qui astu pro tempore utitur Ungarice reipublice apprime salutari. Ad Gebartum Henrici 249 nomine adulterine per hospitem littere remittuntur, quarum summa talis erat: Salve, frater optime. Sepe, que preter opinionem accidunt, ad mutandam sententiam homines impellunt; proinde scito 250

nostrum ab aliis hostibus imperium gravissime infestari; nos autem,
 ut propria tueamur, ab Ungarica expeditione inviti revocamur. Quare
 classem dicto celerius solvito et deleta, Ratisbone confestim 251
 nobis occurrito, quando tibi in Ungaria tuto consistere non licet.
 Praefectus temeraria fide percitus mandata peragit, soluta repente 252
 classe in Vindelicos se recepit. Imperator expectatione frustratus 253
 extrema cum milite fame absumi cepit neque praefecti suae classis de-
 sidiam satis poterat admirari. Accedebat magna sagittariorum ma- 254
 nus, quae ex Bulgaris Bessisque confluxerat; haec cum Ungaro pa-
 riter hostilia castra per noctem lustrans venenatis spiculis infesta-
 bat, quin et calones, lixas ac servos iniecto inter tentoria laqueo
 captos plerumque trahebat. Tanta et tam caeca sagittarum tempe- 255
 state afficiebatur hostis, ut terram subfodere sub fossaque iniecto
 clypeo delitescere cogeretur. Sepe vivus cesi et cesus contra vivi 256
 fossam preoccupavit. Cum se ac exercitum ad extrema non sine di-
 vum numine redactum Henricus intelligeret, necessitatis imperio
 mitius cum Ungaris sibi agendum esse decrevit. Quare ad regem 257
 misit oratorem, qui suo nomine tuto abeundi potestatem et com-
 meatus postularet; quod si concesserit hostis, se perpetuum cum
 Ungarico rege successoribusque fedus et pacem initurum neque re
 neque verbo neque quavis arte obfuturum; item, si quis e poste- 258
 ris Pannonie bellum indiceret detrimentumve inferret, extemplo se
 deorum hominumque hostem augustali decreto pronunciatum in- 259
 telligeret; quin et ultro Sophiam filiam forma spectatissimam, quam
 paulo ante Philippo Henrici Francie regis filio sacra asseveratione 260
 sponderat, rescissa affinitate coniugaturum in artissimum eterne
 pacis vinculum testimoniumque gravissimum. Andreas igitur et Bela 261
 exaudito honorificentissimo oratore, cum otium potius quam bel-
 lum anhelarent, postulata cum imperatore pacem conficere, cuius
 iura, ne quo malo dolo lederentur, utriusque sunt iuramento mu-
 nita. Mox ad explendam Alemanorum inedia[m] quinquaginta pi- 262
 scium corpora insane magnitudinis, quos usones appellant, item
 multa lardi pecorum, vini et frumenti copia gratuito ad imperato-
 rem missa, qua plerique fame confecti ac immodica statim edacita- 263
 te distenti interiire. Curatis deinde corporibus universus exercitus
 relictis impedimentis prepropera festinatione in Noricos et Vindelicos 264
 se recepit. Praeterea locum castrorum, ubi extrema fame labo-
 ravit, Ungarus et Alemanus uterque sua lingua Clypeorum montem
 appellavit XXV milibus passuum a Buda remotum, qua iter est
 Viennam longa sylva obsitum. Hic haud ab re Germanorum annales 265
 erit admirari, qui Ungaros cum Andrea rege ab Henrico tertio
 perdomitos ac stipendiarios fuisse factos prodidere, quod procul a
 vero esse constat. Quonam modo desponsatam filio regis Gallic
 gnatam rescissa prestantissima affinitate Andree filio sponddisset,
 nisi aliqua vehementi necessitate adactus ad eas condiciones de-
 scendisset? Sed, ut hanc perpetuam Germanorum et imperii Ro-
 mani notam divina magis quam humana opera inustam oblitera-
 rent, ex industria subticuere. At contra fieri debet; scriptor enim 266

quisque historiarum veritatis potius quam alicuius patrocinii affectator esse debet, quin et omni amicitie inimicitieque carere oportet affectu, ut suam apud posteros auctoritatem retinere posse videatur.

Postquam igitur Henricus tertius in Alemaniam redierat, paucis post mensibus rex Andreas per legatos oblatam sibi filiam postulatur, ne vana illius expectatione eludatur. At ille respondet se non modo gnatam, verum et minima queque promissa prestiturum neque unquam initum fedus ac sacramentum detrectaturum. Diem sponsalibus nuptiisque ad Moram amnem prestituit, qui Moraviam ab Ungaria plane disternat. Huc ad prestitutum omnes diem convenere; cum summo Ungarie ac Germanie plausu frequentissimoque pontificum principumque conventu sollemni ritu celebrante nuptie, confirmata federa. Sophia in Ungariam deducta singulari pompa utrique principes cum summa concordia gratiaque digressi. Salomon infantia nondum excesserat et tam intempestivus vir factus est. A morte sanctissimi regis Stephani ad Andree regis initium anni secundum annalium supputationem undecim circiter et menses quattuor intercessere. Interea Petrus, qui Venetus potius quam Teutonicus a patre Venetiis vitam agente appellari potest, quamvis interpellato tempore, annis tamen quinque et mensibus sex regnavit; Aba tribus.

Cum autem liberorum affectus pre ceteris in quoque homine dominetur et privatus amor ab aliena caritate et equitatis officio animum avocet, hinc dissensionum inter fratres promanavit origo. Andreas tot erroribus laboribusque vexatus gravescente iam senio in paralysem inciderat, quandoque carruca, hexaphoro sepius ferebatur. Cum solutis membris incedere non posset, cepit vir prudens his incommodis circumventus de successore ac filio cogitare. Succurrebat et illud, quod Henrico receperat, se regem filium declaraturum. Et, ut promissis stare videretur, XII. regni sui anno infantem adhuc filium convocatis pontificibus ac principibus universis Salomonem regem pronuntiavit legitimeque coronavit imperatoris causatus postulationem, qui ex compacto generum diademate insigniri quotidie flagitabat, neque alio modo sine hac affinitate pax foret inita, que utrinque fiduciam securitatemque peperit. Inter coronandum cum ex more caneretur illud Israeliticum, Esto dominus fratrum tuorum, et hec quidam Bele interpretaretur, ex quibus se reputabat sub infantis imperio futurum, admodum rei indignitate commotus est. Plerique vero Bele filiorumque consensu et totius conventus acclamatione Salomonem regem fuisse creatum tradidere, quod haud difficulter ipse crediderim, quandoquidem hereditario iure et salutaris huiusce affinitatis excellentia is regno fraudari non debebat. Sed paulo post a factiosis disseminata seditio, quippe alii Andree consulebant, ut hac arte gratificari viderentur, puerum, nisi frater e medio tollatur, nunquam tuto regnaturum. Contra ii Bele tanti momenti regnum haudquaquam infantulum addecere, immo ad regis fratrem pertinere, item usurpandi

regni occasionem optimam obferri, quando rex infans est et pater
senio ac validudine gravissima plane conficitur. Ne Andream quo- 283
que preteribat invito fratre filium nunquam regnaturum; proinde
inito consilio cum duobus tantum intimis, cum in ferarum viva-
ria descendisset, in cubiculum relatus ante se coronam et gladium
strata humi purpura inferri iubet; hec regnum, ille ducatum re- 284
ferebat. Fidissimos comites admonuerat, ut introducto Bela et pro-
posita optione, si gladium is eligeret, laude ac donis cumulatus
abiret, si vero coronam, eo confestim gladio fratrem obruarent. 285
Initum Nicolaus ianitor tantum cum his consilium audivit. Deinde
ex composito Bela accersitur; cubiculum subiturus quamprimum a
ianitore admonetur, ut, si vitam amet, gladium accipiat. Ad regem 286
ingressus duo proposita ibi insignia admiratur, cui hec mox An-
dreas, Salomonem, inquit, filium, Bela, regem declaravi regalique dia-
demate donavi non tam, ut private dignitati, quam ut publice consu- 287
lerem saluti. Quid ab Alemanis semper accepimus et quam ma-
gnis conatibus nuperrime regnum invaserint, non ignoras et, quam
salutaris sit ista reconciliatio ac pax nuper inita, pro se facile quis- 288
que considerat. Tibi autem, ne qua ex novitate hac exostulandi
copia detur, qua pientissimum fratrem insimules, nunc optionem
facio. Coronam tibi et gladium pre oculis habes; utrum vis potius, 289
accipito, alterum filio relinquito. Tunc Bela vel premonitus periculi
vel conscientia et fraterna liberalitate victus optatum sumpsit gla-
dium, coronam ultro nepoti concessit. Spectata fratris modestia rex 290
lectica ante Bele pedes profusis lacrimis extemplo prosiluit, genua
preter dignitatem amplexatus ingentes gratias egit. Multis in fra- 291
terna caritate ac filii tutela verbis eum confirmavit dimisitque do-
natum amplissime ratus id absque aliqua dissimulatione ab eo factum
et, sicut ultro Leventa sibi cesserat pre simplici caritate, idem 292
a Bela factum; sed id Belam pre timore fecisse ostendit exitus,
quippe paucis post mensibus ad declinandas insidias vir sagacis-
simus cum universa familia ad Mesconem socerum, de quo supra
diximus, in Poloniam effugit. Quod ubi regi significatum est, ut 293
pari cautione certaret, Salomonem ad Henricum socerum cum ma-
ximo optimatum Ungarie equitatu misit.

Interea cum Mescone Polonie duce acceptus a fratre iniurias 294
Bela communicat, hortatur, ut datis auxiliis in regnum sibi debi-
tum restituat; non tam generi quam nepotum ac vel maxime filie
dignitatem curet; si contemnatur, neminem sibi fore alium, ad quem
exorandum confugiat. Addit commodorum accessionem, si vota suc- 295
cesserint, nam, si vires utriusque gentis una convenient, facile
fore, ut non modo se tueantur, verum etiam amplificatis finibus ali-
ena regna occupare confidant. His Mesco commotus legiones tris 296
comparat genero Ungarieque finibus appropinquare iubet. Cum se
tot copiis Bela munitum esse cerneret, quot recuperando regno et 297
explende spei sat esse noverat, fraternum regnum invadit. Quod 298
ubi factum est, ex Ungaris ad eum quamplurimi confluxere, qui
eius partes antea sectabantur. Rex audito fratris ingressu duas ab 299

imperatore Henrico legiones accepit, quarum alteri Guilielmus, Pothus alteri prefuisse fertur; Bratislaum quoque Bohemorum ducem et Spitignei fratrem, cui filiam olim coniugarat, cum validissimis copiis plane conduxerat neque in Ungaria delectum habere contempsit, quare maximum sibi exercitum comparavit. Ad Tibiscum igitur amnem fratres ambo convenere, ut regni litem commisso prelio dirimerent. Cum acies in ripa fluminis utrinque constitissent, ab Alemanis prelium initum est; Guilielmus enim et Pothus transmissa ane tam infestis in Belam animis concurrere, ut confertissimam cruentissimamque pugnam extemplo commiserint. Pari quoque audacia ac robore certe maiore Polonorum et Ungarorum agmina obstitere, quippe qui, ne cedere viderentur, letales fortiter ictus excipiebant inferebantque. Sed, cum diu pari spe conatuque utrinque pugnatum esset, Teutones tandem dare terga cepere. Inclinatorum hostibus tanta animorum Ungaris facta fuit accessio, ut redintegratis viribus a tergo instare viderentur. Tunc ex illis cedere nulli, ceteri palantes fugiunt. Quod ubi alii, qui Andream sequebantur, Ungari prospexere, mutata repente sententia in Bele partes contendere et in suum regem vertere arma. At is, cum a se suos defecisse conspicaretur, consternatus animo in Noricos fugam capit. Insequuntur eum inimici et tanta quidem pernecitate, ut ad portas Musienses adhibuerint ceperintque in Baconiensemque sylvam deduxerint. Ibi negligentissime detentus ad crucem suam, quam Sterziam dicunt, diem obiit sepultusque in cenobio Tychoniensi circa Balatonem lacum, quem in inferiore Pannonia fuisse diximus. E ducibus et prefectis hi potiores capti referuntur: imprimis Bohemorum dux, quem inscio Bela continuo execatam plerique retulere, item Guilielmus et Pothus, qui ad Belam ducti quamprimum honorifice dimissi.

Circa hec tempora schisma et contentiones maxime fuere in ecclesia dei. Tres uno tempore pontifices Rome dissidebant, unde permagnum apostolice reipublice detrimentum emerit. Tunc pontifices ab imperatore creati. Qua quidem tempestate Theophilus alius pontifex Ioanni pontificatum vendidit. At seditio ista ab Henrico tertio sedata schismateque dirempto augustalem sibi coronam promeruit. Item in Florentina synodo episcopi multi de ambitu adulterioque damnati. Quinquagesimo autem sexto ultra millesimum Adalbertus dux Austrie diem obiit; Ernestus successit filius. Et Chuno dux Bavarie ab Henrico eiectus Pannoniamque relegatus expiravit. In sequenti anno imperator diem clausit infantemque sui nominis filium sub materna tutela reliquit et sub ea annis aliquot prospere imperavit. Matri Agnes nomen fuit, que Bavarie ducatum sibi vendicavit gravissimaque cum Gunthario episcopo bella gessit. Italie administrande Gibertum Parmensem virum prestantissimum rite prefecit. Florebat in Italia Gothfredus et Matildis uxor, que Beatricis fuit filia et Henrici tertii e sorore neptis. Beatrix enim Bonifatio Etruria oriundo viro quondam potentissimo nupserat. Matildis cum Gothfredo Luce, Parme, Rhegio ac Mantue imperavit;

item eam partem Umbrie ac Etrurie, quod Petri patrimonium appellamus, hanc quoque possedisse et ecclesie legasse tradunt. In synodo ad Sutrium habita propulsandi schismatis gratia, ut pontifex quisque legitime deligeretur, tunc sanctio facta, ut a cardinalibus is imposterum rite crearetur penaque adversantibus negligentibusque indicta.

LIBER III.

Post Andree regis interitum Bela fraterno bello superior fusis hostibus rerumque potitus Albam contendit, ut a pontificibus primatibusque Ungarie universis approbatus rite coronaretur. Inito regno ad pacandam regionem et curanda gentis commoda animum advertit et, quod a principio intendit, e sententia consecutus est. Siquidem absque gravi hostium molestia pacem et otium in regno servavit. Ne qua in commerciis fraus ac dolus committeretur, ex argento postulato pecunia ex edicto decussa, equa rebus venalibus indicta pretia. Et, ne quo argentariorum negotiatorumve astu ac versutia simplices rudesque deciperentur, et nummis et rebus vendandis leges prescripsit, que, si contemnantur, magna hinc paupertatis et inopie detrimenta proveniunt, si vero bona curentur cautione, nemo emendo vendendoque circumveniri potest. Monopolia instituit, diem sabbati mercatibus dicavit, emporiis omnibus locum tempusque prestituit, Byzantios aureos admisit, quorum unus pro quadragenis argenti nummis solebat expendi; hac igitur aurea argenteaque pecunia promercali utebatur; nulla, quoad vixit, alia mutata. Sed illud facinus memoria non indignum prestitit. Quicumque enim Salomonem regem secuti fuerant, eorum uxores, liberos ac fortunas incolumes illesasque servavit, ut, cum vellent, omnibus postliminio redire foret integrum, quin et sollemni his edicto redeundi data copia. Quo beneficio victi rediere quamplurimi iique fidelissimi facti sunt. Aucta deinde regis pietas in universum, nam vectigalium gravitatem levavit, provinciis tributa remisit. Quare brevi plebs cum nobilitate eo usque divitiis excrevit, ut ne minimus quidem rusticus inventus sit egenus et e finitimis nemo etiam diuturno adiutus otio tanti census fuerit, qui cum Ungari opulentia conferre se potuerit.

Cum orthodoxam fidem ob rerum omnium copiam et longum otium, unde ingenia facile lascivire solent et ad quodque facinus esse prompta, clam labefactari conspiceretur, promulgavit edictum, ut vicatim duo seniores evocati Albam convenirent. At, ubi conventum propediem futurum omnes intellexere, non solum agreste genus hominum, sed cetera multitudo iniussa confluit. Rex et cum optimatibus pontifices, admodum formidarunt, ne qua a ceca multitudine vis aut iniuria inferretur. Quare inito consilio in urbem omnes se recipiunt, contra vulgus eam servant et tuentur. Interea rusticorum agmina inter se pagatim prefectos sibi creant, quibus mandata dant, ut per internuncios a Bela rege pristinam Ungarorum fidem impetrent, item abolendam novam Christianorum su-

perstitutionem, lapidandos episcopos, presbyteros omnes e medio tollendos, amoliendas deorum edes et publicanorum demum exitium efflagitent exorentque. Cum hec regi detestabilia nunciarentur, se tertio die responsurum esse dixit et commode deliberaturum. Interea pagorum prefecti, quos prepositos appellabant, pro se quisque passim contiones habebant, ubi adversus Christi fidem et ad extirpandas fidelium opiniones triduo predicabant, congratulabantur plebeiorum animi et gratis contionibus cum magno plausu acclamabant. Tridui spatium rex prudentissimus idcirco sibi dari postulavit, non ut quicquam de fide consuleret, quam exploratissimam habebat, sed ut interea exercitum tumultuarium cogeret, quo profanam et inconstantem paganorum plebem circumveniret, de auctoribus factionum supplicia sumeret ac reluctantes gladio interciperet. Tertio igitur die, quo responsa daturum se receperat, turmis equitum multisque cohortibus insipientem multitudinem obducit. Mox dato signo milites in eam strictis ensibus irruunt, a principio, ut metu percillant, nonnullos cedunt, capiunt prepositos captosque ad unum omnes ex altis turribus deturbant captivamque plebem partim vinclis et carcere, partim flagellis afficiunt. Hec tertia fuere iacta fidei fundamenta, nam, postquam a sancto rege Stephano exuta infidelitate ad veram religionem conversa est Ungaria, hac tempestate tertio defecit, sed Andree ac demum Bele opera consilioque revocata est. Deinde tertio regni sui anno, cum ad Demes oppidum venisset, ex heliocamini ruina confracto solio ita regis membra contusa, ita nonnulla ossa luxata sunt, ut desperata validudine egrotare ceperit. Mox pro quibusdam regni causis, que magni momenti fuerant, ad Canisam fluvium lectica subcollantibus pretorianis militibus delatus est ibique vite diem increbrescente morbo clausit. In divi salvatoris cenobio sepultus, quod ipse edificarat. Locus ille Zewgwardus ab Ungaris appellatus, quia calvus Bela fuerat ac nigro colore suffusus.

Audito regis obitu Salamon Henricum quartum nomine imperatorem ac Sophie uxoris fratrem indulgentissimum extemplo adit rogatque, ut se in regnum restituat hereditario iure sibi debitum neve patiat se cum Sophia augustali sorore ulterius regia dignitate carere. His precibus ille victus validissimum repente exercitum cogit, legiones et auxilia undique convocat, deinde comparatis omnibus, que bello sunt usui, in Ungariam castra movet, quam et rege orbatam et propugnatore carentem offendit. Geysa ac Ladislaus viri quidem pro etate circumspecti, cum se imperatoris viribus impares esse intelligerent, salutem consulere, se ad suos, unde ex matre orti fuerant, in Poloniam recepere. Indolere fortunam regulorum Poloni eosque bono animo esse iussere; nam data occasione in Ungariam et opinione citius se restitutos esse pollicentur.

Henricus cum Salomone Albam contendit ibique habito sacrorum profanorumque ordinum conventu ita disseruit: Nescio, Pannonones, quonam fato vobis datum est, ut non solum in rebus humanis, verum etiam et divinis tanta animorum imbecillitate, perfidia

et infidelitate laboretis, ut sub nullo deo ineatis tranquillitatem, sub nullo rege verum otium inveniatis. Divo Stephano vestre salutis ³⁰ auctore in veri dei agnitionem pervenistis. Subivistis salutarem religionem et non solum documentis, sed ingenti miraculorum experientia, quam utile et beatum sit, Iesum Christum servatorem nostrum unice colere et adorare didicistis. Deinde, ut prima, que ³¹ a Carolo Magno rudimenta acceperunt maiores vestri, nunc omittam, bis post divum regem ab orthodoxa fide defecistis. Utinam hac ³² tantum perfidia vobis exitio fuissetis et familiarum dumtaxat vestrarum ruinam cum vestra traxissetis, ut pro vestris tantum detrimentis vos penas luere oporteret. Verum ita in alienam perniciem ³³ preter ius et fas scelera vestra grassata sunt, ut, nisi clementissimum indulgentissimumque numen coleretis, neque humana neque divina supplicia vobis digna excogitari possent. Quod enim in Andree ³⁴ Leventeque ingressu intactum pretermisistis? Cesi pontifices, quid cesos dixerim? immo rapidis curribus distracti, iacti e rupibus, sacerdotes ad aras ante numinum conspectum obtruncati, dum pro publica, immo vestra salute operantur. Basilice dirute, ignis deos ³⁵ patrios ac potissimorum simulacra numinum passim absumpsit. Extincto ³⁶ hospitalitatis iure in Italos et Alemanos ita usquequaque sevitum, ut nemo lacrimis commiserationem invenerit. Ab Italis ³⁷ provincias, leges, mores, lucem fidei optimasque disciplinas, a Germanis et Alemanis politicas artes accepistis. Esto, in externum ³⁸ sanguinem seviatur et in viros sacrosancti ordinis, quando Scythica immanitas neque veram religionem neque peregrinam consuetudinem equo animo pati potest, at quid in vos ipsi furitis, efferatissimi homines? Duos fratres vestro genere natos pro ³⁹ intestino livore ac vestris factionibus dimisistis, commisistis in certamen et nemini fidem, immo ne vobis quidem ipsi servare potestis. Si mutuo dissidio laboratis, quam vobis quietem sperare licet? ⁴⁰ Cupidi semper estis novarum rerum et ab ipsa novitate sacrilegii, homicidii ac rapinarum et latrociniorum materiam queritis. Bela ⁴¹ pacato iam regno vobis otium pepererat, remiserat vectigalia et, quo potuit, studio a miseria et calamitate redemit. Contra otio et ⁴² opulentia vos abusi nil aliud querere ocepistis, nisi ut reiecta fide iterum atque iterum in pristinam feritatem et profanam deorum opinionem recideritis. Quo usque tandem, Ungari, vester hic furor ⁴³ et immanitas inaudita in deos hominesque grassabitur? quando acerbissima hec vestra ingenia mitescent? Sed hoc, quod ad deos ⁴⁴ pertinet, Scythico generi tribuatur, quod ita ab humano consortio quondam secessit, ut prius cum Faunis, Sylvanis et demonibus quam hominibus maiores vestri versati reputentur. Ad vos ipsos ⁴⁵ tandem veniamus et peregrinam consuetudinem dimittamus. Quid est, quod tantis inter vos factionibus et intestinis odiis quotidie laboratis? Nescitis, nescitis, inquam, Ungari, quanta vis concordie ⁴⁶ numini insit, quippe quae humilia extollit et illustrat obscura et non modo rempublicam et regna conservat, verum etiam amplificat ac immortalitate donat. Nonne maiorum exemplo iam diu didicisse ⁴⁷

debuertis, quantum coniunctio animorum et concordia valeat? Illi 48
 e recondito septentrionis angulo incogniti in Sarmatiam Europicam
 prodire; non tam viribus quam unione pollentes, quacunque iter
 fecerant, omnia subegere et ita subegere, ut non modo Illyricos,
 Gallos et Germanos, verum etiam Italos rerum dominos protrive- 49
 rint, spoliarent ac ferro incendioque absumpserint. Contra vos di-
 versa sentientes et intestina labe contabefacti non solum potentia-
 tum amplificare, sed ne regnum quidem a maioribus partem reti-
 nere potestis. Semper inter se fluctuat Ungaria, que si mutuis si- 50
 multatibus carere posset et a vera fide non deficeret, unde hec
 omnia mala provenire, o quanta splendoris et potentie rebus Un-
 garicis fuisset accessio! Proinde vos queso, omnes malos mores 51
 exuite, imprimis timete deum, Iesum Christum servatorem nostrum
 toto corde ac mente complectentes amate, divina mandata servate.
 Post hec verum legitimumque regem vestrum Salomonem divi Ste- 52
 phani pronepotem colite et observate, huic uni obtemperate, hunc
 esse iubete regem, huius imperio parete omnes. Abdicate regulos 53
 et exigite ac pronunciate hostes, quicumque in Salomonem aut arma
 sumpserint aut obsequium detrectarint. Vos autem, pontifices ac 54
 satrape, hunc ex more create regem ac sollempnibus cerimoniis sa-
 crosantum facite. Ego vero, quem vos iusseritis esse regem, Sa- 55
 lomonem augustali auctoritate confirmabo. Ad postremum ortho- 56
 doxam fidem observate, amate pacem et mutuam inter vos carita-
 tem et concordiam retinete.

Imperatoris dicta primum a pontificibus et primatibus, deinde 57
 ab universa multitudine approbata; Salomonem regem pronun-
 ciant et exclamant. Mox de more in sancti regis basilica sceptro ac 58
 diademate eum honestant. Omnes deinde rite in eius manus in so- 59
 lio collocati iurarunt se nunquam eius imperium edictumve detrec-
 turos, sed sponte gratissima queque obsequia prestituros. Resti- 60
 tutionem hanc sacris sollempnibus, magnis plausibus et faustis
 acclamationibus celebrarunt; item edita spectacula diebus aliquot
 variique ludi et sparsa missilia. Henricus autem restituto Salomone 61
 ac pacata Ungaria ab eo magnificentissime donatus in Alemaniam
 revertitur. Quod anno ab incarnatione domini sexagesimo tertio 62
 supra millesimum accidisse Australium annales prodidere.

Multa eo tempore mala emersere, que et monstrum pago edi- 63
 tum portendit, femineo sexu supra umbilicum geminatum hominem,
 unum infra referens. Incessit ingens quoque fames et perniciosa 64
 pestis. Nam, cum Alexander pontificatum maximum obiisset, Cis-
 alpina Gallia, que a Romana sede defecerat, indignum rata aliunde
 Romanum pontificem quam e paradiso Italie, quam Lombardiam
 esse dicebant, deligi Candolum Parmensem episcopum habito epi-
 scoporum conventu pontificem maximum creat, quin et hanc deli-
 gendi pontificis potestatem invita Agnete matre ab Henrico quarto 65
 impetravit. Huic Longobardi omnes iuxta parucere preter Matildim 66
 et Gothfredum virum eius. Candolus cum exercitu Romam prope-
 rans in Neronis prata descendit. Nutantibus Romanis Alexander

pontifex cum Gothfredo, qui cum auxiliis advenerat, ad Lateranum se continebat. Conserto in urbe prelio Candolus funditur et fugatur. In sequenti anno corruptis largitionibus patriciis nonnullis urbem repetit, Vaticanum ac divi Petri edem occupat, sed irruente populo Romano a suis ibi destitutus et a Cincio cive Romano perfecti filio in arcem sancti Angeli perductus et mox a Romanis simul obsessus est et biennii obsidione eo adactus, ut CCC argenti pondo se redemerit strigosissimoque invecus equo in Germaniam aufugerit. Otho Coloniensis metropolita, qui artibus Henricum adolescentem circumvenerat, ut is Agnetem pientissimam parentem administratione privaret sibi que gubernationem rerum committeret, ad pacandam Italiam profano schismate laborantem imperatoris mandato adventit. Concilium Mantue huiusce rei gratia habendum edicit ibique extirpato schismate verus pontifex Alexander comprobatur et adoratur ab omnibus. Qui Romam rediens pacatam urbem, sed Campaniam perturbatam offendit. Quippe Ricardus Normannus cum Guilielmo filio Capuam subegerat, invaserat Beneventum et Cepetanum obsederat. Rogerius Brundusium obsidione cinxerat. Item Henricus anno regni sui nono in Pasche sollempnibus gladio accinctus est; paulo post Bertam Othonis comitis augustalis filiam uxorem duxit ac multa undique mala mox exorta. Nam Otho Bavarie dux ab Henrici fide defecit, Gelpho Othone eiecto tyrannidem occupavit ac deinde cum Rodulpho Suevorum ac Bertoldo Carinthie duce adversus Henricum coniuravit regemque hi cum ceteris coniuratis Rodulphum elegere; Saxonico is bello admodum vexatus est. Sed ad rem nostram redeamus.

Postquam Geysa ac Ladislao Henricum Ungaria abiisse significatum est, haudquaquam rem differendam rati cum Polonicis copiis regnum repetunt. Salomon nondum satis expertus audito adversariorum adventu, ut tutiore se loco collocaret, Mosoniensem arcem petiit pro loco ac tempore munitissimam. Pontifices ac sacerdotes, ne fraterna bella ultra conspicarentur, se inter utrosque medios ingerunt imprimisque Desiderius episcopus vir non minus probitate quam eloquentia potens cum magno sacerdotum ordine Geysam adit. Ad pacem et concordiam tanta dicendi copia ac orationis vehementia et suavitate hortatur, ut ad reconciliationem inclinaret. Fedus inter patruelus fratres hac condicione ineundum persuasit, ut Salomoni quamvis iuniori regno cederet et veluti legitimo regi pateret, ipse vero paterno ducatu potiretur. Huius monitis precibusque victus Geysa una cum Ladislao fratre in totius Ungarie conspectu lauriensi urbe Salomoni se reconciliat. Fedus inter eos sollempne ictum mutuoque iuramento munitum, quod, dum Fabiani Sebastianique anniversaria celebrantur, percussum fuisse ferunt. Reconciliatis animis regi cum Geysa duce et Ladislao multa caritas et assidua consuetudo intercessit. Subsecutum Pascha in Quinqueecclesiensi urbe ab his cum universa aulicorum ac primatum multitudine celebratum, ubi in divi Petri basilica inter sollempnia Salomon iterum acclamante populo a Geysa coronatus. Quod tanta

Ungarorum omnium letitia celebratum, ut diem publice hilaritatis inter fastos retulerint. Deo Iesu optimo maximo humane pacis auctori per omnes aras gratie acte et facte supplicationes. Sed ingens future discordie portentum proxima nocte intercessit, tota enim Petri basilica contiguaque edificia repentino quodam incendio absumpta sunt. Quare exorto tumultu maximus utrunque melius incessit, alter alterius id factum insidiis esse rebatur, uterque tamen culpa vacabat. Diversa quoque fuga fertur ad solis exortum; re per fideles internuncios explorata omnibus plane constitit nihil ex utraque parte doli fraudisve tentatum; repentino inopinatoque id igni accidisse comperiunt. Quod ubi satis ambo compertum habuere, amota omni suspitione pacem concordiamque redintegrant.

Adeitha Salomonis soror et Bratislai Bohemici ducis uxor duobus ante annis vita excesserat, que haud mediocri tristitia fratrem affecerat; id anno salutis sexagesimo secundo supra millesimum accidisse annales prodiderunt. Vir eius Spitigneo fratre vita defuncto omnium consensu Bohemie ducatum obiit, Moravie regnum inter fratres divisit, orientalem eius plagam Othoni venationi nimis idoneam et piscibus exuberantem, occidentalem vero fertiliorem Corrado adiudicavit. Jaromirum natu minorem, quem ad litterarum studia converterat, invitum sacris initiavit et Henrici imperatoris auctoritate Pragensem pontificem creavit, qui deinde post initum pontificatum Gebeardus dictus est. Ex Bratislao igitur duce et Adeitha coniuge Andree regis filia Iuditha, Ludmilla et Bratislai duo editi. Post uxoris obitum Zuatanam Cazimiri Polonie ducis filiam Bratislaus sibi coniugavit Boleslai Bladislaique sororem, ex qua liberos quattuor optime indolis accepit, unus Boleslaus, Borvius alter dictus est; Bladislaus et Sobeslaus reliqui. Sed inter Bratislaum ducem et Gebeardum fratrem, qui Pragensis presul erat, exorta dissensio. Et ducis arte factum est, ut Rodolphus apochrysiarius a Gregorio pontifice missus Pragam venerit Gebeardoque antistiti sacra interdixerit. Nihil enim Bratislao duci erat antiquius, quam si frater, quem admodum reformidabat, pontificatu Pragensi abdicaretur. Is igitur Romam ad Gregorium pontificem maximum venire iussus Matildis patrocinio, in cuius genus maternum sanguinem referebat, abrogato anathemate in pristinam dignitatem pontificia auctoritate restitutus est. Sed ad diverticulum revertamur.

Dum Salomon ac Geysa mutua se concordia fovent, ecce nova expeditio his offertur. Zolomirus Dalmatie rex, qui Geysa et Ladislai sororem connubio sibi copularat, per legatos ab utroque auxilia sibi dari postulat, cum a Carinthiis, qui magnam Dalmatie partem dudum occupant, gravissimo se bello infestari diceret. Subvenendum socio censuere fratres; inito consilio expeditionem suscipiunt; comparatis copiis veniunt in Dalmatiam, quam eiectis perbreve Carinthiis ac Noricis Zolomiro pacatam reddidere. Is tanto beneficio affectus Salomonem ac Geysam cum universis equitum prefectis amplissime donatos remisit. Dum in Ungariam redeunt, Atha pretorii prefectus, quem palatinum appellant, in Zelyzem agrum,

ubi divo Iacobo cenobium cum ede exedificarat, regem cum duce precibus multis invitat, ut dedicationem templi fausta presentia honestarent, quod a principibus facile impetravit.

Hac rex Salomon cum Davide fratre infelicitate non caruit, 100
quando tanta uterque sterilitate laboravit, ut liberos nunquam ha-
buerit; in ipsis Andree regis semen plane defecit. Quod divino quo- 101
dam fato factum arbitrantur, nam, cum Andreas cum Leventa fratre
in Ungariam rediit, regnandi cupiditate tractus efflagitantibus Un-
garis Christianorum interitum ac fidei sacrosancte abrogationem
permisit, item Vatham profanorum principem ceterosque sceleratis-
simos in Gerardum aliosque pontifices et sacerdotes sevirare passus
est. Contra e Geysa liberorum mira fecunditas; Colomannum nan- 102
que genuit et Almum, filias quoque nonnullas, unde regem Un-
garie seminarium promanavit. Pax et concordia inter Salomonem 103
ac Geysam tredecim circiter annos perduravit, quare factum est,
ut non modo regnum opulentum effecerint, verum etiam nulla bella
sine magna laude peregerint.

Per id temporis Bratislao duce Bohemi audacia et temeritate 104
elati in Trencheniensem agrum erupere, abegere pecora multosque
cepere ac agrum denique ferro incendioque vastarunt. His iniuriis 105
Ungarus accensus Salomonis et Geysae ductu auspiciisque Bohe-
miam tam validus invasit, ut hostibus in aciem prodire non auden-
tibus universam fere spoliavit vastarique. In quo quidem bello 106
Bator Opus Martini filius preclarum facinus prestitisse fertur; nam
cum Bohemo insane magnitudinis, qui Gigantis instar erat, singu-
lari certamine dimicavit eumque mox prostratum humi obruncavit.
Qua victoria potitus apud Ungaros ita claruit, ut sibi ac suis per- 107
petuum nomen compararit. Post exactas a Bohemis cumulatissime 108
penas Salomon cum exercitu magna preda onustus in Ungariam se
recepit.

Deinde, ne fortuna Pannoniam otio torpere pateretur, Chuno- 109
rum bellum exarsit, qui profana infidelitate laborantes eam Geta-
rum plagam incolebant, quam nunc Valachiam dicunt. Hi nanque 110
cum innumera paganorum multitudine ea superiore parte patefacto
aditu per portas et claustra, que Mezes appellant, Ungariam inva-
dunt totamque provinciam, quam Nir vocant, usque ad Byhor op-
pidum discurrunt. Pecora cum hominibus abigunt diripiuntque 111
cuncta et opinione citius traiecto Lapo Zamoque fluvio cum ingenti
preda redeunt. Cum iterum successu rapinarum allecti ea repeterent, 112
Salomon cum Geysa duce tumultuariisque copiis portas occupat,
ad Dobokam urbem septem diebus moratur eos. Interea speculator 113
quidam e Novo Castro natus, cui Fancisca nomen erat, advenit; ad-
monuit iam dudum Chunorum exercitum appropinquare ingenti
preda ditatum, quare hosti continuo occurrendum rex esse censet.
Proxima nocte eorum castris adhesit atque illucescente die, qui 114
Veneri dicatus erat, ex edicto omnes prelium subituri sanctissima
animos eucharistia muniunt; mox educta acie collatis signis in
hostem properatum. Quod ubi Osul Giule Chunorum regis prefec- 115

tus haud procul aspexit, nimia confusus audacia quosdam levis armature
 milites obviam premisit, qui Ungarorum vires tentarent, ratus nullos
 esse populos, qui cum Chunis dimicarent. Ast, ubi premissa cohors 116
 quadrata Ungarorum agmina et cataphractus equitatus aspexit, nequa-
 quam manum conserere ausa ad Osulem perpropere rediit, instructas
 validasque hostium copias refert vix universis Chunorum viribus
 expugnari posse; quare Osul sibi consulens proximum montem et
 eundem editissimum repente occupat, munitissimum ibi presidium im-
 ponit. Montem accole Cyrihylem appellant, quia sylvarum quasi domi- 117
 nus esse videretur. Postquam Ungarus montem ab hoste occupa- 118
 tum esse videt, eum continuo amplo legionum ordine circumducit
 datoque pugne signo radices pedetentim conscendit, decurrunt
 obviam sagittarii funditoresque, ut subeuntem hostem clivo montis
 arcerent. Tanto impetu pugna conseritur, ut sagittarum imbribus aer 119
 obscuraretur. Obstant Ungari gravique armatura ictus facile per-
 ferunt. Ex Ungaris hippobaliste quidam audacissimi concitatis equis 120
 arduum montis clivum conscendunt, e sagittariis quosdam obtruncant,
 perturbant eorum aciem suisque succedentibus animos addunt. Sa- 121
 lomón acerrimo succensus animo nullam clivi difficultatem evitat;
 recta cum equitatu suo quasi reptabundus hostem suppetit. Sub 122
 maxima spiculorum nube dentibus infremit neque laborem neque
 periculum reformidat, hostem tantum anhelat. Contra vero Geysa 123
 longe consideratior faciliorem clivum prudentissime captat, quem ubi
 equitatu suo facilem et benignum invenit, ea subit, repente cum
 sagittariorum acie congreditur. Ladislaus se imprimis inter confer- 124
 tissimos hostes inserit, primo impetu quattuor in fronte pugnantes
 interficit; dum quintum subinde petit, gravi ab eo vulnere leditur,
 sed ne impune quidem, quando hominem statim obtruncat. Divina 125
 mox ope virum deo gratissimum curatum ferunt. Hoc impetu con-
 sternati sagittariorum animi cedere occipere. Instant eo magis hi 126
 atque in rasa Chunorum ex more capita valde deseviunt; ea cu-
 curbitarum more dstrictis gladiis plane diffringunt. Sed hic preclar- 127
 rum quoddam Ladislai facinus preterire non possum, qui, cum equi-
 tem quendam raptam virginem equo auferre prospiceret, hominem
 continuo insectatur, ut sancte virginitatis assertor esse videretur. Fu- 128
 git hostis, hic pro viribus a tergo instat et, cum vulnere impeditus
 raptorem capere non posset, ad virginem exclamat mira venustate
 peditam, ut se precipitem ex equo dedat hostemque secum trahat.
 Dicto celerius imperata prestitit puella, quam Varadiensis episcopi 129
 filiam esse rebatur opinione deceptus. Postquam Chunum equo de- 130
 turbatum dux magnanimus conspicatur indignum fore ratus non
 equo cum hoste et presertim singulari certamine dimicare, ex equo
 repente desiliit eumque securi, quam Ungarico more gestabat, ag-
 gressus trucidavit. Nonnulli virginem a tergo Chunum cum Ladis- 131
 lao colluctantem surrepta securi percussisse ac assertori suo suc-
 centuriatam fuisse ferunt. Contra alii pro hoste supplicasse scribunt.
 Adiiciunt aliqui equum Ladislai non tam viribus et pernicitate quam 132
 natura fuisse prestantem, quippe qui domini mandata nutumque

mirifice observaret, cui mos erat hostem morsu calceque impetere, nunquam deserere dominum et in periculo maximo miram ingenii dexteritatem adhibere. Superato iam medio clivo, cum hostes se ab Ungaris circumventos conspexere, defectis animis, quo fugerent, nesciebant. Dum feruntur diversi, captivorum multitudo facta seditioe et elato clamore suos hortatur, iugum ipsa montis occupet. Ne qua spes hosti supersit, subreptis armis in hostium terga de-sevit, eos in infesta Ungarorum arma deiicit. Tanta Chunorum strages in monte patrata, ut nuncius non superfuisse dicatur. Salomon igitur et Geysa cum Ladislao victoria potiti liberata ingenti captivorum multitudine et gloriosa letitia exhilarati in Ungariam rediere. Is publice hilaritatis dies inter fastos relatus, gratie diis immortalibus sacris hymnis acte et celebrate supplicationes.

Tres circiter annos in otio permansere magnaue inter principes concordia viguit. Vix tertium annum exegerant, ecce a Mysia bellum grave suboritur; quippe Bessi ac Bulgari, qui inferiorem Mysiam et Danubii ostia, veluti supra diximus, accolunt, traiecto Savo ad Taurunium, quam Albam Grecam nunc vocant, in Syrmium inferioremque Pannoniam effusi cuncta diripiunt, pecora cum hominibus abducunt et remenso amne rapinis onusti in Bulgariam se recipiunt. Ungarie principes huiusce mali Albenses auctores esse dicunt, quibus invitis Bulgari Bessique in Ungariam nunquam traicere potuissent, quare proditionis crimine acerrime suggillantur. Et illud gravius Ungaris esse videbatur, quod a vicinis iisdemque amicis, unde minime deuit, vastationes, predas et incendia acciperent; fedus ac pacem fregisse criminabantur. Proinde a rege ac duce Geysa per fetiales Albensibus bellum indictum. Habitus in utraque Pannonia delectus; ad Zalankemensem pagum, qui sub Buda prope Danubium ad septuagesimum lapidem situs est, prime copie convenere. Ibi primum castra sunt habitata et auctus legionibus et auxiliis exercitus. Et de ulciscenda Albensium proditione disceptatum, tandem de obsidione prius decretum est ac motis subinde castris ad Savum usque perventum. Postquam in fluminis ripa constitere, prima hora diei promulgatum est edictum, ut omnes traiecto Savo Albam obsiderent. Milites dicto citius imperata faciunt. Bulgari, Thraces, Macedones et Greci, qui tutande urbis gratia illuc convenere, his adversari occepere et presertim Greci, qui amnica classe Istrum subiverant, Pannonicam classem, que secundo amne defluserat, iniecto igni comburere nitebantur. Contra Ungari irrevocabili fluxu in hostes delati navium multitudine viribusque freti iniectas flammam ciliciis mox extinguere, prosilire in celoces hostium atque in aquam deturbare nautas; hos pilis, gladiis illos impetere, nullum recusare discrimen, sed secundo Marte succensi nil magis quam hostilem sanguinem anhelare, illi vero irruentibus supra navigiis, cum obstare non possent, omnes una trahi ac misceri. Demum Greci classe partim demersa, partim capta, qui superfuerant, coacti terga vertere. Dum hec navali pugna geruntur, ne minus quidem prelium in Savi ripa committitur. Bulgari tandem cum auxi-

liaribus copiis ab Ungaris inde reiecti, mox fusi fugatique; quippe navali victoria consternati ac sinistris his exanimati auspiciis propere se pugnatos esse diffidebant.

Reiecto igitur terra marique hoste Bulgariam, que utranque 140 sibi Mysiam usurparat, Pannonos invasere ac regione longe lateque populata tertio die reversi Albam circumveniunt. Greci Bulgarique in urbe obclusi imminens ex obsidione discrimen reformidantes Bessos clam litteris admonent, sibi subveniant, quando parvi momenti foret obsidio, asseverantes urbem neque a rege neque a duce Geysa, sed a Vido tantum regali comite legionisque prefecto cum cohortibus Bachiensibus obsideri; proinde hos exorant, tempestivam opem afferant Albamque obsidione liberent. Bessi stolidam 151 fide ducti tumultario exercitu coacto repente succurrunt; qui postquam castris hostium appropinquarunt, cum exploratam se victoriam adepturos dudum crederent, prede cupiditate perciti in Suproniensium stationes irruere, quorum Ianus prefectus erat; adoriuntur incautos. Contra hi Bessorum impetum forti animo sustinentes 152 perbrevis cesis, qui in prima acie prostabant, ceteros inclinarunt. Quod ubi factum est, tam male ab illis pugnatum, ut pars magna 153 desiderata, reliqua capta fuerit; vix Bessorum principi, cui Cesari nomen erat, cum paucis evadere licuit. Ianus ob rem bene gestam 154 multis donis, item villis et honoribus a Salomone Geysaque donatur; preda militibus concessa et dena viritim sestertia distributa. Cum in edito loco ante urbem rex cum principibus accumberet, eo 155 die, quo cum hoste consertum est, unde facile ab oppidanis prospectari poterant, ecce milites cesorum capita, item equos et hostium spolia ante mensam regis contulere ibique allata capita percensebant, ut hoc immiti tetraque spectaculo oppidanorum animos a pertinacia dehortarentur ad deditionemque converterent, quod a ientandi hora fere ad occasum usque perduravit.

Post hec de oppugnatione urbis inter proceres disceptatum. 156 Demum principibus visum est octenas circum turres erigere in castellorum speciem, que multo altius menibus imminerent, unde non modo oppidani a propugnaculis ac muro amoveri, verum etiam in mediam urbem tela saxaque torqueri possent ac eas pluteis machinisque aliis iuxta munire. Item inter turres bellica tormenta 157 disponere, ingerere vineas et arietes admovere, testudines ac cetera instituere, que ad amolienda menia facerent. Dispositis ex ordine cunctis bellicis instrumentis urbem primum quatere, plerisque locis muros aperire, instructa mox acie subire menia. Contra illi menibus 158 arcere, in subiectam aliquos fossam deturbare incipiunt. At, ubi non facile urbem presidio, loco arteque munitam capi posse conspiciantur, propugnaculis ac menibus ad solum usque demolendis animos intendunt, septo ac fossa eam circumveniunt, ne quid efferris inferre posset; deinde muros ariete, testudine ceterisque 159 machinis usque adeo quatere adorti, ut nunquam sane cessarint, quoad solo equata menia conspexere. Cumque eam invadere tentassent, tam forti presidio sensere defendi, ut non modo intra mu-

ros continere, sed ne erumpentes quidem hostes quandoque incauti
 tolerare possent. Sexagesimus adhuc dies in obsidione teritur, 160
 nihil tamen profecere; sepe egredientibus ex urbe oppidanis utrin-
 que cruenta nimis pugna dimicatum, at illi partim cesi, partim in-
 tro relecti. Paulo post tres Bulgari ne minore quidem robore quam 161
 audacia prediti ex urbe prosiliunt; hic iaculo, ille lancea, sagittis
 iste sevit. Ex improvise nonnullos aggressi graviter agunt. Salomon 162
 quidam hippobalista regius ex his unum letali vulnere confodit
 humique prosternit. Hunc Ungari moribundum rapere, contra re- 163
 trahere socii nitebantur. Dum is ita ultro citroque distrahitur et sat 164
 a suis retinere videtur, rex statim exclamat: Utinam talis his, qualis
 maioribus nostris, virtus inesset, qua nunc freti res Ungaras tu-
 erentur. Quod ubi milites audivere, tres contra ex Ungaris in eos 165
 irruere, quorum unum Opum, Georgium alterum, tertium Borsum
 fuisse memorant; tanta vi ac ferocia adoriuntur, ut statim terga
 dare cogerentur. Opus ad portas usque insequitur, sed mox op- 166
 pidanorum telis saxisque reiectus in castra rediit illesus. Cadaver
 hostibus ereptum Georgii Borsique suasu ab Ungaris unco trac-
 tum in excrementariaque loca proiectum.

Vix tertium fere mensem obsidionis iniverant, cum Pannonica 167
 virgo in Syrmieni agro capta et Albe in servitum asserta (quod
 an casu an ex industria ulciscende captivitatis gratia factum sit, ne
 satis quidem compertum habeo) clam in urbe incendium suscitavit,
 quod subsolano flante usque adeo adauctum est, ut mox longe late-
 que grassari videretur. Ungari, qua facilior dirutis menibus aditus 168
 offerebatur, hac urbem subeunt; Bulgaros, Grecos ac Bessos ob-
 truncant, qui primum occurrerant. Ceteri in fugam versi cum 169
 Nicota eorum duce in arcem se recipiunt. Capta urbe ac desidente
 postero die incendio reconditi sub terra thesauri quam plurimi pa-
 tuere. Scrobes in plerisque locis inveniunt, in quibus aurum, gem- 170
 mas, lapillos, argentum ac preciosa pallia infodere; tanta divitia-
 rum deprehensa copia, ut nemo miles inditatus abierit, quare inter
 Salomonem et Geysam suborta discordia. Qui autem in arcem con- 171
 fugerant, deditioem eius pollicentur, si relictis impedimentis red-
 ditaque arce vita dumtaxat et libertate donentur. Data fide rex et 172
 Geysa eos loco decedere ac libere abire iubent. Quod ubi factum
 est, Nicota primus prelata dive genitricis icone succedente presi-
 diaria turba ex arce descendit et per alme virginis numen exorans
 ad pedes Geyse, quem religiosissimum pientissimumque noverat,
 se provolvit genua amplexatus. Ad regis genua procidere pauci, 173
 quippe qui inclementem audiverant et perniciosus Vidi comitis con-
 siliis auscultantem, qui et deorum contemptor et hominum insi-
 diator esse ferebatur. Cum rex ex dediticiis hostibus plures ad 174
 Geysam quam ad se implorande salutis gratia venire conspicar-
 etur, animo vehementissime commovetur, ira et livore iuxta absumi-
 tur. Ac ne satis quidem probabilem indignitatis causam reperire 175
 licebat. Capta Alba solutisque castris, dum iter in Ungariam re-
 metiuntur, in Busie pagum et Vidi predia divertere. Cumque ibi 176

predam, spolia captivosque, qui ex arce se dediderant, rex dividere vellet, nihil Geyse intercessione fieri potuit, quo magis rex succensus est. Hinc dissensionis et discordie augetur initium. Thesaurum Albe repertum ibidem nemine refragante dividere placitum est. Vidi et Radoani Bugaris filii, item Ilie. Vidi generi Francique episcopi consilio quadripartita divisio facta: regi prima, secunda Vido, Ilie tertia, quarta Geyse cessit, unde is indignatione summa corripitur.

Sub hec tempora ab anno salutis septuagesimo fere ultra millesimum inter Bohemos et Australes orta dissensio ac bellum usque adeo atrox, ut magnam cladem ediderit. His Leopoldus divi Leopoldi pater, quem pium ex cognomento nominant, illis Bratislaus cum Othone et Corrado fratribus imperant; e finibus bellum exarsit, cum arta prius essent caritate coniuncti. Moraviam ab Austria non montes, valles amnesve dirimunt, quando undosa utrinque planicies effunditur; unus dumtaxat rivulus interfuit, quem Dian appellant. Hic primum latrocinia inter finitimos pagos committi, abigi subtrahive pecora, mox pre facinorum impunitate increbesciente audacia vis palam inferri vicique vastari ac ferro res agi et suorum denique quisque fovere iura cepit. E scintilla demum emerit incendium, quod vix multo deinde sanguine potuit extinguui. Corradus Moravie diarcha Leopoldum sepe litteris admonuerat, suorum audaciam coerceret, inhiberet iniurias et futuri belli causas extirparet. Nil preter verba is prestabat admonitus. Demum Bratislaum fratrem ad coercendam Australium temeritatem et insolentiam auxilium exorat. Quin et auxiliares copias, quamvis suis non diffideret, Danubio plane demissas a Ratisbonensi episcopo amicitie iure recepit. Demum ad Leopoldum unum e primatibus suis mittit, qui hostem edoceat et hortetur, ut sollemne convivium paret, ubi se Martis aleam lusurum esse profitetur. Quod ubi rite nunciatum, Leopoldus non modo sacros milites, verum etiam et evocatos undique rusticos ad bellum cogit; ad statutum diem utrinque convenere cohortes equitumque turme. Cum hinc et hinc instructe acies constitissent, collatis concursum est signis et tam infestis animis conserta manus, ut cruoris multum haurirent. Bratislaus, qui in sinistro cornu Corradum et Othonem fratres, in dextro Ratisbonensium auxilia et in fronte se cum validissimo agmine collocarat, tanto impetu in Australes, qui in cuneum se redegerant, extemplo fertur, ut amplius sustineri non potuerit. Circumventus hostis repente concisus; Australium tanta cedes acta, ut pauci evaserint.

Paulo post ob usurpationem alieni iuris tanta inter Henricum quartum imperatorem et Georgium septimum pontificem orta seditio, ut pontifex eum augustali dignitate abdicaret et Rodolphus Suevie dux in eius locum a Germanis quibusdam principibus sufficeretur. Qui, cum Ellestrum annem collatis signis cum Henrico prelium conseruisset, non solum victus est, sed absca dextra mori coactus. Quin et diro vulnere affectus exclamavit; Spectate, inquit, proceres, dexteram legitima supplicia expendentem, que fidem sacramento munitam et Henrico meo domino datam preter equum et

fas temere violavit. Deinde cum infestis armis Italiam ingrederetur, 193
 capta Apulie magna parte ad Canusium se pontifici reconciliavit,
 Romam profectus augustalium insignia recepit. Circa hec tempora 194
 salutis anno octogesimo quinto supra millesimum Iuditha Bladislai
 Polonie ducis coniunx et Bratislai Bohemie ducis filia diem obiit.
 Que cum multis precibus cuncta numina habende prolis gratia sol- 195
 licitasset, his demum invitis filium concepit intempestivumque pe-
 perit, sed tertio die baptismate initiatus obiit. Duobus annis post 196
 Henricus imperator habito Maguntie frequenti pontificum principum-
 que conventu Bratislaum primum Bohemie Polonieque regem de-
 claravit, que ducum prius imperio regebantur, potestasque Egilberto
 Trevirensi metropolitae data, qui augustali auctoritate eum Prage,
 que regni est metropolis, regalibus insignibus exornaret. Is mandata 197
 peragens eum cum Zuatana coniuge coronavit. His quoque tempo-
 ribus exorta inter imperatorem et ecclesiam forte discordia. Hen- 198
 ricus repetita Italia Florentiam pontificis partibus obstinatissime fa-
 ventem obsidet. Gregorius pontifex habita synodo nonnullos diverse 199
 partis episcopos sacro munere abdicavit. Quare imperator urbem
 obsidet et capta urbe in Adriani mole Gregorium tam diu clausum 200
 custodit, quoad Gregoriani Roberti Guiscardi auxilio freti, qui in
 Apulia dominabatur, eos, qui obsidebant, abire compulerunt. Quin 201
 etiam non multo post ad expugnandam Florentinorum pervicaciam
 eorum urbem magna iterum obsidione circumvenit. Eadem ferme 202
 tempestate Leopoldus Austriae dux cum Almanno episcopo Pataviensi
 ceterisque principibus in imperatorem coniuravit. Suevi quoque cum 203
 eodem ad Hoestetensem Danubii pagum dimicarunt. Octogesimo quo-
 que septimo salutis anno supra millesimum sextum cum Suevis et
 Saxonibus ab Henrico quarto bellum instauratum. Verum, unde di-
 vertimus, revertatur oratio.

Cum inter Salomonem regem et Geysam simultates et odia 204
 hostialis prede partitione redintegrarentur, maiora in dies incrementa
 invenere. Quippe Grecorum imperator, audita ducis Geysae libe- 205
 ralitate et clementia fedus cum eo per internuncios inivit, quare
 omnes, qui ex arce deditioem fecerant, a Geysa dimissi sunt.
 Contra a Salomone, quicumque ad eum supplices venerant, violato 206
 iure deditioem in captivitatem asserti. Salomon, cum longe ma-
 iore apud externos principes gratia Geysam quam se pollere intel-
 ligeret, invidia percitus eo magis excanduit. Accedebat Vidi per- 207
 niciosa suasio maledicentiaque letalis, qui crebris suspicionibus
 utriusque animos irritabat; augebat discordiam et, ut patrualem 208
 fratrem e medio tolleret, quotidie hortabatur illud semper obiiciens
 neque regnum duos capere neque vaginam geminos enses conti-
 nere neque maiestatem et amorem in una sede residere posse,
 unum Solem et unum, ut aiunt, lovem homines intueri. Ad hec 209
 dicere nihil regno suspectius, nihil homine ambitiosius esse, inge-
 nitam esse cuique imperandi cupiditatem comparatumque imperium
 neminem alteri, immo ne filio quidem concessurum et accidisse
 sepissime filium in patrem, contra patrem in filium regnandi gra-

tia coniurasse; item regem auctoritate, gratia, opibus et copiis pre- 210
 pollere iisdemque verbis ac variis criminibus suspicionem quotidie
 regis augebat. Itaque tanto magis his irritamentis rex estuat et non 211
 magis odio quam invidia vexatur. Fluctuabat in dies animus et, 212
 quas potissimum commentaretur insidias, impensius inquirebat,
 livorem odiumque dissimulat, ostentat fraternam caritatem. Postu- 213
 lato commeatu lubentissime Geysam et Ladislaum oppida et pagos
 dicioni sue dicatos revisere permisit. Ex dedita non multo post 214
 industria fratrem utrunque litteris accitum ad capiendum Greco-
 rum oppidum, quod Nyr Ungari nominabant, proficisci iubet, ut
 pristinas Grecorum iniurias, qui cum Bulgaris Pannoniam invase-
 rant, ulciscerentur. Quod eo consilio a rege fiebat, ut ambos in 215
 tempore caperet aut quibusvis insidiis circumvenerit. Contra illi
 sibi precavere, nihilominus imperata facere. Ladislaus cum maxima 216
 parte ad oppidi obsidionem proficiscitur, Geysa cum cetera regem
 sequitur ratus, sicut evenerat, Salomonem nunquam alterum sine
 altero invasurum, quod si faceret, Ladislaum absentem vim fratri 217
 illatam cumulate ulturum. Postquam ad Nyr perventum est, op-
 pidani se largitionibus et pretio redemere appensaue multa pe- 218
 cunia hostem amovere. Ad Cenen deinde urbem reditum est,
 ubi corpora curarunt. Mox inde profecti alter ab altero divertere; 219
 rex Strigonium versus contendit. Geysa Ladislaum premonet ad
 declinandas Salomonis insidias, ex oppido, quod Byhor appellant
 Ungari, in Roxanos, quos Ruthenos Rossiosve nunc dicunt, e ve-
 stigio proficiscatur eorumque amicitiam auxiliumque ad coercendam
 regis iniquitatem ac dolos impleret, demum, quecunque ad tuen-
 dam salutem ac dignitatem facerent, summo studio moliatur et 220
 curet. Interea agnatorum discordiam principum rumor passim effu-
 derat et ita seve utrinque suspiciones emergerant et assiduis mus-
 sitationibus augebantur, ut hinc et hinc ad fraternum bellum
 copie compararentur. Iam, dum omnia fluctuant, pontificum quo- 221
 rundam opera ad sedandam discordiam nuncii intercedunt. Hoc 222
 primum convenit inter eos, ut colloquii diem in Danubii insula
 prope Strigonium prestituerent, uterque octenis tantum episcopis as-
 sociatus ad colloquium veniret inermis. Ex composito ad statum 223
 diem venere ambo, ubi multa ultro citroquo obiecta et confutata
 crimina, magna in purganda suspicione interiecta contentio. Tan- 224
 dem redintegrata pace conciliantur; Geysa in ducatum, in Albam
 Regalem Salomon se recepit. Post hec in obsidum speciem rex 225
 Vidum dissensionis seminarium ac diis et hominibus abominabilem
 et Erneum mansuetum ad Geysam misit, qui diligenti apud eum
 custodia pre timore prodicionis servabantur. Contra dux ad regem 226
 Varadiensem episcopum sceleratissimumque Vatham legavit, qui
 pari apud eum diligentia custoditi. Sed, cum Salomon accepisset 227
 tres e Noricis et Vindelicis duces propediem adfuturos, qui ipsius
 precibus exorati adversus Geysam auxilia ducebant, e
 Megyero pago movens extemplo ad Rapchan amnem his obviam 228
 occurrit. Contra vero Geysa, cum neque Ladislaum fratrem presen-

tem neque parata amicorum auxilia tunc haberet, dato sex mensium commeatu Vidum Erneumque dimisit. Rex quoque Varadiensem episcopum et Vatham pari missione donavit; utrorumque commeatus a festo die divi Martini ad Georgii usque anniversarium prorogabatur. 229

Salomon proxima salvatoris natalitia eo tempore ad Castellum Geminum, ut aiunt, celebravit; mox Zalam venit, ubi Marchardus Alemanorum dux et Vidus pravis regem consiliis circumveniunt; hortantur enim, ut Geysam omni auxilio carentem adoriatur neque commeatus terminum et quasi indutiarum initium prestoletur; quando Ladislaus abest et ipse sine copiis est, contra regi omnia abunde suppetunt, adsunt Alemanorum auxilia; quod si hanc commodissimam occasionem elabi patiat, nunquam aliam affirmant similem esse nacturum. Verum, cum rex Saxardiam venisset in cenobiumque divertisset ad vespertina sacra, Vidus iterum et plerique alii eum circumveniunt consuluntque Geysam evestigio adoriatur neque rem differat, quando Ladislaus frater eius in Rutheniam et Lampertus in Poloniam impetrandorum gratia auxiliorum properant, ut regnum invaderent sibi tyrannidem occuparent. Demum precibus ac monitis regem adurgebant ducem in Inguanensi sylva venantem omni presidio et custodia destitutum ac incautum aggreduatur et capiat captumque excecet; Ladislaum et Lampertum, cum redierint, fraterno casu consternatos ultro fugam esse rapturos ne minima quidem parte adversaturos, etiamsi auxiliaries copias adduxerint; deinde adeptum Geysam ducatum Vido fideli consiliario addicendum. Quare nulla firmiora regno fundamenta iaci posse asseverabant. Rex consilio tali haud parum allectus ad matutinum usque se cogitaturum esse respondit. Monasterii antistes Latinus genere, cui Villarino nomen erat, ex abdito loco dicta cuncta perceperat, ad Geysam clam nuncium mittit, ut sibi ipse caveat; tensarum insidiarum admonet. Dux accepto nuncio sibi a rege timere cepit. Quod ubi Petrudus, Zounuchus et Bycas sensere, qui prodicionis causa apud eum versabantur, continuo iniectas suspiciones dissuadere nihilque timendum asseverare conantur, antistitem ebrium dicere et crapula distentum tunc ista scripsisse, proinde omnem metum amovere, ut securum et incautum Salomoni proderent. Horum aliquantisper dictis ille confisus, dum in sylva quam Inguam dicunt, venatur, suscitata suspicione caruit. Vir tamen circumspectus, ne qua imprudentia caderet, Ladislaum e Ruthenia Ruxiave nuperrime sine auxiliis reversum in Bohemiam mittit ad Othonem Bratislai et Corradi fratrem, de quibus supra scripsimus, ut aliquas ab eo copias defensande salutis gratia imploraret et hoc potissimum tempore, quo non pro dignitate, sed vita cogitur dimicare. 230

Salomon autem, qui ad matutina sacra consulendi spatium postularat et responsa promiserat, antequam edem iniret, antistes, qui Geysam cenobii fundatoris filium unice diligebat, protegende salutis gratia anticipato tempore in edicula quadam delituit, ut tanquam e specula regis responsa exploraret, ne quid in amicum in-

tenderetur, quod ille inexploratum haberet. Matutinis igitur sacris 241
rite peractis Salomon et Vidus tantum ad magnam aram in ede
remanserat. Rex ista respondit se Vidi consilium commodum et
salutare omnino secuturum. Quod ubi antistitis hausere aures, ex- 242
templo sacro se habitu exiit, sagum subit et lateri gladium accin-
git, consensu equo ad Geysam, quem dormientem offenderat, evo-
lavit eoque experrecto, Fuge, inquit, fuge, Geysa, crudeles terras
desere, iam dudum Salomonis copie hic aderunt, ut te capiant ob-
truncantve; quod ni feceris, iacebis. Dux audito periculo quam 243
ocissime cogit exercitum; in Bohemiam, quo frater paulo ante con-
tenderat, evadere nititur, sed rex Vidi suasu, cuius consilio cuncta
gerebat, obviam occurrit, ut eius fugam intercipiat; citra rex, ultra 244
Tibiscum amnem dux agebat agmen, cui in Kemeyensi agro a re-
gio equitatu protinus occursum. Interea cohortum turmarumque 245
ducalium prefecti ad Salomonem litteras mittunt seque conserta
pugna a duce defecturos et victoriam parituros pollicentur, si in-
tegram apud eum dignitatem gratiamque consequantur. Rex vin- 246
cendi causa adiecto etiam iuramento postulata omnia pollicetur et
maiora, si promissa prestiterint. Quod ubi factum est, exploratam 247
sibi victoriam ratus Tibiscum, quem Ticiam appellant, obdurata
glacie sane constantem omnes sicco pede traicere iubet. Trans- 248
misso amne ad proximam basilicam in Nogiano agro sitam aciem
instruit, ut aperto cum Geysa Marte depugnet. Petrudus et Bycas
ex composito cum triplici agmine a duce deficiunt. Dux tamen a 249
suis destitutus necessitate adactus prelium detrectare non audet
et uno tantum validissimo eodemque quadrato agmine adversus
triginta regia obstare non recusat. Proditores, qui defecerant, ex 250
composito data signa faciunt, clypeos elevant in deditionis spe-
ciem, inclinatum tamen Geysam sequuntur, regie vero acies, que
signorum commonefacte non fuerant, eos haud aliter ac ceteros ini-
micos persequuntur parique ferocia proterunt et ad interneccionem
usque trucidant, ut meritas prodicionis penas luant, quod divino
quodam iudicio factum omnes arbitrantur.

Geysa profligato exercitu suo terga vertit, transmisso Tibisco 251
in Chotoydum agrum aufugit, Georgium Nigrum peculiaris edicule
sacerdotem misit, qui Ladislaum suo nomine ocissime redire iube-
ret imminentisque periculi causam enarraret. Ivancam quoque haud 252
parum litteratum ad Lampertum revocandum concitavit. Et, cum
Vaciam contenderet, Ladislaum et Othonem e sorore affinem cum
validissimo auxilio properantem offendit, quos cum vidisset, in la-
crimas statim effusus est. Cum fidelium interitus proditorum scelere 253
commissus tunc sibi succurrisset, facinorosorum perfidiam incusa-
bat et ab ingenti dolore magnam lamentorum materiam educebat.
Ladislaus contra prestanti virtute munitus modo fratrem consolari, 254
modo femineos ululatus severius increpare, magnanimitatis, pati-
entiae ac fortitudinis admonere, item dicere divinam potius clemen-
tiam exorandam, ut iustis faveat superbosque deprimat et, quando
potestas omnis a deo est, definiendam divino iudicio controver-

siam prestoletur, atque ita fratris animum confirmare. Prelium hoc 255
 ab ineunte vere paulo ante quadragesimale ieiunium in Kemeyensi
 agro gestum, ubi alterum ab Opo Martini filio ex Vencellini genere
 nato preclarum facinus patratum memorant, quippe qui Petrum
 Geyse equitem audacissimum singulari certamine traiecto pectore
 superavit, mox in ceteros usque adeo sevit, ut facto virtutis sue
 periculo totus cruore madidus videretur.

Salomon victoria potitus stantem rigente bruma Tibiscum tra- 256
 iecit in Chotoydumque pagum properavit ibique filii Petri hospitio
 usus est. Atque statim nunciatum Geysam Ladislao et Othoni Bo- 257
 hemie duci cum auxiliaribus copiis adventantibus occurrisse. Vidus 258
 tunc regem adit, monet, cum inimicorum exercitum profligarit, pri-
 mores ceciderit terroremque incusserit ingentem nil amplius ei re-
 formidandum; Geysam ad extrema redactum sollicitasse servitia, 259
 pagatim rusticos coegisse, ut ex hac ignobili manu castra reparar-
 et; proinde haudquaquam cunctandum reliquias inimicorum pro-
 terendas, ne quid a scintillis incendii suscitaretur. Demum Bohe- 260
 morum auxilia, que advenerant, se cum Bachiensis legione proflig-
 gaturum pollicetur. Dum hec a Vido dissensionis auctore disserun- 261
 tur, Erneus unus e proceribus vir optimus iudicatus et amator
 pacis lacrimas effundit. Quem ubi Salomon lacrimantem conspi- 262
 catur, En, inquit, adhuc Geyse benivolentiam dissimulare nequis,
 Erneu, neque meam equis victoriam oculis spectare potes. Ad hec 263
 ille, Nequaquam, inquit, domine, sed quis fratrem cum fratre, cum
 filio patrem et civem cum cive hostili more dimicantem sine lacri-
 mis intueri potest? Tu autem, Vide, ne commode quidem ac fide 264
 regi regnoque consulis, quando fraternum, cognatum et civile bel-
 lum non modo approbas, sed suscitans et incendis, agrestem mes-
 soriisque manum in nos coactam iactas, que multo plus quando-
 que metit, quam ceteri omnes colligere queant. Proinde mihi pro 265
 rege, cum res ita tulerit, ultro mori certum est; quid ipse facturus
 sis, nescio, sed reconciliationis pacisque consilium multo salutaris
 inire possemus.

lisdem ferme temporibus Iadrenses a Venetis ad Salomonem 266
 plane defecerant a Petro Urseolo primum capti, sed Dominico Con-
 tareno properata classe mox recepti, ne cetera Dalmatie urbes ad
 Ungarorum fidem sese revocarent.

Rex igitur Vidi consilio fretus motis castris in campos preter 267
 Danubium Pestumque diffusos, ubi comitia regalia haberi solent,
 quos a cancrorum nomine Racos appellant, quarto die descendit.
 Contra Geysa, Ladislaus et Otho in sylvam, ubi Vacia nunc est, 268
 contendere, que XX milibus passuum hinc aberat. Magnum quon-
 dam ibi nemus fuisse aiunt ab uno tantum heremita habitatum,
 cui Vacio nomen erat. Hic humane vite miseriam abominatus vera- 269
 que resipiscentia percitus in solitudinem istam se receperat, quo
 salutis sue commodius ac tutius inserviret, quare virum sanctissi-
 mum evasisse ac Geysam victoria deinde potitum locatam ibi cum
 basilica civitatem ab eo Vaciam nominasse ferunt. Cum in hac 270

sylva Ladislai ac Geysae copie constitissent ibique iustis collocato
 haberent, ubi nunc diri Petri ediculum esse vidimus. Partem us-
 ineundo cum Salomone prelio disceptarent, ecce Ladislaus. Quis vi-
 deo carissimum successus ostendit, cum angelum delatam. Quis vi-
 deo coronam fraterno capiti imposuisse aspexisset, Vidistine, frater, in-
 quit, quo te honore divina benignitas honestavit et quam dextris
 nunc auspiciis victoriam portendit? Celestis dudum e celo internun-
 cius aureum tuo capiti diadema deposuit. Proinde bono nunc esto
 animo, quandoquidem propitia sunt nobis numina neque fides nos
 nostra fefellit. Salomone insolentia sua furentem fundemus ac fu-
 gabimus regnoque cedere cogemus. Contra vero Geysa: Sic deus
 omnipotens, in cuius manu sunt omnium iura regnorum, prodigia
 ista confirmet, que tuis tantum oculis patuere, quando te tua pi-
 etas et religio augurum prestitit divine voluntatis exploratissimum.
 Quod, si tua te auspicia frustrata non fuerint, nunc dive genitrici
 vota rite suscipio me rerum potitum celeberrimam hic basilicam ex-
 edificaturum. Vix hec dixerat, cum vexilla tolli iussit et in villam
 proximam moveri casta, quam Zynkotam vocant, ut postero die
 cum Salomone congregaretur. Inter utrunque Monyorodus mons as-
 surgebat, quem ubi superassent, manum statim eum hoste conse-
 rere decreverant, sed imminente nimia nubium obscuritate remorati
 neque montem superant neque pugne se commiserere. In sequenti
 nocte in sua quisque statione permansit hostem expectans. Illuce-
 scente die Salomon instructa acie montem ascendit seque e vertice
 inimicis ostendit, quinet clitellariis mandavit, in iugo montis pre-
 siderent, ut non impedimentorum gratia, sed presidii loco ibi con-
 stituti esse viderentur. Ad hec Vidus sepe iactabundus regi affir-
 mabat hostes, ubi regii castra viderint, continuo fugituros. Contra
 Ladislaus et Geysa, qui suberant planiciemque tenebant, ubi Salo-
 monis copias suspexere, aciem prima hora diei, prout res ipsa tu-
 lerat, diligentius instruire. Ladislaus sinistrum, Otho dextrum cornu
 tenere, Geysa in medio se statuere, munire fortissimo presidio
 quanque aciem. Ex Bitoriensibus Ladislai legio, Geysae vero ex
 Nitriensibus constabat. Divo Martino Ladislaus ante initam pu-
 gnam edem vovit, si eis numine fretus victoriam assequeretur, voto-
 que potitum haud ignobilem fundavit. Cum descendente in cer-
 tamen Salomone istorum exercitus prestantior videretur, Erneus his
 Vidum dictis aggreditur: Quonam hostes nunc, Vide, fugiunt, quos
 nostrum pre formidine conspectum minime toleraturos esse iacta-
 bas? Si timent, cur a tergo Danubium habere non verentur? Sed
 longe aliter, ac blateras res ipsa se habet; nimirum, quando talem
 sibi locum optarunt, mihi crede hos aut victuros aut ad unum
 morituros omnes, cum nullam sibi fuge potestatem reliquerint, tan-
 dem decrevisse. Vidus ad hec temeritatis et insolentie conscientia
 correptus obticuit.

De Ladislao prodigium referunt a viri sanctitate non absonum,
 quippe qui, cum equum apprehensa lancea conscendisset et vertisset
 in gyrum, ut et oratione exemplo militum animos confirmaret, ve-

tissime servator ætendum hasta tetigit, cui cum mustela candidissima sanguine tuo .ti imminentis victorie nuncia, per hastam in ducis gremis, non iactabunda delabitur. Spectate, inquit, hec signa, socii, que 285 existentem nobis victoriam portendunt. Sub divina nos tutela dimicamus, quia pietatem cum religione colimus Ungaricamque gentem a Germanorum servitute liberare contendimus. Salomonem delatoribus 286 pravisque consultoribus obnoxium in officio retinere nequimus. Egestatem, errores, exilium ac difficillima queque pertulimus, ne cognato sanguine manus inficeremus. At, ubi Germanorum consiliis male nobis 287 ac regno consultum iri vidimus, una cum publica salute nostram quoque tueri enitemur. Piis animis nunquam divina numina 288 defuisse novimus, que nobis Iesu Christi optimi maximi benigneitate perquam propitia esse scitote atque id candidissime mustele prodigio exploratum habete. Proinde fortissimis dimiccate animis 289 et ex auspicato instantem victoriam capessite. Me autem recipio, si deus annuerit, ita hodie pro regni commodo et salute pugnaturum, ut aut victorem ducem aut inter confertissimos hostes pulchre occumbentem spectaturi sitis.

Mox dicto celerius pugne signum dari iubet ipseque imprimis 290 magno impetu in hostem fertur; quod ubi videre milites, pari quisque ferocia certamen adoriuntur. Otho Bohemorum dux, qui in 291 dextro cornu presidebat, haudquaquam minore impetu pugnam conserit. Salomon, qui e monte in campum descenderat, in sinistro cornu Vidum cum Bachiensibus, in dextro Erneum, se cum validissima acie in medio collocarat. Conserta manu Bohemicus miles 293 in Vidum vehementi usque adeo impetu fertur Othone duce, ut iactandum regis comitem aliquantisper obstare conantem inclinavit inclinatumque cum Bachiensibus adauctis mox animis insigni strage fugavit. Quod non immerito omnium iudicio obtigisse visum 294 est, ut, qui fraterni execrabilisque belli auctor fuerit, primus ipse penas expenderet. Ladislaus ingenti pietate ductus, dum fratri 295 Geyse admodum timet, ex industria signa cum illo commutarat ratus, ut acciderat, Salomonem imprimis Geyse ducis agmen extremis conatibus invasurum, quem paulo ante devicerat, talique successu fretum ceterorum facile victoriam assecuturum. Quare fraterne salutis 296 intentus omnem belli impetum in se convertit. Neque consilio suo frustratus est, rex enim extemplo prospectis Geyse signis maximo furore in eius aciem fertur sperans superatum quandoque hostem facile inclinaturum. Vix ipse manum conserere ceperat, cum 297 sibi non cum Geysa, sed Ladislao viro fortissimo ac invictissimo rem esse intellexit et commutata vexilla novit. Continuo spe sua 298 falsum se intelligens cum formidoloso usque adeo duce haudquaquam dimicandum esse censuit, immo agmen alio divertendum, ubi melior successus iam sperari posset; quare dato tergo in Geysam repente se convertit. Cum Ladislaus pre sui formidine regem alio 299 declinasse aciem conspicatur, evestigio eum insequitur, instat a tergo, a fronte Geysa obstat; inter duos fratres se redactum Salomon intellexit. Et, quamvis a fronte cum validissimo agmine pu- 300

gnaret, a tergo tamen graviter cedebatur. In his angustiis collocato regi nil aliud succurrebat, nisi ut pro se quisque ad mortem usque fortissime dimicaret. Cum nullus declinande pugne exitus videretur, victoriam hosti nequaquam incruentam esse relinquentiam reputabat. Ingens interea Alemanorum cedes editur et non parva Italorum manus cum his pariter oppetere cogitur, que, ne inulta mori videretur, non paucos ex Ungaris trucidavit. Ad postremum Salomon cesa maxima parte suorum reliquaque capta cum paucis elabitur; ad Zigetphensem vicum fugiens Danubium traicit. Opus Martini filius ab eius latere non discedit. Tandem in Mosoniensem agrum se recepit, ubi coniugem ac matrem esse noverat. Ladislaus ac Geysa ceteris partim cesis et captis, partim fuis a secunda hora diei ad serum usque regem insequuntur. In hoc prelio non solum ex Alemanis et Italis, verum etiam ex Ungaris magnus desideratorum numerus fuisse traditur, quin et victores, qui superfuerant, magna ex parte vulnerati.

Pius autem Ladislaus insigni victoria potitus, ubi aliquantum sese collegit et eorum, qui ceciderant, corpora lustravit, in profusissimas lacrimas conversus est. Dum secum reputat omnes, qui ceciderant, in Christo fuisse fratres, deplorabat exercitus utriusque casum et fortune potestatem incusabat imprimisque humanam stultitiam et huiusce seculi cecitatem detestabatur, cum nemini pacem et quietem sperare liceat. Nam, qui ad regnandum nati sunt, debita sibi regna sine multo sanguine et periculo capessere nequeunt, qui vero ad serviendum, quotidianis insidiis a debitis obsequiis subducuntur. Hanc miseram mortalium vitam perpetuam procellam esse affirmabat illudque vociferantius sepius ingeminabat: Huc me meumque fratrem necessitas adegit, ut sine fraterno bello neque dignitatem neque paterna bona retinere possemus nullasque sedes formidolosiores nobis quam avitas haberemus. Tantum malorum apud patrualem valere consilia et iniecta suspicio, ut nihil ille miser exitio nostro reputaret antiquius. Quin et tam iniquam iniverat opinionem, ut tutiorem se cum exteris quam suis reputaret. O miserum Salomonem malis usque adeo consiliis obnoxium, ut nihil fraterna caritate detestabilius arbitretur. O nos longe miserieiores, quibus non tam pro asserenda vita et dignitate nostra quam regni libertate certantibus manus a nostro sanguine abstinere non licuit. Atque me pre ceteris dixerim infelicem, quem ad divina ministeria natum et evocatum fraterna caritas et regni ratio remoratur. Utinam mihi pro his omnibus mori obtigisset et pro publica salute devovisse caput aut pro sceleribus omnium ultimas penas exolvisse! Nimirum Ladislao nil hoc laudabili ac salutari fato accidere potuisset optatius, ne me quidem patruelis odium et fraternus amor ad hauriendum cognatum sanguinem contraxisset, nisi protegendum esse fratrem eundemque futurum regem suis auspiciis divina benignitas admonuisset. Quod, si nefario bello mihi pugnandum fuisset, maluissem profecto etiam mori quam certasse cum meis et parvi divina monita et mandata fecisse. Tu autem, clemen-

tissime servator mundi, qui omnia mortalium facinora sanctissimo sanguine tuo expiasti et ex corde supplicantium preces non aspernis, omnium, qui hic oppetiere, fidelium animos maculis omnibus exue ac perlustra, culpas dele et ob sanctissime mortis tue memoriam hos ab eterno interitu redime priusque me peccatorem maximum et huiusce cedis auctorem, quam hos, qui ceciderunt, ex libro vite dele, quod, ut impetrem, et tua ineffabilis in nos caritas effususque in cruce sanguis et magne dee pientissime genitricis tue exoratio ac patrocinium efficiat. Ast, ubi satis ploratum et con-

clamatum est, cuncta cadavera rite sepelienda curavit, iusta cuique pro dignitate ac votam divo Martino edem in Monyorod adiectis hostium exuviis exolvit; proventus quoque non mediocres adiecit, quibus assidue mortuorum celebrarentur inferie. E captivis Marchardum Teutonum et Sentepolugum Bohemorum prefectum ceso utriusque equitatu ac ipsos letali vulnere saucios memorant.

Ne illa quidem Ladislai pietas silentio preteriri potest, cum enim porrecta humi cadavera obequitaret, ne quem sui officii relinqueret expertem, ubi inter confertos hostes iacentem Erneum agnovit non mediocre pacis et otii amatorem, ex equo repente desiluit cruentumque eius caput amplexatus osculatusque miserabiliter, Hiccine iaces, inquit, Erneu, amator pacis et fraterne concordie publiceque salutis assertor unice? Non hoc probitas, non equitas tua merebatur. Pacem, quam in hac vita non invenisti, in altera bene merendo et moriendo comparasti. Cecidisti, Erneu, cui probitatis iure vivendum erat, et longe maius hostibus quam amicis tui desiderium reliquisti. Eo vehementius tuum interitum deploramus, quo ardentius pro communi concordia privatim et publice contendere consuesti. Multa demum conquestus miserabiliter super eum, postquam pietati factum satis arbitratur, de sepulture honore cogitat. Quare continuo eius mandato succollantibus Ernei corpus militibus eo delatum, ubi nunc Vacua est, ibique honorifice sepultum. Paulo ulterius inter cadavera agnoscenda victor ipse prodierat; ecce a latere Vidi corpus offertur non modo pectore, sed capite saucium. Quod ubi est agnitum, Doleo equidem, ait, morte tua, Vide, quamvis inimicum in nos animum nunquam dissimulasti. Utinam tibi ultra vivere licuisset, ut post resipiscentiam nos Salamoni reconciliare potuisses. Verum, si mortuos quandoque percontatione vexare fas est, nimirum illud mirantur omnes, si non regio nobilive genere natus es, cur dominatum ac regnum aliquod affectasti? Cur anhelasti coronam regiam et supra conditionem immodica libidine estuasti? Quare, ut quodque peccans presentaneam sibi penam esse sentiat, cor tuum nimia ambitione saucium adacta lancea penas luit, caput quoque diadematis avidissimum, ne legitimo supplicio careat, gladio scissum est. His dictis rite sepulcro condi iubet. At equites, quicunque aderant et infensum cadaver spectabant, utpote cuius consilio tot fratres et filii occubuissent, ira perciti in id seviunt. In patefactum pectus sevoque militum ludibrio propositum pulverem obiiciunt eoque ocu-

los opplent exclamantes: Nunquam, Vide, tui oculi honoribus ac donis satiari potuere, coniecta nunc terra avidum pectus et lumina exple. Otho Bohemorum dux, qui affinitatis iure auxiliaribus copiis Ladislao fratricum subvenerat, abunde donatus in Bohemiam rediit.

Salomon autem turpiter victus ac regno fere eiectus, cum in Mosoniensem agrum confugisset et sapientissimam matrem adiisset, ab ea repente dura increpatione correptus est. Huccine, filii parentis tue consilia aspernatus, inquit, pervenisti? Ad has te miserias perniciose Vidi consilia redegerunt, ut regio fastigio deturbatus cesis tot cohortibus equitumque turmis solus ac uno dumtaxat Opo comite egenus rerum omnium nusquam tutum tibi locum invenias. Si piensissime matri ac Erneo ceterisque fidelissimis olim credidisses, quiete tutoque regnare non minus observatus quam amatus ab omnibus. Si Ladislaum et Geysam patruelles tuos, ut par est, cum dignitate servasses dominatuque legitimo donasses, perpetuam tibi regnoque pacem et salutem comparasses. Quem tibi fidum fore iam sperare licebat, si tuis hostis esse ceperas? Que maior insania esse potest quam secum reputare alienos sibi quam suos fideliores fore deque alienis potius quam suis esse benemerendum et de his precipue, qui nimia pietate ac religione precellunt? Ladislaus neque virtute cuiquam neque caritate cedit, ac edit vite sanctitas et honestatis amor. Neque Geysam ab equitate et modestia quisquam dixerit alienum. Quocum officio et pietate commodius tibi certare licebat quam cum utroque fratre, qui, si a te pariter redamari et non insidiis se peti sensissent, nihil dignitate ac imperio tuo duxissent antiquius? Nunc autem tuorum consiliorum moderatorem tantum Vidum habuisti, cui quando te concesseras, in deditionem te eque ac tuos ad ultimam internecionem redelegisti, quos omnes uno tempore ac unius consilio perdidisti, dum delatoribus facile credis minimaque iniecta suspicione ab his, qui tibi gratificari student, ad libidinem traheris alienam. Ad hec ita Salomon ira excanduit, ut matrem plura subdere conantem preter equum et fas pulsare perrexerit et iam fecisset, nisi coniugis dextra remoratus esset. Cui inculpato sepe deo, quem in bello semper iniquum habuisse querebatur, ac conserta aliquantisper conviciorum dumtaxat velitatione furor subinde deferbuit. Relictis in Mosoniensi agro matronis ipse collecta, quanta fieri poterat, tumultuaria manu Pisonium confugit, ubi se tutius habere ac exercitum facilius reparare sperabat. Ungari, qui vicinos pagos incolebant, quotidie regis litteris sollicitati parva ex parte ad eum convenere, quandoquidem principis insolentiam ac trucem animum Alemanis quam Ungaris equiorem esse intelligebant. Ii tantum secuti sunt, qui, ne quid per vicinitatem mali paterentur, invita regi obsequia prestare cogebantur.

LIBER IV.

Postquam Geysa et Ladislaus victoria potiti mortuorum corpora nullo sepulcri honore pro cuiusque dignitate defraudarant ac

iusta pie persolverant, motis castris Danubium transmittunt, ut ad Albam Regalem contendant, ubi frater natu maior diadema rite suscipiat. At, ubi Abam perventum est, castellum porte, quod Bo-² buch appellant, item urbem ipsam ceteraque oppida imposito presidio muniunt, quo tutius regnarent. Exauctoratis militibus dimis-³ sisque presidiis castra solvunt atque civilius inter Ungaros sese gerunt, ut his liberum esset eum coronare regem, quem potissimum optarent. Succendebat pontificum et optimatum animos hec⁴ haudquaquam simulata modestia, nam, quod ceteri anhelarunt, ii virtute potius quam ambitione petere videbantur. Proinde habito⁵ frequentissimo conventu Geysa maior natu omnium consensu et acclamatione rex Ungarie declaratur et in sequenti die ex more rite coronatur; Ladislaus ab eo dux regni pronuntiatur. Rerum⁶ potitus vir ille optimus non ad sevitiam vel ad voluptatem, sed ad religionem ac solvenda deo vota animum convertit; non immemor enim divine benignitatis cum Ladislao in Vaciensem agrum rediit, ubi frater ei delatam celo coronam angelum imposuisse dixerat, et, cum de statuenda dive genitrici basilica ibi cum fratre loqueretur, ubi divi Petri sacellum est, ecce cervus expansis cornibus insignis, que ardentissime faces circum sederant, pre oculis apparuit, mox in fugam conversus sylvam petiit investigabilis ibique tantum vestigia fixit, ubi edes deinde collocata. Quem, cum milites sagittis pete-⁷ rent, in Danubium se proiecisse nec usquam postea visum fuisse memorant. Ladislaus ostenti admiratione correptus, Nimirum, in-⁸ quit, dei angelus erat iste. Sed quid faces in cornibus? ait Geysa. Mox Ladislaus, Non cornua, sed ale, frater, inquit, neque ille,⁹ quas ardentis appellas, sunt faces, sed fulgentissime penne. At, ubi fixit vestigia, nobis locum ostendit, ubi basilicam exedificaturi sumus. Quare, ubi prima dei auguria visa sunt, ne locus numine¹⁰ plenus legitima religione careret, ibi divo Petro ediculam dicarunt, mox delubrum magne matris statuerunt multisque villis et ornamentis donarunt. Dive quoque virginis edem Bude fundaverunt, cui¹¹ Pestana vectigalia et tres in Simigiensi agro vicos addixerunt; elaboratissimis aureisque vasis exornatam reddidere.

Post, ubi religioni ac votis factum satis arbitrantur, ad compo-¹² nendum regnum advertere animum; gravissima in sicarios ceterosque facinorosos promulgata sunt edicta, salutare quoque leges edite inhibiteque iniurie. Regnum ne parva quidem ex parte paca-¹³ tum, nisi quod tantum Salomonis metus supererat, qui Pisonium adhuc cum Mosoniensi agro retinebat. Et, ne Ungariam quotidie¹⁴ incursaret, Besseni intercessere, qui precibus instantissime a Geysa rege impetrarunt, ut data libertate ipsis tantum expeditionem illam delegaret, recipientes solos se eos fines a Salamonis impetu immunitatis dumtaxat beneficio defensaturos. Horum postulationibus ultro¹⁵ rex annuit, si promissa prestarent. Extemplo Bessenorum princeps, cui Zultan nomen erat, coacto expeditissimo equitatu in Salomonem contendit. Qui, ubi redintegratum in se bellum intellexit, Leo-¹⁶ poldum ducem Austrie ac divi Leopoldi patrem promissa ingenti

stipe in auxilium advocat. Atque eo facilius ille in societatem belli 17
 veniebat, siquidem intelligebat rem communem agi; Bohemos hos- 18
 tes suos Ungarorum esse socios. Othonem Bratislai et Corradi
 fratrem Geysel regis ac Ladislai sororem in coniugem duxisse et in
 bello, quod adversus Salomonem sub Monyorod gestum est, magno
 his adiumento fuisse senserat. Neque cladis a Bohemis olim illate 19
 facile poterat oblivisci. Quare et precibus et largitione a Salomone
 exoratus cum eo fedus inivit; sed pusillum mox animum ostendit.
 Nam, ubi instructo equitatu in Bessenorum conspectu fuit, quos 20
 olim Bessos appellabant, truces hostium vultus conspicatus quam-
 primum animo consternatus est. Nam illis mos est vexillationibus 21
 uti, demissas ferre barbas et labri vel maxime superioris nutrire
 pilos, caudata cristataque subferre pilea, fluitantibus quoque vestibis
 indui iisdemque sericis in Persarum morem et equorum pernicitate
 admodum delectari. Illud quoque metum addebat, cum succurrebat 22
 Guilielmum, Pothum ac nuperrime Marchardum legatos legionum in
 Ungarico bello immariter occubuisse. Quare, ut timori diverticulum 23
 inveniret, dux Salomonem hortatur quadragesimali tempore, quo
 animorum potius quam corporum et divinarum magis quam hu-
 manarum rerum habenda est ratio, se pugna abstinere; quod, si 24
 omnino pugnare pergeret, ubi instructa est utrinque acies, pro sua
 voluntate pugnaret; demum polliceri se, quamvis dimicare non de-
 creverit, nunquam tamen permissurum inclinatum, quod dii pro-
 hibebant, Salomonis aciem equis sibi oculis spectari posse, sed mox
 laboranti socio subsidio certo futurum. Cum obstinato manum animo 25
 conserturum eum aspexisset, ipse proximum montem, quem Bachin
 vocant, conscendit, veluti in Martiali spectaculo presideret. Salo- 26
 mon continuo cum Besseno equite collatis signis pugnam conserit
 et eo quidem furore, quo iniuriarum omnium cumulatissima ultio
 proponeretur. Addebat animum cataphractus equitatus, qui velites 27
 ac vexillarios facile proterit. Quare evestigio terga dare hostis co-
 gitur. Ceditur manus ne mediocris quidem et in proximum sta- 28
 gnium, quod Ferthew dicunt, evadendi spe demergitur; cum paucis
 Zultan evadit. Cum res prospere successissent, cesis fuisque Bes- 29
 senis Leopoldus pactam a Salomone pecuniam ob subsidium, quod
 prestiterat, continuo postulat. At is nullam ab eo opem accepisse 30
 causatus nil ei se debere respondit. Quin et illud addebat eum non
 modo non dedisse subsidium, sed ne aspectum quidem hostium
 pre timore tolerare potuisse. Quod, si quid in ipsum acrius molire- 31
 tur, apud Henricum imperatorem se diem indicturum interminabatur,
 cui sanguine coniunctissimum omnes esse sciebant. Contra ille re- 32
 formidata imperatoris sevitia se omni iniuria abstinere coactus est.
 Plerique non Leopoldum, sed nescio, quem Hermichum Teuto-
 num principem, ut Ungarici annales referunt, fuisse volunt. Quippe 33
 qui ob lingue diversitatem nomina ita confundunt, ut historie ver-
 ritatem sepe invertant.

Haud parum animi presens victoria Salomoni addiderat ac su- 34
 periore clade gravatus admodum respirarat. Statuit nova moliri, ut, 35

si quo modo posset, amissum regnum recuperaret. Domestica imprimis cura levare se statuit, ut, que maiora sunt, expeditius disponeret. Agmundam igitur matrem Rutheno sanguine natam uxoremque Sophiam Henrici tertii filiam secum in Stiriam duxit in Monialiumque cenobio reliquit. Deinde in Mosoniensem agrum se recepit, ut in Ungaros aliquid gravius moliretur. Quorum res cum successu magno in dies cognosceret augeri, ad implorandum imperatoris auxilium sibi confugiendum esse intellexit. Quare Henricum quartum imperatorem adit, cui quamvis magnam nummorum copiam attulisset, quo quidem stipendio copias assequeretur, nullum tamen militem ex Italis Teutonibusque habere potuit; quippe qui Ungarorum metu percussi nulla stipis magnitudine in formidolosam expeditionem conduci potuere. Quare eo vehementius apud imperatorem Salomon in querelas exarsit non tam sibi quam imperatorie maiestati iniuriam illatam esse subiiciens, quandoquidem ad ius Romani imperii spectare dicebat Ungariam, ubi, cum augustali auctoritate regnabat, imperata cuncta prestabantur, statuta vectigalia solvebantur et nil erat, quod Cesaree dicioni non obtemperaret. Nunc, postquam ipse regno, a quibus minime decuit, eiectus est, legitima abnegari obsequia referebat nihilque Cesareo nomine in Ungaria infensus audiri, quin et in Germanos eorum regem quotidie bella moliri, sollicitare finitimos et, quacunque potest, arte in Henricum coniurare; item Scythicum hoc genus nulla consuetudine molliri posse; cum immitibus populis facile consentire; contra vero cum civili gente, ex qua prestare Germaniam intelligit, nullo modo versari posse atque idcirco perpetuam cum utraque inimicitiam fuisse ac futuram longe maiorem, ni solito legitimoque iugo in civilem humanitatem asseratur.

His igitur verbis Henricus quartus ita succensus est, ut habito statim delectu magnas in Germania copias compararit, auxilia non pauca coegerit non ignorans, quanto se apparatu Scythicam gentem adoriri oporteret. Commeatus abunde cum ingenti manu militum instructa classe Danubio devehi imperavit, ipse cum universo equitatu preter ulteriorem Danubii ripam in Ungariam properat atque, ubi ad Waghum amnem perventum est, castra ponit cum prefectis equitum consulturus, in quam potissimum urbem esset erumpendum. Nitriam, que proxima castris erat, primum invadere visum est. Quare Salomoni legiones due cum decenti equitatu date, ut Nitriam oppugnaret, quibus copiis, cum de Sempte vico se movisset, instructa acie civitatem adoritur. Contra oppidani pari audacia freti adversus hostes prodeunt. Incruenta aliquamdiu conserta manus et pugne potius simulacrum quam pugna videbatur. Hi nunc impetere, contra illi terga dare vicissimque victoria modo his modo illis aspirare. Opus Bator equo insidens tali ludo nequaquam delectatus et vir spectatissime virtutis habitus acrius oppidanum urget, quin et per medios hostes cursum faciens ad portam usque pervenit ibique spectante populo unum interfecit, complures vulneribus affecit et, dum inter confertissimos hostes acerrime dimicat, equum

multis confossum iaculis amisit, ipse tandem fortissime resistens ad suos incolumem se recepit. Alemani spectatam equitis fortitudinem admirati ad imperatoremque reversi illius audaciam ac vires predicant. At is Opum confestim acciri iubet, qui, postquam in conspectum venit, mirifice laudatus, adauctum quoque stipendium et non sine promissis ac premiis dimissus est. Mox ab imperatore Salomon interrogatus, an multi milites pari robore corporis et animi apud Ladislaum et Geysam forent, at ille magis Ungarice gentis quam proprie utilitatis caritate correptus multos consimiles ac longe meliores apud Geysam esse considerate respondit. Quibus verbis consternatus imperator, Si tales, inquit, hostes, nactus es, nunquam, mihi crede, Salomon, regnum recuperabis.

Postquam rex Ungarie imperatorem Vaciam pervenisse cognovit, arte sibi potius quam viribus cum Germano principe agendum esse intellexit. Patriarcham Aquileiensem consiliorum imperatoris moderatorem esse, item ceteros Alemanorum optimates illius dicta haud parum observare senserat. Quare nil sibi commodius fore intellexit, quam si hunc et precibus et largitionibus obstringeret et non patriarcham solum, verum etiam ceteros Germanorum optimates muneribus obligaret, ut omnes dimittendam hanc expeditionem et in Germaniam continuo redeundum esse Henrico suaderent, maiora his imperio Romano imminere negotia neque pro Ungaris res Germanicas periclitari oportere dicerent, item alii ad revocandum Henricum varia commentarentur. Ne sua quidem arte ac spe Geysa frustratus est, patriarcha Aquileiensis in somniorum auctoritate sua dicta muniebat, quibus, ni Germanus quamprimum revocaretur exercitus, presentaneum interminabatur exitium. Ne minore quidem industria a Germanis principibus diversa commenta excudebantur; nam in sequenti nocte in castris ex composito seditionem suscitant; quosdam subornant milites, qui clamore scutorumque fragore exercitum circumveniant. Quod ubi factum est, magnus hinc horror imperatorem ac universos incessit; tumultus ingens editur et in lucem usque passim fluctuat. Mane autem coacto senatu imperator rem ad patres refert et de revocando exercitu sententias rogat. Patriarcha, qui pre auctoritate viri primum sententiam dicere rogatus ac ingenti pecunia corruptus erat, decernit exercitum continuo revocandum, invito milite nullo modo dimicandum, hanc expeditionem ex inauspicato susceptam, Germanum Scythico bello defatigatum, huiusce gentis feritatem abominari; proinde, ne exorta seditione militari Romanum periclitetur imperium, commodius videri, si ab Ungarico bello revocetur exercitus; quod ni fecerint, apprime verendum, ne externum bellum in domesticum transferatur. In patriarche sententiam pedibus ivere ceteri proceres, qui pecunia quoque a Geysa coinquinati fuerant. Cesar igitur suorum consilio deceptus soluta expeditione in Germaniam se recepit. Salomoni se excusat dicens rerum gravissimarum necessitate revocari ac imposterum, cum tempus dabitur, auxilium polliceri; nunc potius rei sue quam amici rationem haberi oportere. At Salomon,

ubi se ab omnibus destitutum conspicatur, magna desperatione circumventus Pisonium venit Romane gentis opus, quod cum mutissimum esset, ibi se tuto futurum rebatur. Pretorianam ibi tantum legionem habebat, qua se ac urbem tutari posset. Geysa patato ubique regno potitur ac magnus ex cognomento dictus.

Cum huc Salomonem se recepisse Ladislaus accepisset, haud inscius patruelis insidiarum nequaquam respirandi tempus illi dandum esse censuit et ea vel maxime tempestate, qua a Germanis destitutum audiverat; proinde Pisonium continuo obsidendum discernit, non ut fratrem ad extrema redigat, sed ut invitum fraternali caritatem ac otium edoceat. Quod ubi factum est, ingens ex obsidione Salomoni adaucta est desperatio, utpote qui subiectos iure regio coercere deberet, nunc ab eis contra ius et fas artissime obsideatur. Quare quotidie sui milites cum oppidana manu in certamen prodire, conserere cruentam pugnam et a desperatione sepe vires sumere. Quin et utrunque ducem mutatis insignibus et adulterinis armis in certamen quandoque descendere et nunc strenui militis, nunc imperatoris optimi officium agere. Sed illud, quod in hac obtigit obsidione, que diebus aliquot solvi non potuit, silentio nequaquam pretermittendum. Ladislaum memorant mutatis armis meridie solum menibus appropinquasse veluti aliquid exploraturum, contra spectantibus cunctis tanquam ad singulare certamen prodiisse Salomonem, quippe qui non hominem agnoscebat, sed Ladislai militem esse arbitrabatur; cum ad eum venisset, divino quodam ostento deterritum evestigio pedem retulisse; interrogantibus deinde militibus, cur hostem preter institutum et audaciam suam aufugisset, continuo respondisse se non hominem, sed deos infestos perhorruisse; spectasse duos angelos hostis humero desidentes, qui candentibus et infestis ensibus hominem propugnarent. Tali miraculo eo magis posthac militem reformidasse et observasse ferunt. Item, quicumque milites aut bello capti aut ab ingenti rerum caritate deinceps ad Ladislaum pervenere, ad Salomonem tuto remissi et ne pro meritis quidem ac dignitate indonati, quare tantum gratie apud hostes promeruit, ut pro amico ac duce exoptatissimo haberetur.

Post hec, cum salvatoris nostri natalitia appropinquassent, hec in Zugzard (Saxardia) rex Geysa celebranda curavit. Eum Desiderius Strigoniensis metropolita cum universo pontificum collegio procerumque manu secutus inter sacrificandum de fraterna concordia, de humana caritate, item de publica pace ac otio contionem habuit neque se neque auditoribus indignam. Hac usque adeo regis animus commotus et ita resipiscere visus est, ut spectante populo lacrimabundus ad metropolitae pedes se deiecerit suum scelus ingenue confessus, quod Salomonis legitime coronati regnum usurparit, quod verum regem exegerit, quod ius denique alienum occupavit; proinde se penitentia ductum publice polliceri usurpatum Salomoni regnum hac equa condicione continuo redditurum, ut ipse tertiam regni partem cum suscepta corona retineat, que ducalis

quondam iuris erat, Salomon duas cum primario diademate possideat, quemadmodum olim possidebat, que iuris regii esse solent. Hac Geysa resipiscentia ac dignatione spectatorum animi usque adeo pregestiente letitia exhilariti sunt, ut divinis regem laudibus extollerent, vere magni cognomento dignum predicarent, hunc patrem patrie ac pacis Ungarice auctorem ingeminarent. Legati ad Salomonem extemplo creati, qui pacis ac restitutionis condiciones referrent, que si placerent, tunc ei fore integrum Ungarici regni recipere potestatem. Legati mandata peragunt, responsa referunt, que de proposita condicione aliquid deterrebant. Sepe utrinque oratores missi et ultro citroque condiciones varie tentate, nulla tamen reconciliatio fieri potuit.

Dum agitur de pace, Geysa adversa validudine correptus, quamvis nil ante, quam e vita decederet, hac reconciliatione avidius affectabat, impos tamen desiderii VII. Kalendis Maiis rebus humanis excedere coactus est desideratus eque et deploratus ab omnibus, quando non minus virtutibus quam orthodoxa fide prestatat. Corpus Vaciam delatum ac celeberrimo funere in basilica dive virginis, quam exedificarat, sepultum est. Annos tres regnavit et primo regni sui anno maxima Pannoniam fames invasit. Filiam aiunt Othoni Venetorum duci desponsasse illius virtute ac nomine impulsam, Acceperat enim hunc Petri Urseoli fuisse filium, qui primus universam fere Dalmatie, Liburnie ac Istrie oram suo ductu Venete potestati adiecerat, ac filium in demortui locum continuo subrogatum inuito statim magistratu Adrienses, qui Venetorum fines infestabant, ad Lauretum inter Athesis et Padi ostia insigni clade superasse, fugasse Murcimirum Croatie regulum, quem alio nomine Heresimum scriptores plerique nominant; mox Dalmatiam Liburniamque lustrasse omnesque populos a patre olim domitos novo iuramento adegisse, ut imposterum semper in fide manerent. Sed, cum nulla solida in rebus humanis videatur esse felicitas, scelerata Dominici Flabeni coniuratione circumventum abrasa illi barba in Greciam occissime relegatum et pauco post tempore mortuum fuisse perhibent.

Post funeratum honorifice Geysam de rege eligendo Ungari cogitare ceperunt. Et, quamvis Salomonem legitimum regem in finibus haberent, quem tuto revocare potuissent, et, ut id facerent, quotidie litteris ac precibus et quandoque largitionibus sollicitarentur, nequaquam tamen Ladislaum mente oblitterare poterant; nam, quotiens de regni commodo et salute consultabant, nihil sanctissimi ducis probitate ac fortitudine succurrebat optatius; viri namque iustitiam, pietatem, prudentiam, fortitudinem et imprimis sanctimoniam cum summa religione coniunctam memoria repetebant, quippe quem neque ardentem huiusce seculi fortunam magnificare nec ambitioni obnoxium nec pravis libidinibus estuantem, sed mortalia cuncta fastigia contemnentem et perpetue castitatis observantissimum intellexerant. Accedebat animi magnitudo, robor corporis indomitum, item rerum verborumque constantia, inaudita po-

pularitas comitasque ac suorum et ceterorum caritas ineffabilis. Que quidem omnia tantam sibi gratiam conciliabant, ut nuncupatissimis hunc votis expeterent et pronunciarent. Ne miracula quidem viri memoria exciderant neque fortissima gesta, que Ladislaum non solum imperio, sed divinis dignum honoribus prestabant. Item succendebat animos profuse beneficentie liberalitatisque memoria, quam oblivioni nemo tradere poterat. Plerique hunc unicum Ungarice pudicitie assertorem, confugium miserorum, sanctitatis exemplar ac sue gentis liberatorem ingeminabant, humanorum officiorum hanc unicam alii officinam predicabant. Mendici miseria liberati, depressi, qui eius ope levati fuerant, virgines raptu vendicate doteve donate, boni illius tutela servati ceterique ex omni genere hominum et ex universis ordinibus eius beneficiis affecti ad regalia comitia certatim convenere, ut sine ambitione et nomenclatore ultro suffragia redderent. Hortabatur ad hoc omnes maiestas aspectus cum summa venustate coniuncta, item proceritas corporis ex membrorum consensu valde spectabilis; ceteros homines humerorum tenus pre altitudine supereminebat. Et in dicendo iure tanto temperamento utebatur, ut non minus iustum quam misericordem reputaris, quare pius ex cognomento dictus.

Postquam ad ista comitia pontifices, optimates et ex oppidis ac vicis magistratus omnis convenere, Ladislaum uno consensu regem declarant et, antequam in comitia descendisset, omnes regem consalutarunt. Dignitatem hanc obnoxius recusantem adurgentissimis precibus accipere coegerunt; haudquaquam enim eum fugiebat, quante molis formidolosi ac fluctuantis huiusce regni gubernatio foret quantique momenti publicam subire personam, cum in privata honeste vivere videretur esse difficillimum, et tot populorum ac gentium reddere rationem. Quin et cogitatio divini ministerii, que diu animo insederat, ab hoc publico remorabatur officio. Sed, cum illud Platonicum veniebat in mentem nos non modo nobis, sed patrie et amicis esse natos, de republica quoque bene mereri cogitavit. Victus tandem precibus faustis regni habenas auspiciis accepit, regio diademate coronari non permisit, quia Salomonem adhuc vivere intellexerat; iniquum enim reputabat legitimi regis usurpare coronam; futuram sibi cum eo concordiam sperabat, quam ex hac modestia promanaturam esse confidebat. Nec unquam id insigne suscepit, quo usque se legitime hoc accipere non posse intellexit. Plerique id ob contemptum humane glorie factum memorant. Ad regni fastigium iam evecto nihil profecto fuit antiquius, quam basilicas fundare, incumbere religioni, sacerdotum collegiis abunde prospicere, ad divinum cultum exemplo suo alios invitare et nihil colere vehementius quam pietatem, cuius officia ne minima quidem ex parte deseruit. At illud in divo principe admirabile nimis est habitum, quod divino cultui ac gerendis rebus iuxta satisfecit neque alterum alteri impedimento fuit, quamvis utrumque prestare quam difficillimum reputetur.

Imprimis nanque data occasione res Ungaricas amplificavit,

quandoquidem Dalmatiam cum Croatia perpetuo iure regno Ungarorum adiecit. Ea tempestate Zolomirus rex Dalmatis imperabat, cui Ladislai soror uxor erat; vir sine liberis legato coniugi regno vita decessit. Regina variis inimicorum iniuriis affecta et eorum precipue, qui ad tyrannidem aspirabant, a potentissimo fratre petit auxilium. Ladislaus habito delectu exercitum parat Dalmaticamque expeditionem affinitatis iure suscipit, traiecto Dravo Valeriam universam, que inter Savum Dravumque protenditur, in Dalmatas concitat, sororis inimicos continuo fundit fugatque, occupata oppida recipit, pacatum denique regnum, quod brevi bello recuperarat, integrum sorori restituit. At illa liberorum orbitate laborans, cum neminem haberet, cui regnum equius legaret, fratri repente ac posteris addixit iussitque deinceps Dalmatiam et Croatiam universam Ungarice dicionis haberi. Ex quo quidem tempore Dalmatis et Croatis Ungari iure imperare ceperunt.

Ad Salomonem revertamur, qui e Pisonio Romana colonia assiduas regno excursions interminari videbatur. Omnes antistes proceresque Pannonie nihil maiore sollicitudine quotidie cogitabant quam de reconciliandis principibus, e quorum concordia pax perpetua sperabatur. Nec res ista confici potuisset, nisi Ladislaum cum iustitia tum pietas ingenita vicisset, siquidem trucem ingenio et animo inexorabilem Salomonem intelligebat. Neque preteribat illud patrueli potius quam sibi, nisi viri crudelitas et ferocia inhibuisset, regnum hereditario iure competere. Maluit tandem fraterne caritatis quam privati commodi habere rationem. Hac igitur condicione fedus ictum et quarto regni sui anno inita concordia, ut ea quotannis Salomoni stipendia penderet, que regiam addecerent dignitatem, adeundi tamen regni potestate careret, unicus Ungarie Ladislaus imperaret. Pacis condicionem Salomon accepit. Verum, si fratrem constantem fore sensisset, Ladislaum aiunt regio muneris ultro cessurum ducalique tantum dignitate contentum omnino futurum. Sed intercessere proceres pontificumque collegia, qui Salomonis restitutionem sanctissimique regis abdicationem sibi calamitosissimam fore rati nullam regni partitionem fieri passi sunt, quin etiam prius extrema se queque subituros predicabant, quam pientissimum fortissimumque regem et e celo datum ac propugnatorem invictissimum deserant. Nec ignorabant quidem, quanta Ungaris mala imminerent, si in sevi regis manus forte reciderent; inexorabilem eius iracundiam intelligebant, quod mox rei exitus ostendit.

Reconciliatus nanque fratri dirus Salomonis animus aliquantisper acquievit, sed mox vindicte occasionem e concordia nactus de parandis insidiis cogitare cepit, quod an pro subiecta suspicionem malorumque consiliis an pro resurgente iracundia fecerit, haud satis exploratum habeo. Illud tamen omnibus apertum esse debet virum imperandi cupidum ac regno exactum nihil impensius quam de recuperanda dignitate cogitare et non modo inconstantie notam aspernari, verum etiam, ut voto potiatur, equum et iniquum pro

nihilo ducere, item fas et nefas sepe confundere. Proinde Ladislaus 125
litteris in Mosoniensi agro colloquium exorat, quo perpetuam in-
ter se concordiam vehementius confirmet, sperans sub hoc pre-
textu eum per insidias facile circumventurum. Ad statum diem af-
futurum se recepit Ladislaus. At is, cum sub divina tutela foret, 126
paucis post diebus clandestino admonetur internuncio, cum Salo-
mone in colloquio sibi caveat, paratos a fratre dolos esse sciat,
quibus ni prospexerit, mortis sibi periculum imminere sentiat. Com- 127
monefactus ad hec rex pari arte cum Salomone certandum esse
intellexit. Quare, postquam ad colloquium perventum est, Ladislaus
munitiore presidio fretus, quod dissimularat, deprehensum in fraude
Salomonem circumvenit cepitque. Qui, ubi se arte sua captum 128
vidit, neminem profecto alium quam se ipse incusare poterat et,
nisi imposita custodia foret inhibitus, de consciscenda sepe morte
cogitasset. Eius calamitatem celi quoque prodigia significarunt, 129
nam eodem anno tactam de celo salvatoris crucem aiunt, que in
divi Stephani basilica apud Albam colebatur. Captus igitur Salo- 130
mon Vicegradum ducitur, que vetus olim regia fuerat, item con-
iectus in carcerem non ad dehonestandam dignitatem, sed atrocita-
tem molliendam. Quin et solacii gratia Bodus adiectus Boconis 131
olim filius, qui facinorum gravitate easdem penas luere cogebatur.
Quanquam in fratrem Ladislaus plus equo severe videbatur, ut in- 132
domitam eius iracundiam ac diram immanitatem supplicio isto
sedaret, nunquam tamen die noctuque a divina oratione cessabat,
ut in fraterne pietatis officium celesti ope restitutum hominem in-
tueretur. Regno sepe ultro cessisset in ducatumque se lubentissime 133
redegisset, si resipiscentem quandoque fratrem intellexisset, quem,
ne regnum inturbaret, assiduo publice salutis gratia etiam invitus
carcere coercere cogebatur. Sed, quam deo abominabilis sit fraterna 134
discordia, id potissimum ostendit. Nam, cum divus Stephanus in
veneratione corporis, quod annis quinque et quadraginta delituerat,
suum numen indicaturus esset, haud mediocri Ladislao regi pro-
mendarum huiuscemodi reliquiarum desiderium inspiravit, ut pro
nepotis beneficio divinos sibi honores compararet. Quare patrum 135
consulto et edicto regis triduo viris eque ac mulieribus ieiunium
indictum et in delubris omnibus lectisternia, item supplicia apud
omnes aras, ut aliqua divinitus signa darentur, quibus omnipo-
tentis dei voluntatem intelligerent. Quarto die ad eius sepulcrum 136
frequentissimi convenere, ut e subterraneo fornice sanctissimi regis
corpus expromerent, quod cum tentassent, lapis vi nulla amoveri
potuit. Consulta virgo mire sanctitatis, que in salvatoris cenobio 137
assiduo versabatur, respondit eos frustra niti, donec Salomon car-
cere liberetur. Ladislaus oraculo virginis auscultans eum continuo 138
liberari iubet, ieiunium quoque triduanum cum supplicationibus in-
dicit. Quibus rite peractis, cum in basilicam cum universa pontificum 139
procerumque manu iterum convenisset, tactus lapis, qui sepulcro
diu inheserat, facile amoveri passus est et divi regis erute relique.

De Salomonis captivitate Blondus historicus longe aliter, ac 140

rerum Ungaricarum veritas postulat, scripsisse visus est, cum eorum annales non perlegerit. Nam anno XVIII. imperatoris Henrici, qui secundum Henricorum numerum, qui Cesa- res creati sunt, quartus, secundum vero eorum, qui non modo creati, sed a pontificibus maximis coronati sunt, tertius est appellatus, magnam inter Gregorium septimum pontificem Romanum et imperatorem ipsum discordiam exarsisse refert. Quippe qui contra equum et fas Simonie vitio percitus ecclesiastica et divina munera venundabat nec pontificia admonitione correptus hac profane avaritiae labe se abstinere poterat. Eodem quoque tempore subdit Ungaros Salomone rege suo in carcerem coniecto, quem Germanis resistere nescire dicerent, Henrico indixisse bellum, contra illum maximas in Pannoniam copias induxisse. Qua quidem tempestate Agnes imperatoris mater administratione abdicata Rome vitam duxit. Severum a pontifice mox edictum de Simonia promulgatum, quo non sermone solum, verum etiam aqua et igni Simoniaci interdictum. Quin et hac lege multi notati sunt episcopi, qui imperatoris insanie gratificari studuerant. Concilium quoque apud Lateranum ab episcopis est habitum profecto frequentissimum, quo Guibertus Ravennas metropolita et magna Longobardorum episcoporum manus, item Matildis sui seculi gloria et matronarum decus ac Sisulphus Salerni princeps pre ceteris convenere. In eo Robertus Guiscardus Normannorum princeps, qui e Gallia cum exercitu profectus in Italiam Apuliam fugatis ex ea provincia Grecis et Afris occuparat, qui invitis eam partem Italis usurparant, et mox Siciliam exactis Afris sibi vendicarat fratrique Rogerio dono dederat. Cum Picenum quoque agrum pontificie ditionis habitum nuper occupare cepisset, cum ceteris Normannis anathematis nota sigillatus est. Post varias tandem insidias, seditiones ac bella Henricus malorum conscientia percitus ad eam humilitatem redactus est, ut supplex cum perpetui obsequii promissione pontificiam veniam imploraret. Sed de his hactenus.

Salomon igitur carcere emissus paucos cum Ladislao rege dies agit, nam in solitum furorem iracundiamque recidens ad ulciscendas iniurias animum advertit. Et, cum fraternis, item antistitum optimalumque consilis ac precibus parum audiret, dissimulata fuga missionem petit. Diversus trahebatur infelix et, quem in Ungaros ac fratrem potentatum suscicaret, ne facile quidem succurrebat. Si ad Henricum imperatorem, a quo suo iure auxilium postulare poterat, confugisset, eum partim pontificio, partim Saxonico bello detineri senserat, quamvis ille Saxones cesis ex suis hominum quinque milibus insigni clade superarit. E Christianis nemo sibi offerabatur, a quo magnam opem sperare potuisset, quare ad profanos animum adiecit. Illud enim continuo succurrit Cutescum Chunorum principem barbara manu potentissimum vicinum regni ac Transylvani dominatus avidissimum ad hoc bellum facile suscitari posse. Itaque barbaricum clam auxilium exorat, quo si in pristinam dignitatem restitui possit, pollicetur ac iuramento affirmat

se Transylvanie regnum Chunorum dicioni perpetuo concessurum, accepturum quoque filiam in uxorem et eternum cum eo fedus percussurum. Barbarus inani spe tractus coacta ingenti multitudine 158 in Ungariam erumpit. Imprimis duo castella adoritur, quorum alteri Ung et alteri Borsua nomen erat. De Chunorum eruptione tu- 159 multus exoritur; Ladislaus confestim cogit exercitum, contendit in barbaros. Vix rumori credere poterat, qui Salomonem cum Chunorum gente coniurasse referebat. Desperata tandem fraterna sa- 160 lute continuatis itineribus in hostium castra pervenit, curatis corporibus forti ita animo hostem aggreditur, ut dare terga coactos continuo fuderit fugaritque. Ex Chunis dena milia cesa, ex Ungaris 161 vix mille desiderati. Cutescus cum Salomone clandestina sibi fuga salutem comparavit. Rex clara potitus victoria cum ingenti preda 162 rediit, fecit apud omnes aras rem sacram et supplicationes pro agendis deo gratiis celebrate; spolia templis deorum affixa, in victorie monumentum divina ope comparate salvatori erecta edes.

Postquam Salomon rem e sententia minus prospere evenisse 163 cognovit, mutato consilio Chunorum vires in inferiorem Mysiam, quam nunc Bulgariam dicunt, subinde convertit. Sollicitat Thraciam, 164 prediis et rapinis vexat omnia, proinde Nicephorum Constantino- politanum imperatorem ad arma irritavit. Itaque Greci cum tumul- 165 tuario exercitu, quando Chunorum latrocinia tolerare non poterant, his occurrunt obstantque; facta pugnandi copia barbaram multitu- 166 dinem tanto furore adoriuntur, ut in fugam verterint. Maxima Chunorum pars cesa; cum Salomone pauci evasere, qui dato tergo ad Istrum festinarunt. Quod eo magis facere cogebantur, quo vehe- 167 mentius phalangem Macedonicam instare a tergo cum valido equitatu respiciebant. Timebant admodum, ne, antequam Istrum tra- 168 iicerent, ab hoste circumvenirentur. Augebat periculi magnitudinem fuge difficultas, quando magna ex parte, qui cum Salomone au- 169 fugerant, gravis armature milites erant, quorum is ope discrimen evasit. Accedebat spurcissimum iter hiemisque sevitia, que nivis 170 turbine lumina prepediebat, quare neque precedentes videre socios neque expeditum iter facere licebat; ferebantur avii ac incerti et a tergo comminus instabat hostis. Ad desertum tandem oppidum 171 perventum est, quod cum celerrime incolumitatis gratia occupasset, confestim a Greco milite obcluduntur. Uno die tantum ac nocte curata ibi corpora et redintegrate vires. Sed, cum Salomon pre- 172 reptata spe salutis cum sociis loco evadere nullo modo posset, potius pulchre mori quam fame perire statuit. In sequenti die ex op- 173 pido in hostes erupit, contra illi obstinatis animis obsistere, circumvenire undique, ne manibus elaberentur; at hi gladio sibi iter aperire; proinde seva cedes oriri. Cum utrinque multi cecidissent, Sa- 174 lomom cum nonnullis ense sibi viam invenit et, cum ad Istrum cucurrisset, sicco congelatum amnem pede traiecit; mox citatiore 174 cursu in proximam sylvam se recondit, ubi continuo socios curare corpora, equos pabulatum ducere iubet, ipse deposito scuto veluti dudum reversurus secretum petit atque, ubi se sociorum oculis eri-

puit, nusquam ultra visus est. Hominem *arum* iubent bono esse 208
 afflatum divino spiritu et salutari penitentia mox percipere angu- 209
 solitudines recepisse; cum castigantis dei manum intellexisset non
 reluctando, sed cedendo a se declinasse, cumulatissimas in eremo
 penas exolvere et, quo ferociorem se hominibus exhibuerat, eo
 mitiorem deinde se prestitisse deo; sevientem in se fortunam de- 177
 inde laudasse, reputasse sibi felicissimam, quancunque olim sub-
 iverat, adversitatem ratum, quencunque mundus oderit, deo fore
 carissimum. In solitudine delitescenti mos erat herbis et pomis 178
 ultro nascentibus sedare famem, corpus cilicio et subiectis quando-
 que ferarum pellibus tueri, siccis frondibus lectum sternere, vin-
 cere sitim aqua, somnum vigilia et labore captare, conficere per-
 petuo ieiunio corpus ac die noctuque in sacris hymnis et divina
 oratione versari. O ineffabilem salvatoris nostri benignitatem, cui, 179
 cum placitum fuerit, durissima continuo corpora permollit, sapi-
 entiam inspirat et ad salutem dirigit trahitque. Nimirum Salomonis 180
 regis nemo satis respicientiam admirari potest hominem animo
 elatissimo, indomita iracundia, regio genere natum, collocatum in
 regali fastigio et versatum semper in deliciis extemplo, postquam
 divinus eum spiritus incessit, ingenitam ultro deposuisse superbiam,
 pro trabea cilicium, pro purpureo strato frondes aridas, pro epulis
 regalibus baccas ac glandes, pro Syrmico sepe vino palustrem
 aquam et pro frequenti stipatorum manu commutasse solitudinem
 in eaque salubriorem quietem quam in regno invenisse; nil stu-
 diosius quam hominum occursum colloquiumque vitasse. Colo- 181
 manni regis tempore semel tantum in Ungaria visum perhibent et
 evestigio delituisse nec usquam amplius apparuisse. Ad postremum 182
 in sylvis Istrie degentem in deo obdormivisse memorant ac Pole
 sepultum; matrem vero ac uxorem in Agmondensi cenobio, quod 183
 in Styria situm est, vita decessisse ac reconditas esse ferunt.

Ladislaus eum iam diu mortuum fuisse ratus, cum nusquam 184
 extaret, ad defensandum ab hostili impetu regnum omnes ingenii
 nervos intenderat. Quando in dextera salutem publicam se ferre 185
 commissamque sibi gentem omni studio gubernandam esse intel-
 ligebat, interea ecce iterum Chunorum furor erupit et Copulcho
 duce Cruli filio in Ungariam sevitur. Primo impetu hec innumera 186
 multitudo feracissimam auriferamque Transylvaniam invadit, ho-
 mines ac pecora iuxta abigit, devastat omnia ferro ignique. Cui 187
 tantum immanitatis est insitum, ut nullum deorum hominumque
 rationem habeat; direptis rebus omnibus populisque in servitutum
 assertis in templa desevit, succendit aras nec diis hominibusve par-
 cit. Populata Transylvania superatoque monte Carpato, cui a nimio 188
 salis aurique fossilis fructu non iniuria nomen est inditum, extem-
 plo in Bihoriensem agrum, ubi Varadinum est, properatur. Ad flum- 189
 en, cui nunc Umsoer est nomen, Chunorum castra locata; aliquot
 ibi diebus immoratum. Post hec Tibiscum traicere visum est et 190
 in agrum, quem Chotoydum vocant, ii castra movere; exercitum de-
 inde in tres partes dividere visum est, una et altera ad vastan-

iam tertio Ungariam ¹⁹¹ ~~destinat~~ destinatur, ad incursandas Tibisci ripas
 nes ac ~~per~~quitur. Depopulatis igitur ex composito regionibus ad
~~destinat~~ quendam aquamve convenere, quam Bechen appellant, ubi
 intolerabili preda onusti confestim redeundi consilium ineunt glo-
 riose inter se iactantes: Belligerando venimus et venando rever-
 tamur. Ex immensa prede magnitudine, qua nil maius antea fu-
 erat auditum, hec insolentia exorta, quando innumera liberorum
 matronarumque nobilium multitudo captiva abducebatur. ¹⁹²

Ladislaus, qui in Illyrico tunc agebat et Sclavonie regnum a ¹⁹³
 sorore legatum et ab ipso ante propugnatum dicioni Ungarie ad-
 iecerat, quando longe aberat, his rebus presto adesse non potuit.
 At, ubi in Transistriana Ungarie parte edoctus est a fera gente om-
 nia diripi, initum iter properat, celerem premitit equitatum, cum
 cataphractis ipse die noctuque subsequitur. Abeuntes Chunos con-
 tinuatis itineribus ad Themesum amnem cohibet, qui traiecto iam
 fluvio se tuto in proprias sedes redire posse credebant. Postquam
 eo perventum erat, unde miserabilis preda spectari poterat, advo-
 cata contione Ladislaus exclamat: En miseribile spectaculum, com-
 militones! Prospicite longissimum captivorum agmen, ubi pro se
 quisque uxorem liberosque suos longo fune obligatos, pedibus lon-
 gum ocissime iter facere coactos et in miseram servitutem prope-
 rantes agnoscere potest. Ingentem exaudite ululatum vestrorumque
 infantium vagitum, qui e materno collo pendentes earum coaugent
 vociferationes et una cum eis a tergo respiciunt, si quam sibi opem
 videant adhiberi. Spectate, quo pacto alie filiorum sacrina gravate
 desidunt hostiumque calcibus suscitantur, alie a dolore ignaviam
 causate quam immaniter a tergo vibicibus inscribuntur. Equis ad-
 huc oculis hec spectatis, proceres, ac liberos coniugesque vestras
 passim cum matribus ad fede gentis servitia trahi toleratis? Pro-
 inde mihi potius mori statutum est quam abactis tot ingenuis ho-
 stiliter matronis et tam ingenti liberorum turba, in quibus spes om-
 nis regni sita est, turpissime vivere. Mox lacrimarum profluvio con-
 fusus concitato in hostem equo fertur rubraque simul vexilla in-
 ferri iubet; ceteri pari dolore perciti fortissimum ducem ne minore
 quidem animo subsequuntur. Chuni, postquam se a tergo peti re-
 spiciunt, agmen sistunt seque in aciem instructam redigunt. Acer-
 rima confestim pugna conseritur, quando his timor, suorum ca-
 ritas et indignatio captivitatis illis animos obfirmabat. In confer-
 tissimum se prelium rex ingerit et, dum indulget pietati, neque sibi
 parcit neque pericula ulla reformidat. Cadunt a principio utrin-
 que multi. ¹⁹⁴

Interea captivorum agmen properare iussum a tergo sibi opem ²⁰⁵
 adesse prospectat, in adurgentes reluctatur. Viri ac mulieres cum
 liberis eque se expedire student, solvunt revinctas mutua ope ma-
 nus, deponunt carissima matres pignora, ut a fronte suis opitulentur;
 quod ubi propere factum est, cum gratulatione vociferationes edunt
 intensissimas. Infantes humi iam depositi, ubi se a parentibus de-
 stitui conspiciantur, insolito spectaculo perculti pari contentione con-
²⁰⁶
²⁰⁷

vagiunt. Contra a tergo viri passim exclamant, iubent bono esse 208
 animo et lacrimas eque ac sanguinem fundunt. Chuni inter angu- 209
 stias se redactos vident, a tergo gravissime ceduntur, a fronte im-
 pedimentis et captivo vel maxime agmine prepediuntur, in quo
 matrone cum pueris ac senibus a fronte pariter suis viris, qui a
 tergo instabant, fortissime subcenturiari videbantur. Nam senio gra- 210
 vati pro vallo dispansis brachiis obstare, sepe ad protegendam im-
 bellem multitudinem pro clypeo corpus opponere. Mulieres quoque 211
 morsibus ac pugnibus digladiari, rapere quandoque arma de manibus
 hostium audacia ac spe iuxta complete, pueri quoque subsequi ma-
 trum exemplo tracti. Quare Chuni a latere terga dare ceperunt, pa- 212
 lantes fugiunt omnes, insequuntur Ungari. Quod ubi a pientissimo
 rege visum est, continuo exclamavit: Parcite humano sanguini, par-
 cite, milites, sat cruoris hostilis effusum. Fugientem capite multi- 213
 tudinem, ut, si forte ad orthodoxam fidem animum advertere vo-
 luerit, dei populum amplificemus, qua re nil deo gratius et nobis
 salutaris facere poterimus. Defervente his verbis ira militum, qui 214
 cunque superfuerant ex Chunis, capti; unus tantum servus, qui Esce-
 nubus dictus est, veluti memorande cladis nuncius evasit. Copul- 215
 chus cum prestantioribus initio pugne occubuit. Parta victoria Un-
 gari ad carissimum captivitatis agmen in libertatem dudum asser-
 tum convolarunt. Repetit quisque suos et non tam nomine quam 216
 voce agnoscebantur omnes; tanta insperate salutis ac tam lacrimosa
 congratulatio mox exorta, ut hostes quoque humanitatis expertes pio
 spectaculo collacrimarent. At, ubi publice rei seu congratulationi sa- 217
 tis aliquantisper factum est, subito regis edicto supplicationes diis
 indicte, celebrata lectisternia et apud omnes aras omnipotenti deo
 gratie passim acte et in perpetuum insignis victoriae monumentum
 Themesus amnis in hodiernum usque diem a clara infidelium cede
 Paganus cognominatus est.

Chunorum populi cognita ab eo, qui evaserat, strage suorum 218
 publico luctu indicto iustitio Copulchi ducis ac ceterorum interitum
 deplorarunt. Cum innumeram suorum manum captivam apud Un- 219
 garum detineri sensissent, uno eodemque bello et ducis mortem ul-
 ciscendam et eam a servitute vendicandam decrevere; itaque copias
 instaurant et ad redintegrandum exercitum servitia quoque sollicitant.
 Pro virili parte undique auxilia contrahunt, item Cumanos, Ha- 220
 maxobios et Ruthenos in Pannoniam ciere conantur. Post hec 221
 legatos ad Ladislaum mittunt, quibus mandata dedere, ut regem cap-
 tivatos reddere iubeant aut recusanti subinde bellum indicant diem-
 que pugne prestituunt. Cum ii in Ladislai conspectum venissent, 222
 ex mandato captivos insolentissime repetunt nulla prae reverentia usi;
 adiiciunt contumelias et non veluti a victore, sed tanquam a sub-
 dito captivos exposcunt, quin et hos continuo dimitti insolenter
 imperant. Ad futilia rex verba subrisit ne imperiosa quidem verba 223
 dicens addecere victos et tunc vel maxime, cum a benigno victore
 sunt aliquid petaturi, quod magni momenti esse videatur. Comme- 224
 morat item Chunorum iniurias, qui nullo Pannonum bello lacesiti

iam tertio Ungariam invaserint et animo plus quam hostili homines ac pecora abegerint. Proinde huiuscemodi superbie nihil indulgendum esse affirmat ac re infecta hos abire iubet, qui prius, quam pedem retro ferrent, uestigio belli diem indicunt. Quampri-
 mum rex munitissimum cogit equitatum, oppidatim et pagatim homines evocat, ad regni fines quam ocissime contendit, ut ante diem hostibus occurrat neve hos regnum ingredi patiatur. Contra ad-
 prestitutum illi diem cum innumera multitudine affuere, haud procul ab Istri ripa sabbato die ex composito pugnam ineunt et, cum collatis utrinque signis et obstinatissimis etiam animis pugnarent, nihil tunc Ladislao succurrit antiquius, quam cum eorum duce singulari bello certare. Quare declinato a plerisque congressu passim
 Chunorum regem inquirat et usquequaque discursans Acum Acum ingeminat. At ille peculiare prelium detrectare non ausus extemplo affuit. Inito congressu et tentatis Ladislai viribus ita animo concidit, ut ad primum securis ictum capite nutarit et adiecto mox ense transfossus expirarit. Spectata ducis Aci morte Chuni animo consternati instantibus Ungaris terga dare coacti sunt; palantes deinde fugiunt passimque ceduntur. In insolentissimam rex barbariam usque adeo seviit, ut paucos captivos fecerit; ne minus quidem suorum ferociam in hostes preter morem sevirere permittit, ne ulterius Chunico bello vexaretur Ungaria. Ad postremum insigni victoria potitus opima divo patri Stephano spolia retulit, cumulatissimas deo gratias indictis supplicationibus exolvit. Hec igitur Ladislai tempore ultima Chunorum eruptio fuit, quamvis regnante Salomone et vigente adhuc fraterna concordia hec gens, ut eodem loco scripsimus, magnum quoque Ungarie detrimentum intulerit. Tunc enim traiecta Transylvania ac superatis montibus Carpatiis in Bihoriensem usque agrum, ubi Varadinum est, ab his late discursum et populatum fuit. Quo quidem tempore ingenuam virginem a quodam Chunorum principe raptam a divo rege liberatam supra late retulimus.

Post Chunorum stragem Roxanorum bellum exortum est, quos Ruthenos nunc appellant, regionem vero Ruxiam dicunt; Roxolanos Latini frequentius nominant. Ladislaus enim attritis Chunis Ruthenos aggreditur, quando eos in se Chunos suscitasse, misisse auxilia ac hominibus com meatibusque iam ter bellum fovisse noverat. At illi meliore consilio freti non armis, sed obsequio invictissimum principem superandum esse censuerunt. Ne consilio quidem suo falsi sunt, nam, cum supplices eum adivissent ingenuaque culpam fatebantur et imperata se cuncta facturos plane reciperent, ipse confestim errata remisit et clementi ita animo omnes amplexatus est, ut non tam vi quam pietate hostem sibi perpetuo conciliarit.

Polonicum deinde bellum exarsit, quia cum Ruthenis et Chunis in Ungaros coniurasse rumor erat; nam sine magnis auxiliis Chuni totiens in Ungaros bellum instaurare nequaquam potuissent. Ladislaus igitur, cum hostem potius audacia quam cunctatione deterrendum esse censeret, post cesos ad internecionem Chunos et

acceptos in deditionem Ruthenos in Polonos se convertit, quos neque necessitudo sanguinis neque vetus amicitia neque vicinitatis iura in officio retinere. Iam Sarmatiae fines penetrarat, cum Polonorum occurrit exercitus; aliquamdiu acerrime pugnatum est et utrinque multi cecidere. Polonica tandem acies inclinatur; instat vehementius crescente spe Ungarus; sed, cum in fugam effunderetur hostis, illius impetus ultra remorari non potuit, fugientem usquequaque cedit fugatque et e victoriae successu tantum animi victor accepit, ut, quo usque Graccoviam a Gracco Romano cive conditam et Polonorum regiam non pervenerit, nusquam pedem sistere valeret. At, ubi ad metropolim perventum est, Ladislaus urbem acerrima obsidione circumvenit. Eam Vistula fluvius influit, qui Scythiam Sarmatiamque a Germania plane disterminat in Sarmaticumque Oceanum defertur. Iam in tertium mensem prorogatur obsessio ac magna fames et rerum fere omnium egestas iuxta obsessos et obsidentes incessit, commentum vero novum invenit ingeniosa necessitas. Intempesta nocte regis edicto quisque miles ocream galeamve effossa terra completam ante urbis menia conferre iubetur. Quod ubi factum est, congeste terre mox tumulus haud mediocris exurgit, quem farina quamprimum rex aspergi iubet. Illucescente die oppidani editissimum farine montem ante muros arcis aspiciunt, hostium commeatibus invident ac pariter admirantur, urbanam commiserantur inopiam. Publice mox salutis consilium ineunt se cibarium egenos et ad extrema redactos longam hostium obsidionem, qui re frumentaria diutissime se muniverant, ultra tolerare non posse, immo tanta iam fame laborare, ut vix in horam resistere liceat; quare in sequenti die sese cum arce dedunt. Rex castigata aliquantulum eorum pervicacia post humilem deditionem ius omne cum civitate restituit, imposterum admonuit, ne contempto amplius amicitiae iure in Ungaros quicquam molirentur, quod se facturos omnes recepere. Deinceps in Bohemiam declinatum iter, ubi, cum aliquot infestos habuerit olim sibi populos, exacta iniuriarum ultione multisque in captivitate assertis cum dexterrimo ubique eiusdem fortune tenore veluti gloriosissimus victor in Ungariam cum ditato iam exercitu se recepit.

Cum post tot bella se in otium revocasset, in Bihoriensi agro inter venandum celesti admonetur internuncio, ut ad Chrysen fluvium dive virgini basilicam dicaret eamque adiecto oppido munit, quem locum magne matri gratissimum futurum esse significabat. Divina statim mandata prestat, magnificentissimam edem erexit eique pontificem prefecit, oppidum fundavit Varadinumque iussit appellari; pontificiam edem amplissima donatione divini cultus gratia exornavit. Cum Henrici summique pontificis discordiam Germani iniquo animo tolerarent, eum ad capessendum Romanum imperium multis etiam precibus invitarunt, quem cum obstinatissime recusantem invenissent, Rodolphum declararunt Saxonie principem.

Nihil avidius anhelabat, quam expeditionis Hierosolymitane prefecturam, ut pro eius dei numine sanguinem effunderet, qui

multo nos cruore a morte redemit, eius sepulcrum ceteraque de- 256
 lubra a feda Sarracenorum gente vendicaret, qui in profanos usus illa
 redegerant, ratus salvatori suo nihil hac expeditione futurum anti-
 quius. Augebat spem iam rumor effusus Petrum heremitam Gal- 257
 lica gente natum et mira vite probitate peditum e sancta peregrina-
 tione reversum divi Petri iussu non modo Urbanum pontifi-
 cem, sed Gallos, Hispanos ac Germanos monuisse Palestinam et
 augustissima illa loca, ubi salvator mundi et natus et mortuus est,
 omnino a Sarracenis asserenda; nec ultra tolerandum illa sacraria, 258
 ubi Christianus quisque facinorosissimus facile expiatur, profanis
 quotidie piaculis incestari, quando ingenue, que peregre veniunt,
 matrone nefandis ibi concubitibus fedarentur, contra viri aut inau-
 ditis cruciatibus orthodoxam fidem abnegare cogerentur aut latro-
 ciniis ac cedibus afficerentur; proinde Petrum apostolorum principem 259
 iubere Gallos et Germanos hanc continuo expeditionem suscipere,
 terram, quam sanctam vocant, a feda servitute vendicare; quin et Urba- 260
 num Petri heremite verbis admonitum in Galliam profectum ad Montem
 Clarum in Alvernis frequentissimam habuisse synodum, cunctis, qui
 aderant, principibus vehementissima quadam dicendi copia suscipien-
 dam hanc sanctissimam expeditionem persuasisse; Gothfredum, Eu- 261
 stachium et Balduinum prestantissimo Boliniorum genere natos Bono-
 maie Gallice regulos, item Podiensem antistitem, Raymundum Egedii
 comitem, preterea Ugonem Magnum Philippi Gallorum regis fratrem,
 duos Robertos alterum Normandie alterum Flandrie principem et Ste-
 phanum denique Carnoti regulum sanctissime ultro militie nomina de-
 disse; quin et CCC hominum milia promulgato bello deposita toga 262
 sumpsisse sagum dextrumque humerum signo crucis inscripsisse, quod
 anno octogesimo quarto supra millesimum plerique contigisse me-
 morant. Ac eodem quoque tempore impediende huius expeditionis 263
 gratia Henricum ferunt Roberto Flandrie principi bellum indixisse.

Ad Ladislaum salutari hac gloria succensum et ad Bodrogum 264
 oppidum Paschalia festa celebrantem ecce ex Gallia, Hispania et
 Britannia legati veniunt. Quin etiam Guilielmum Gallorum regis 265
 fratrem peculiaries quosdam oratores misisse Pannonici referunt
 annales, qui pre ceteris regem instantissime orabant, ut cum ponti-
 ficia auctoritate ac populi Christiani iussu pro asserendo a Sarra-
 cenorum potestate salvatoris nostri sepulcro hanc susceperint expe-
 ditionem, delegatam sacrosancti exercitus prefecturam et gubernationem
 libenter acciperet neque sacrarum legionum recusaret imperium, que
 inexpiabiles infidelitatis iniurias sunt ulture. Rex pluribus 266
 exorari non permisit; imprimis Iesu Christo optimo maximo,
 quod tam preclarum facinus sue plebis optimatibus inspirarit, de-
 inde Christianorum potentatibus vel his maxime, qui legationis of-
 ficio gloriosissimam prefecturam detulerint, gratias egit. Sacram 267
 peditionem laudavit ac demum hilari fortique animo sanctissimum
 accepit imperium, legatos honorifice tractatos et ample donatos
 remisit. In illis item sollempnibus cunctis Ungarie antistitibus op- 268
 timatibusque se expeditionem Hierosolymitanam eo anno perfec-

turum significavit; quare omnes amplexatus commendata regni salute tristes lacrimabundosque dimisit.

Deinde ad Corradum Bohemorum ducem Othonis filium suum-²⁶⁹ que e sorore nepotem extemplo tabellarium mittit, qui delatum sibi Hierosolymitane expeditionis imperium significaret iuberetque iuvenem se milite accingere, componere domum, exercitum ad ulciscendas salvatoris iniurias pro sua virili comparare. Lubentissimo²⁷⁰ animo imperata suscipit nepos, ad statum se diem affuturum pollicetur salutari expeditione admodum exhilaratus. Dum peregrino²⁷¹ uterque bello se accingit, ecce Sentapolux, qui arta iuvenem consanguinitate tangebatur, Corradi ducis nomine ac intempesta nocte Pragam adit capitque; postero die a coniuratis honorifice susceptus favente pontifice Pragensi tyrannidem occupat. Corradus dominatu²⁷² exactus ad avunculum effugit, consanguinei facinus enarrat, implorat auxilium paternamque fidem et antiqua beneficia memorat. At rex²⁷³ meritorum Othonis haudquaquam immemor non modo auxiliares copias, sed pro restituendo nepote se et imperatorem et militem fore pollicetur; exercitum igitur continuo cogi iubet et validissimum parat equitatum, quin et alios ex fratre Geysa nepotes duos bello se accingere precipit, quorum alteri Colomanno, Almo vero alteri nomen erat. Almu Colomanno magis amabat, quando illum²⁷⁴ multi sanguinis effusorem, contra vero hunc mitiorem e sapientia sua fore prospexerat, quare Colomannum sacerdotio destinarat, ut dirum religione mitesceret ingenium, et consilio motus Agriensem episcopum declaravit. Quod ubi nepoti significatum est, in sequenti²⁷⁵ nocte in Poloniam effugit ingenita ferocia ductus neque veterum rerum ignarus patrem et avum a Polonis olim honorifice exceptos. Plerique iuvenem nobiles secuti, quorum principes Marcum et²⁷⁶ Ugram memorant. Colomanni fugam iniquo animo rex tulit improbitatem indolis abominatus.

Comparatis tandem copiis in Bohemiam contendit. Vix fines²⁷⁷ attigerat, ecce eum morbus incessit et languor ingens, quare principes antistitesque omnes confestim imperat acciri, ut rebus consulat Ungaricis et, antequam humanis excedat, de futuro rege disponat. Item ad Colomannum Marcellum presbyterum magna sanctitate²⁷⁸ preditum et Petrum comitem oratores mittit, qui suo nomine eum e Polonia revocent. Increbescente deinde egritudine²⁷⁹ convocatis optimatibus Almu mitiore ingenio ac prestantiore indole adolescentem regno sibi succedere iubet. Mox ex testamento,²⁸⁰ quecumque apud eum bona comperta sunt, omnia basilicis cenobiiisque sacris legat, nullam in Ungaria edem beneficentie sue reliquit expertem. Postero die rex ille sanctissimus omnium populorum²⁸¹ iudicio habitus anno salutis nonagesimo quinto supra millesimum tertio Kalendas Augustas, anno vero regni sui undevicesimo in domino obdormivit. Sine liberis aliqui defecisse ferunt neque,²⁸² anne uxorem duxerit, satis constat, nisi quod ex epitaphio quodam sepulture inscripto ad Vesprimiensem basilicam, in quam antistes quidam Gesle et Olhait reginarum ossa congegisset. Epigramma tale est:

Ladislai regis consortum hic ossa quiescunt.

Quod ego haud difficulter crediderim, cum Pyriscam Ladislai filiam, ut in secundi Stephani gestis referetur, et Constantinopolitano imperatori matrimonio collocatam eorum annales plane tradant; nomen imperatoris pretermittunt, quem Emanuelem fuisse puto. Corpus Varadini honorificentissimis exequiis sepultum est. Almus autem bona simplicitate ductus ac natu minor Colomanno e Polonia redeunti regno cessit, ne primogeniture fratrem iure defraudare videretur. Promulgato divi regis interitu tantus universam Ungariam planctus invasit, ut ne minimum quidem pagum inveneris, qui non assiduo planctu resonaret. Alii patrem patrie, pientissimum regem ingeminare alii, pars unicum regni servatorem propugnatoremque fortissimum exclamare, plerique parentem pauperum, multi sanctissimum principem et virginitatis assertorem dicere, faustissimis omnes cognominationibus certatim extollere, nemo autem pro dignitate laudare. Omnes in pulla veste demissave barba regem optimum ac pientissimum annos tris deplorarunt. Quies choreis ac ludis et silentium cantibus et citharedis indictum. Quisque sibi ultro festivitatem inhibuit ac interdicti passim ioci. Quem principem amiserint, subsecuta miracula ostenderunt.

Quibus enim sacri corporis custodia delegata fuerat, dum Varadinum iter faciunt corpusque devehunt, cum labore tum assiduo merore defatigatos altissimus eos somnus invasit; plus equo dormitur, quin et ad tertiam usque diei horam stertitur. Currus, cui corpus eius fuerat impositum, sine iumentis, que dudum pabulatum emissa fuerant, per se citatus creditum sibi pondus recta Varadinum affert et tam rapidis ultro rotis properat, ut ab expergefactis custodibus nunquam adhiberetur, nec usquam remorari potuit, donec ibi constitit, ubi Ladislai numen sibi sepulcrum optarat. Insuper inter sepeliendum, cum unus ex omnibus male id olere diceret, increpantibus ceteris, qui suavissimam odoris fragrantiam sentiebant, os illi in terga repente retortum ac humeris usque adeo mentum inhesit, ut nullo modo amoveri posset, sed repentina correptus penitentia continuo exclamavit: Peccavi in sanctissimum principem ac deo carissimum et execrabili maliloquentia pium numen violavi, proinde, sancte Ladislai, miserere mei. Deinde sepulcrum supplex veneratus iratum sibi numen conciliavit, mentum, quod humero inheserat, non sine obducta cicatrice avelli potuit. Nec desunt, qui referunt cubicularium regem ad postes templi prestolantem ac nimio more tedio affectum repetita basilica spectasse dominum divina contemplatione ita subtractum, ut in aere pendentem intueretur. Item in omnibus angustiis ita propitia sibi numina habuisse dicitur, ut, cum ipse per Getarum solitudines Bessos insequeretur, qui cum ingenti pecorum hominumque preda ex Ungaria properabant, et fame nimia laboraret exercitus, exorato Christo optimo maximo in tantum mox cervorum bubalorumque gregem inciderit, ut esurientem abunde militem paverit. Erat pre-

terea quidam miles, qui argenteam patinam a divo quondam La-
 dislao patri dono datam apud procerem non mediocrem oppigne-
 rarat, paucis post mensibus reddita pecunia pignus repetit; at ille
 eius pulchritudine captus impudenter pignus abnegat et patinam,
 quam haberet, non loco pigneris habuisse, verum etiam semper
 suam fuisse asseverat. Itaque de patine dominio controversia na-
 scitur. Pretor contentiosam litem ita diremit: Patinam divi Ladislai
 sepulcro imponendam esse censet et ab utroque prae reverenter ac-
 cipiendam ac illi demum adiudicandam, cui impune e loco sacro
 amovere fas erit. Uterque pretoris sententiam approbat; veritatis
 fit periculum. Imponitur sepulcro patina; qui pignus abnegarat,
 prior numen periclitatur; vix supplex sacrosanctum monumentum
 attigerat, cum repentino morbo correptus neque patinam capere
 neque loco moveri potuit. Adversarius contra, cum tumulo supplex
 appropinquasset ac numen orasset, ut, quod patri quondam primi-
 pilo dono dederat, nullius iniquitate filium defraudari pateretur,
 evestigio suffragante deo patinam accepit impune ac maximas divo
 Ladislao gratias egit. Qui vero membrorum syntomia torquebatur,
 placato subinde numine liberatus abiit. Nec se in cecos, mutos,
 paralyticos aut aliquo nature defectu laborantes minus officiosum
 exhibuit, quos quidem omnes divina potestate curavit. Sed hec
 omnia maius otium postularent. Quare anno centesimo tertio post
 mortem miraculorum multitudine, que vim numinis testabantur,
 coactus pontifex maximus Rome inter divos retulit atque eadem
 athanasie hora se inter divos relatum ostendit. Siquidem puer ad
 sepulcrum eius allatus est, cui pro manibus ac pedibus informis
 caro fuit, ubi neque ossa neque nervos cernere erat, vix parentes
 pro filio vota susceperant, cum pedibus ac manibus convaluisse
 norunt. Sed de sanctissimo rege hactenus.

LIBER V.

Defuncto Ladislao Colomannus rite successit, sed, quomodo id
 acciderit, diversa est opinio. Hunc aliqui Varadiensem fuisse epi-
 scopum e fratribus unicum superfuisse et, ne regnum a regia stirpe
 destitutum in alienam potestatem concederet, optimatum iussu et
 permittente summo pontifice adactum referunt se sacerdotia dignitate
 abdicasse ac regiam obivisse potestatem, ne regnum suapte na-
 tura fluctuantissimum hac potissimum occasione iret perditum,
 atque ab Ungaris idcirco Cunves Calman appellatum, quia cano-
 nicarum horarum librum episcoporum more gestaret. Alii econtra
 et verisimilius prodidere Colomannum audita divi patris morte e
 Polonia continuo rediisse, cedente Almo rite fuisse coronatum ac
 ducatum fratri ultro concessisse, quo tertiam regni partem sibi com-
 parabat. Is animi potius quam corporis dotibus pollens aspectu
 turpi fuit et monstroso, quippe cui hispida et pilosa membra neque
 inter se consentientia haud mediocrem corporis contemptum af-
 ferebant. Accedebat lingua blesa, qua gratie conciliatrice nequa-

quam prospere uti potuit, et gibbus a pectore prominens; item claudum ferunt ac parum sibi equam sortitum fuisse naturam. At detrimenta corporis resarsit animus, siquidem callidus et astutus erat, cui docile ac versatile fuit ingenium. Verum in homine libido potius quam ratio dominari. Animus crudelitate magis quam humanitate delectari. Preterea difficilis, morosus, suspicionibus ac furori nimis obnoxius; pietatem parum colere et multo minus invidia carere. Que quidem vitia diutius delitescere nequivere.

Iam dudum in Germaniam fama diffunditur et mox per Gallias passim vagatur Ladislaum Hierosolymitane expeditionis prefectum vita decessisse, Colomannum ex fratre nepotem ei surrogatum universum in obsequio tenere regnum, item divitiis et copiis eque pollere. Quam ob rem ne mediocris quidem tristitia regulorum omnium animos incessit, siquidem in Palestino bello sanctissimum fortissimumque imperatorem se amisisse reputabant. Unicum his levamen succurrebat Colomanni nepotis memoria, quem a patri sui probitate ac magnitudine animi non degenerare sperabant. Itaque oratores ad eum mittunt iisque mandata dant, ut imprimis amicitie officio fungantur, communem e Ladislai morte dolorem iam conceptum referant atque iuvenem consolentur; post hec pro regia dignitate, quam nuper iniverit, ex more congratulentur omnesque vires et auxilia deferant, ad postremum exorent, ut delatum tot principum nomine sacrosancte expeditionis imperium, quod Ladislao paulo ante contulerant, lubenter accipiat. Rebantur enim iuvenem, quantum in se situm erat, illius vestigia imitaturum et non minus nominis quam regni heredem fore, sed longe aliter, atque sperabant, res accidit. Nam, cum legati in Ungariam venissent et mandata exposuissent, nihil impetrarunt, quin etiam statim, ubi ante regem constiterent, pre infausta eius presentia diffisi se re infecta abituros auspicati sunt neque, veluti accidit, quicquam boni ductu et auspiciis eius fieri posse credidere rati velut corpore ita et animo hunc Ladislao multo inferiorem futurum. Ille autem multa impedimenta causatus obstinatissime delatum sibi munus recusavit neque tante glorie renunciare puduit, nullis expeditionem copiis adiuvit, quin etiam, ut paulo infra referetur, eos hospitio transituque prohibuit, veluti hos non ad vendicandum sepulcrum, sed populandam Asiam profecturos peregre arbitraretur.

At principes spe sua frustrati nequaquam propter hoc animo consternantur; copias innumerabiles et quecunque bello sunt usui, comparant, mox alii per Italiam, per Pannonias Thraciamque alii in Asiam contendere. Nam Petrus heremita expeditionis auctor cum Balduino et fratribus per Germanos, Ungaros ac Thraces Constantinopolim pervenire nititur. Episcopus autem Podiensis, Ugo Magnus, Raymundus et Stephanus superatis Alpibus in Italiam ad Romanum pontificem convenere. Mox tripartito profecti pars una Barium, Brundusium altera, tertia Hydruntum abiere. Boemundus Guiscardi filius pari amore glorie tractus se cum validissimo equitatu iis socium addit. Colomannus cum per Germaniam et Ungariam hos

iter facturos esse sensit, ne qua vis oppido vicoque Pannonico inferatur, cogit exercitum, quando non fidei gratia, sed predandi cupiditate hos extra fines proprios evagari reputabat ex ingenio suo alios emensus. Cum inclyte expeditionis exercitus regni finibus appropinquare sensisset, tres obviam legiones premitit, que Ungarie iter inhiherent aut parum auscultantes armis repellerent. Postquam sacra advenere agmina, non solum duces, prefecti legionum et centuriones, verum etiam gregarius quisque miles improbitatem regis, quem tanto bello preficere voluere, quamprimum admiratus est, quippe qui Christi milites et salvatoris nostri tesseram ferentes nulla religionis habita ratione non modo nullis com meatibus et auxiliis adiuvit, sed preclusit iter et interdixit, immo bellum pertinacius obstantibus indixit. Ne parva quidem Ladislai commiseratio omnes incesserat, utpote qui omni ex parte beatissimus iudicatus degenerare demum successore sugillaretur.

Postquam autem obclusum iter intelligunt, id ense aperire discernunt itaque agmen in aciem redigunt munitissimam, in medio impedimenta locant et post exploratores velitum agmina premittunt, obstantes in finibus Ungaros forti animo adoriuntur et proterunt. Mox cetera subsidia admovent, ne Christi legionibus iter impediant neve cibaria pabulave subtrahant, postquam auxiliares copias abnegant. In primo congressu ex Ungaris cecidere multi, qui impio regis edicto ducti obstitere; in ceteros, qui terga verterunt, mitius actum. Dehinc invito rege factum iter, com meatus allati et exoluta hospitalitatis officia, item clandestinis multi donis, pars magna pecuniis et aliis alii adminiculis sacram militiam pro facultate iuvarunt, ne edicti sevitia punirentur. Rex, ubi pro libidine sua rem minimie successisse conspicatur, cum pudore tum iracundia succensus ad Themesum amnem castra locat, veluti inita iam dudum pace eos abire permitteret. Ii, postquam ad Zemlinum pervenere, oppidum continuo obsident expugnantque, ne que ad postremum a Colomanno sibi tenderentur insidie. Capto Zemlino com meatuum gratia, quos innumera multitudo postulabat, universa regio diripitur ac preda omnis eo congeritur. Mutato deinde mox consilio rex cum his pacem init, cibariorum ac rerum omnium copiam reficit, ex principibus quenque pro dignitate donavit et pro resarcienda iactura nominis, quando maximam infamie notam sibi inustam esse intelligebat, nullum humanitatis officium omisit.

At illi reconciliatis ex beneficentia animis per Daciam, Mysias ac Thraciam Constantinopolim venere. Quod ubi factum est, cum Alexius imperator profusam sacre militie licentiam egre ferret, nihil diligentius et affectatius curasse visus est, quam ut primo tempore Thracium Bosporum transmitterent imprimisque ductor heremita probitatis potius quam militaris discipline compos etiam invitus in Asiam traiceretur. Traiecto exercitu Raymundus Germano sanguine natus dux creatur. Mox Nicomediam Niceamque versus mota castra. Paucis post diebus Turcorum insidiis circumventus cum magna suorum clade ad hostes transfugit. Dum hec

in Bithynia geruntur, ceteri Constantinopolim principes convenere. Traicere tandem omnes et ad Nicomediam copias coniungere. Quod 36
ubi factum est, Niceam unito consensu obsident Bithynie metro-
polim, que ab initio Antigoniam ab Antigono Philippi filio, deinde
Niceam a Lysimachi coniuge fuit appellata. Hec et loco et opere 37
munitissima haudquaquam facile poterat expugnari; magno Tur-
corum presidio defendebatur; preter eam ingens lacus erat, quo
auxilia, commeatus et cuncta, que usui erant, invehii poterant. Quin 38
et sexaginta Turcorum milia supervenere, qui laboranti dudum
urbi subvenirent, quibus partim cesis partim reiectis fuisque ad-
huc urbs capi non poterat, nisi Alexiana classis lacum invecta in
corone speciem eam circumstetisset, quare desperato auxilio op-
pidani paucis post diebus deditionem faciunt. Urbs Alexia tradita;
qui deditionem fecerant, una cum rebus omnibus Constantinopolim
commigrare iussi.

Vix quattuor dierum itinere forte processerant, cum nuncii 39
undique veniunt innumerabilem Turcorum ac Sarracenorum multi-
tudinem appropinquare dicentes. Nondum aciem eduxerant, cum 40
mira pernicitate hostis affuit; conserta pugna a mane ad serum
usque pugnatum. Inaudita barbarorum cedes edita, preda incredi- 41
bilis inde relata, cuius magnitudine omnis expeditionis inopia
abunde resarta dicitur. Solymanus Turcorum dux dissimulata clade 42
ante pia castra discurrit, obvia cuncta diripit spoliisque, ne quid
alendo hosti relinquat. Post hec iter per aridam siticulosamque 43
regionem factum; ad Iconium tandem perventum est haud procul a
Tauro monte remotum, quod in Boemundi potestatem statim con-
cessit. Curata ibi corpora et refectus admodum exercitus, mox pre 44
Turcorum insidiis quadrato agmine iter fieri placuit. Cum Heraclie 45
appropinquassent, oppidani presidio destituti ultro supplices his oc-
currunt deditionemque faciunt. Balduinus et Tancredus, cum id 46
presidio carere sensissent, Tarsum properant facilique deditione
potiuntur; oppidum iis ceterorum principum consensu traditum.
Insuper utranque Armeniam maximis copiis adoriuntur, oppida pre- 47
sidio destituta haud difficulter capiunt eaque omnia Palinuro Ar-
meno, qui signa crucis sequebatur, Galli duces concessere. Deinde 48
adita Cappadocia Cesaream capiunt receptisque nonnullis oppidis
et precipue Sura et Murensi urbe superato monte Tauro in profu-
sissimam irriguamque planiciem descenderunt et Antiochiam obse-
dere urbem olim clarissimam duodecim milibus passuum a Cilicio
mari remotam, cui arx munitissima ad exortum solis, duplex in gy-
rum murus alter latericius ex quadrato lapide alter, item sexaginta 49
turres supra quadringentas et piscosus prope lacus. Urbi Cassianus
rex dominabatur Babylonici regis stipendiarius. Boemundus ingenti
ferocia percitus primus in urbem impetum facit fugatoque frumen-
tario, qui obviam occurrerat, equitatu urbanos commeatus inter-
cipit, quibus militarem admodum famem declinat. Dehinc urbem 50
obsident ac in longa obsidione non tam perniciose fame quam
formidoloso barbarorum bello laborarunt, quin et plerique ductores

inedia et labore perterriti aufugere, ex quibus Petrum heremitam, Guilielmum Carpentanum, Tancredum Boemundi necessarium pre ceteris memorant, qui veluti desertores non sine ignominia ex fuga revocati ac novo militie sacramento sunt adacti. Iam nonus mensis 51 obsidionis agebatur et hinc seva fames, hinc ingens hostium numerus adurgebat. Quare ex ipsa desperatione est parta victoria; nam 52 cum hostibus in conspectu urbis acerrime dimicatum est, quippe qui media ex parte cesi, ceteri fusi fugatique. Galli et Germani 53 hac victoria confirmati ad expugnandam Antiochiam animos multo vehementius convertere. Ad postremum eodem fere mense Pyrrhi 54 Antiocheni proditione ac intempesta nocte urbem occupant. Cassianus rex aversa porta elapsus in propinquos montes se recipit, ubi ab Armeniis inter vagandum cesus est. Capta Antiochia paucis post 56 diebus sevissimum bellum cum Persis exoritur, nam cum Corbana prefecto regis Persarum et Sensadolo Cassiani filio haud procul ab urbe prosperrime dimicatum est ac incredibilis abducta preda, quando centum fere milia hostium ibi cesa creduntur, et preter equorum ac iumentorum numerum camelorum circiter quindecim milia sunt abacta. Cum victores se in urbem recepissent, Boemundo 57 Normanno prefectus arcis, quam hactenus atrociter propugnarat, eam ultro dedit. Antiochia omnium suffragiis excepto Raymundo, 58 qui aliquantisper intercesserat, Boemundo tradita. Quarto autem mense hinc motis castris Rugia et Albania vi capta est et 59 imminente hieme exercitus in hiberna redactus.

In sequenti autem vere Tripolim adoriantur, mox Tortosam 60 Gybellumque recipiunt. Cum Tripolitano rege, quia urbem tribus iam obsessam mensibus haud facile expugnare poterant, mitius actum equioresque condiciones oblate, quippe quem pecunias, arma et commeatus pollicentem in fidem continuo recepere. Dehinc 62 Betelon et Zeberim properatum, ubi ad Bram amnem castra locavere; hinc per arduos montes iter factum. Et quinto die Beritum 63 pervenere maritimam urbem mercatoribusque celebrem. Inde profecti 64 decimo die ad Cesaream, demum Hierosolymam venire, tripartito urbem obsedere; ad portam protomartyris, que ad septentrionem spectat, Normannus et Flandrensis comites, ad occidentem Gothfredus et Tancredus, ad meridiem montemque Sion Raymundus metatus est. Undequadragesimo obsidionis die, cum Balduinus per 65 tabulata quedam cum legione validissima primus in urbem penetrasset patefecissetque portam, urbs capta ab ortu salvatoris undecentesimo anno supra millesimum. Turris Davidis in deditionem 66 accepta; satis superque in omnem etatem sexumque sevitum; miserima in templo utrinque cedes edita. Quare in pedis altitudinem supra pavementum ibi cruor excrevit. Infelix profecto civitas 67 continuatis tot excidiis obnoxia, quando, ut vetustiora dimittam, a Ptolemeo primo Egyptiorum rege, deinde Tito Vespasiani filio, item ab Adriano imperatore et a Carolo Magno et nunc a Gallis et Germanis eversam legimus. Gothfredus omnium suffragiis rex Hiero- 68 solymitanus declaratus, qui, quamvis cetera regni insignia accepis-

set, coronam tamen pertinacissime recusavit exclamans haudquaquam fas esse Christianum hominem auream in ea urbe gestare coronam, ubi Christus rex maximus spineam pertulisset. Paulo post, cum ingens hostium multitudo adventare nunciaretur, que urbem ab Europicis eriperent, continuo his occursum atque non procul ab Ascalona ductu et auspiciis Gothfredi feliciter pugnatum et cesis fugatisque hostibus clarissima est relata victoria, ubi centum hominum milia ex Asiaticis cecidisse perhibent, quingenta in certamen milia hostium descendisse plerique tradiderunt.

Ad Colomannum itaque redeamus, qui, postquam dimissis sacrosancte expeditionis exercitibus in regiam se recepit Almusque fratrem ad sua oppida redire permisit, maledicentium opera magna inter utrunque fratrem suspicio intercessit. Aliqui, huic dum gratificari student, precavendas fratris insidias admonent, contra vero plerique alterum edocent, ne quo fratri modo confidat, quem nunquam dolo carere sat exploratum haberent. Ex inita suspicione simultas oritur, e similitate mox in apertas inimicitias ac bella prorumpitur. Quid plura? fratrum indicitur utrinque bellum. Et ad Tibiscum amnem ac Warkon oppidum cum validissimo equitatu rex properat, contra Almus haud procul ab oppido castra locat; Tibiscus inter hos medius interfluit. Iam pugne dies instabat, cum bonorum quorundam opera paucorum dierum indutiae fiunt et de fraterna interim concordia agi ceptum. Proceres utrinque cum militibus sine ducibus convenere; cum seniores plerique sententias dixissent, illius potissima visa est et in ea mox decretum factum, qui de intestinis Ungarie bellis et quecumque mala Petri Salamonisque temporibus acciderant, composite et copiose disseruit, non fas esse fraterna bella fovere neque redintegrare civilia neque pro duobus fratribus omnes ire perditum; in summa illud esse, cum nulla sit Ungaris inter se dimicandi causa, eos nullo modo intestinum prelium conserturos neque in ea re ducum imperio auscultaturos, illis autem fore integrum, si seve pugnandi libidine rapiantur, singulari certamine dimicare; quicumque re verbove faveant, capitales iam futuros; demum Ungaros duelli victorem pro rege habituros. Approbata vulgo sententia Graccus ad regem, ad Almus Ilias mittuntur, qui decretum nuncient. Quod ubi retulere, duces continuo castra solvere ac a fraterno bello manus abstinerunt. Nam cum Colomannus, ut aiunt, luscus, claudus et gibbosus esset, non equo Marte cum Almo certare posse videbatur.

Deinde mutato rex consilio, cum resipisceret aliquantulum, Ruthenos, quos Roxolanos olim appellabant, arma vertit ratus multo melius fore domi colere otium ac arma foris agere, quam intestino eodemque calamitosissimo bello periclitari. Comparato igitur maximo exercitu in Ruthenos contendit; postquam fines adiit, hostili more cuncta igni ferroque devastat, homines ac pecora passim abducit. Quod ubi regine nunciatum est, cui Lance nomen erat, Colomanno obviam prodiit, profusis lacrimis supplex ad pedes hostis prociidit, exclamans veniam ac pacem orat, pro virili sua rapinas

deprecatur, instantissima supplicatione amplexatur genua, ut Ruthenis ignoscat. At rex impudentissima efflagitatione mulieris offensus hanc præter dignitatem regiam calce reppulit haud fas esse referens maiestatem regis femineis ululatus incestari. Sed illa vi reiecta elatis in celum manibus divinam opem ingeminat diramque repulsam incusat. Adventarunt insuper Chunorum legati, qui multis precibus Ruthenorum veniam ac pacem orabant; nullis tamen precibus rex exorari potuit. Interea Rutheni Mircodem Chunorum ducem cum auxiliaribus copiis acciverant et utrique quinque fere milibus passuum prope Colomannum metati sunt. Cum legati desperata pace rediissent pertinaciamque viri retulissent, extemplo curatis corporibus secunda vigilia noctis et quadrato agmine incautum hostem adoriuntur et pre insolentia nil tale formidantem; protinus in castra carris circumsepta impetum faciunt irrumpuntque, somno et labore gravatos obruncant et expergefatos obstantesque partim proterunt, partim in fugam vertunt; nam improvise impetu percussi alii fugere, resistere alii, pars arma edito clamore capessere; non statario, sed tumultuario quisque prelio uti; ad postremum desperata salute palantes omnes fugere, sylvarum disquirere latebras et ita vitam tueri; Rutheni pre indignitate rei et fortune dexteritate usquequaque seuire. Quare Ungarorum exercitus ad interneccionem usque fere cesus; vix cum paucis nobilibus Colomanus evasit, veterana enim legione munitus cesis compluribus reliquis maxima ex parte vulneratis erupit. Quem dum Chuni insequuntur, Euzen Almasi genere natum ac virum fortissimum cum magna manu suorum, item e pontificibus Cupan et Laurentium multosque alios sagittis intercepere. Instabat a tergo Monochus unus e Chunorum principibus, in quem Mattheus pretoriane cohortis prefectus se convertit audaciam hostis repressurus. At ille mox aversus spicula mittit Mattheique pedem sagitta traicit, quo vulnere prepeditus iam in hostium manus pervenisset, nisi clypeis expediti socii protexissent. Exin Petrus Monochum adoritur et sagitta fessum capit vulneratque vivumque ad regem ducit. Iulas quoque comes trajecto pede vix e manibus Chunorum evasit, quo tabifico vulnere paucis post mensibus in Ungaria exspiravit. Ungari igitur castris exuli magnam in strage iacturam fecere, quando amissis impedimentis, vestibibus, præterea vasis, armis opibusque regalibus pauci superfuere. Qui in sylvas effugerant, pre inedia calceorum soleas igni arefactas devorarunt. Hanc Ungari cladem ita insignem fuisse tradidere, ut ceteris anteferant. Eodem ferme tempore duos e priore uxore liberos regem accepisse dicunt Ladislaum et Stephanum. Ex quo genere mulier illa fuerit et quod ei nomen, non reperio.

Post hec Normanni universam Dalmatie ac Grecie oram Rogerio duce, qui Boemundi frater erat, infestare ceperunt. Veneti, qui maritima quedam paulo ante in Dalmatia occuparant, cum cetera et presertim mediterranea iam diu Ungari possiderent, veluti in hunc usque diem retinent, fedus cum Colomanno percussere, quandoquidem ad utrosque propugnatio Dalmatie pertinebat. Condicionem

federis rex haud invitus accepit ratus, ut acciderat, si sub amicitie
 pretextu Dalmatas reviseret veteres Ungarorum socios ac Pannonice
 dicionis avidissimos, aliquando fore, ut in fidem sui regni facile
 revocarentur. Icto federe hi confestim expeditissimos equitatus, 101
 ingentem classem illi comparant, quam ubi conscendere, Brundusii
 portum occupant, capte urbi presidium imponunt. Mox in continen- 102
 tem effusi longe lateque Apuliam populantur, homines ac p̄cōra
 iuxta abigunt et, ubi satis superque onustam classem et locupleta-
 tissimum quenque esse sensere, in Dalmatiam se recipiunt. Ne Co- 103
 lomannus quidem spes sua frustrata est, nam, cum videret Vene-
 tos Syriaca expeditione occupatos et modo cum Normannis modo
 cum Patavinis progenitoribus bella gerere, ipse iure federis liberius
 in Dalmatia diversari cepit. Quem cum illius ore nobiles tutius 104
 adirent, continuo admonebantur, ut pristinae libertatis et Ungarie so-
 cietatis memores essent seque, cum ii voluerint, omnes a misera
 Venetorum servitute libentissime vendicaturum. Quare ad unum 105
 fere omnes Dalmate a Venetis defecere, ad Pannonum societatem
 rediere atque imprimis Iadrenses, qui eiecto Veneto magistratu mis-
 sum a rege presidium admisere. Horum exemplo ceteri ducti Ve- 106
 netos undique exegerunt. Colomannus auxiliariis copiis Dalma-
 tiam compleverat, quibus Dalmate freti subito defecerunt. Regis 107
 mox edicto, veluti ante promiserat, perpetua libertate Dalmatia do-
 nata fedus cum Venetis inivit, quemadmodum diximus. Veneti 108
 etiam hac condicione ictum ferunt, ne cui Venetum nomen in ex-
 peditione Italica ob Dalmatie usurpationem aliquo convicio laces-
 sere liceret. Verebantur enim, ne qua mentione Dalmatie orta con- 109
 tentio militarem suscitaret in eo bello seditionem. Ungarorum an-
 nales nulla arte scripti, sed simplici tantum veritate prediti rem 110
 aliter ac illi referunt. Colomannum aiunt collatis cum Petro signis,
 qui eius regionis rex erat, in monte Medrusie editissimo, quam Pe- 111
 tergozdiā, id est, Petri montem nunc appellant, atrocissime pu-
 gnasse, ceso rege Dalmatiam iure belli Ungarie adiecisse; immo 112
 a Petro post Ladislai mortem, qui eam Pannonibus addixerat, oc-
 cupatam potius recuperasse videbatur, recuperatam a Normannorum
 classe cepisse vexari; post hec regem ad coercendam Normannorum 113
 audaciam, qui late in Apulia dominabantur et Adriaticum ubique
 mare infestabant, Venetam classem conduxisse accitis undique au-
 xiliis; mox bello maritimo ad Brundisium Apuliam invasisse, tri- 114
 bus eam mensibus igni ferroque vastasse, retulisse hinc magna
 spolia; item Brundisium et Monopolim expugnasse, has Venetorum 115
 presidio commisisse, uti civitatem utranque Colomanni nomine
 custodirent; Colomannum deinde cum Ungaris se in Pannoniam 116
 recepisse, haud multo post Venetos commissas sibi urbes usurpasse
 et in ius suum asseruisse; eas denique eiectis Venetis a Pisanis mi-
 litibus iussu Caesaris fuisse receptas. Hec igitur annales referunt, 117
 qui, quamvis auctorum inscitia res incomposite scribunt, nihil tam-
 en a veritate alienum commentari videntur. Atque illud in ho- 118
 diernum usque diem aperte constat preter occupatas quasdam ma-

ritimas urbes et easdem quoque potissimas, quibus classis predominari posse videbatur, nihil Venetos in mediterraneis possidere; maritimos insuper populos Ungarici nominis immemores adhuc nunquam fieri potuisse et, nisi magnis iisdemque sollicitis presidiis accuratissime observarentur, sepiissime a Veneta potestate defecissent. Sed his rebus sat magnam Iadrensiū novitates coniecturam facient, qui vix artissimis munitionibus vigillumque presidii coerceri potuere, ne ad Pannonicam libertatem respirarent. Scythica nanque illa libertas pro veteri consuetudine ita Dalmatarum animis inhesit, ut ad nostra usque tempora divelli nequeat. Confirmabat asperitas montium, quos non immerito Adrios appellamus, et Dalmatarum atrocitas, que cum Scythico potius quam cum Italo consentire videbatur. Quapropter Adriatici maris intervallo ad Scythas potius quam Latinos illorum mores declinarunt. Sed ad Iadrensiū defectionem redeamus.

Imperante adhuc Henrico quarto, qui annis circiter quinquaginta regnavit et eo etiam tempore, quo Ordephalus Phaledrus Venete reipublice preerat, Iadra eiecto Venetorum magistratu presidioque ad Colomannum plane defecit. Quo quidem nuncio Venetorum animi usque adeo consternati sunt, ut longe maiorem hinc dolorem quam e fedissimo urbis incendio, quod nuper acciderat, concepisse videantur; non enim ignorabant perbrevis futurum, ut eodem exemplo universa Dalmatia rebellaret, et ne opinione quidem ac metu suo frustrati sunt. Colomannus recepta Iadra ceteros paulo post Dalmatie populos recepit, quos, ut maiore diuturnioreque beneficio sibi obstringeret, ultro libertate donavit, item urbium templa donariis amplissimis excoluit. Qua quidem beneficentia ita Dalmatarum animos sibi conciliarat, ut in hodiernum usque diem Pannonici nominis oblivisci nequeant et vix cum maximis presidii in Venetorum obsequio retinentur.

Colomannum Veneti graviter inculpabant perpetuaque violati federis infamia notabant, quod ipsi sancte hucusque servassent. Contra ille se neque fedus violasse neque in socios arma sumpsisse neque detrectasse amicitiam, sed suos recepisse populos, qui ultro se dediderant, quos hereditario iure retinere debebat. Magnam igitur Veneti mox classem parant, Ordephalum ducem in Dalmatiam mittunt, quod tertio decimo ducatus eius anno factum esse memorant. Ordephalus Iadram acri obsidione circumvenit circumventamque oppugnat. Obstat Ungarorum presidium urbemque pertinaciter tuetur, quin et in certamen sepe prodiit, ubi multi utrinque cecidere. Demum, cum ii terra marique perpetuo prelio urbem infestarent, imminente fame Ungari deseruere et ad propugnanda cetera oppida properarunt. Ordephalus recepta Iadra impositoque presidio Sicum, quod nunc Sibinicum dicunt, navigat, mox id in deditionem accipit, cum annone caritate laboraret, quod, ne ultra rebellaret, menibus nudavit. Dehinc ad cetera maritime ore loca properatum, quibus Ungari pre rerum inopia decedere coacti sunt. Venetos deinde superatis montibus eodem duce optimo successu

elatos in Croatiam penetrasse ac regionem armis totam occupasse aliqui prodidere et tunc Croatiae titulum a Venetis ducibus occupatum, quod apud ceteros non invenio.

Postquam autem Ungaris significatum est Venetos Dalmatiam 137
recepisse et Croatiam ingressos longe lateque grassari, maximam
quoque predam abducere, Colomannus extemplo pro sociis arma
capi iubet, utranque Pannoniam ad bellum suscitatur, quippe cū
posthabita Ungaria nihil Dalmatarum societate erat antiquius. Non 138
modo vicatim et oppidatim evocantur armati, sed domesticatim quis-
que nomen dare iubetur. Edicto regis ad Dravum omnes copie con- 139
venire, mox traiecto amne universam fere Valeriam, que Savum
Dravumque interiacet, pro sociorum salute secum militare cogunt.
Sed, ubi ad Savi ripam substiteret, Venetos populata Croatia re- 140
ceptaque Dalmatia ovantes se in patriam recepisse noverunt. Sed 141
Ungaris potissimum id augebat iracundiam, quod multos Dalmatie
regulos et non parvam nobilitatis manum Venetus secum abduxerat,
quos ovationi non modo preferret, verum etiam Venetiis, ne ultra
deficerent, relegatos haberet; quare continuatis itineribus ad Colo-
pim venere. Traiecto amne populatam Croatiam offendunt atque ne 142
mediocris quidem tristitia et commiseratio Pannonum incessit, cum
incensos pagos et capta quedam oppidula spectare. Sed illud
longe gravius videbatur, quod captivos nobiles multos abduxerit.
Paucis in provincia diebus remorantur, quibus vi cuncta recipiunt, 143
quecunque illi oppida occuparunt. Mox superato monte Adrio in
maritimam Dalmatie oram descensum est. Ordephalus accepto Un- 144
garorum adventu nequaquam in tanto discrimine cessandum ratus
consulto senatus confestim classem aliquanto quam ante maiorem
cogit in Dalmatiamque transvolat et imprimis Iadram illius ore me-
tropolim venit, qua recuperata facile totius provincie victoriam spe-
rat. Pannonica ibi castra repperit et urbem obsidione liberare for- 145
titer incepit. Ungarus nihil dimicandi copia avidius anhelabat spe-
rans adepta victoria facile omnia recuperaturum. Id ipsum quoque 146
Venetus exoptabat ratus uno labore hoc bellum absoluturum; quare
in litus militem explicat, universam classem ordine collocat ibique
tormenta cuncta disponit, occupato litore aciem instruit. Quod ubi 147
ab hoste spectatum est, ipse quoque arma parat, educit cohortes
ac validissimo munit equitatu. Mox dato signo pugna conseritur, 148
maximo utrinque impetu concurritur; aliquantisper eminus pugna-
tum. Succensis deinde animis tam atrox et cruentum prelium est 149
initum, ut non pro imperio et gloria, sed pro liberis et vita dimi-
care quisque videretur; comminus sic ubique certari ceptum, ut vix
agendis gladiis locus esset. Duces utrique imperatoris militisque
optimi officium prestare. In media acie Ordephalus ingenti clamore 150
suos hortari, ut forti animo barbaros adorirentur, eorum ferociam
Italico robore contunderent reipublice ac Veneti imperii non im-
memores. Contra Colomannus Pannonios monere, ut pro sociis 151
strenue dimicarent, sibi non cum veterana legione fortique milite,
sed cum piscatore rem esse; neque Ichthyophagorum insolentiam 152

ultra tolerandam, qui eo arrogantie evecti sunt, ut hunc totum
 Adriaci maris tractum nobilissimis populi Romani coloniis excul-
 tum piratica sibi arte vindicare iam audeant. Quin et in Syriam 153
 nuper successu navigationis elati effeta quedam antiquitate oppida
 et fere deserta cum nonnullis Cycladibus insulis occuparunt. Pro- 154
 inde iubere omnes pro regno, dignitate ac sociali salute fortissime
 dimicare, Ungarice virtutis et glorie nequaquam oblivisci. Confir- 155
 mati igitur utrinque animi tam vehementi robore decertabant, ut
 mori quam cedere quisque malit. Miserrima hinc cedes oritur. Ali- 156
 quamdiu fortuna utrisque equa fuit et, dum pari victoriae spe ut-
 rinque pugnatur, non parum sanguinis effusum. Hi pro sociorum 157
 caritate, pro imperandi libidine illi obstinatissime dimicant. Cum
 multi cecidissent, ad triarios redacta pugna. Rex a dextro cornu 158
 extremas vires experiri statuit et obstinato usque adeo dimicat animo,
 ut aut Dalmatiam a Veneta servitute vindicare aut cum Ungaris
 una mori decreverit. Redintegratur igitur hinc prelium et cataphrac- 159
 tus admovetur equitatus. Veneti ne minore quidem adhuc spe freti
 extrema quoque tentare non verentur, quando desperata victoria
 se in proximam classem referre poterant, et, ne reditus intercipe-
 retur, presidium in litore collocarant. Ad novissimum periculum ve- 160
 luti ad spem victoriae ultimam invitati universas in dextrum cornu
 vires, ubi regem enixius agere intellexerant, convertere subsidio la-
 borantibus submitto. Ne minore quidem audacia pugnam instau- 161
 rant, cum equitibus carerent, ac vel maxime cataphractis eorum
 loco gravis armature milites exposuerant, succedebant hastati, fe-
 rentarii et ingens sagittariorum manus neque varie tormentorum
 insidie deerant, que hostium turmis obstarent; quare truculentis- 162
 simum ibi certamen redintegratur. Cum Veneti defectis viribus ali-
 quanto remissius pugnarent et iam inclinari cepissent, Ordephalus
 ne minore quidem pertinacia fretus viso periculo se inter confertis- 163
 simos milites ingerit et elatiore quam antea voce suos hortatur, ne
 in hoc extremo labore presentem victoriam deserant neque provin-
 ciam nobilissimam tanto sanguine comparatam barbarico imperio
 dimittant, item memoria repetant se nunc quoque cum illis pu-
 gnare, quos e Dalmatia sepe fugarint. Sed non hortatione solum, 163
 verum etiam viribus laborantem aciem iuvare pergit et, ut exemplo
 quoque magis prodesse videatur, nihil de optimi ducis officio pre-
 termittens extemplo se inter confertissimos hostes inseruit, ubi lan-
 cea transfossus occubuit. Fortissimi repente ducis casu ita phalan- 164
 gis universe animi concidere, ut inviti cedere cogentur. Contra 165
 hostis casu sic Ungarus animatus, ut ultra contineri nequiverit. So-
 luto ordine cessere Veneti et in apertam mox fugam effusi ad clas-
 sem cucurrere. Ne minore quidem pernecitate pedites ac equites a 166
 tergo instabant, qui, antequam in classem se reciperent, intercipiebant.
 Quare Veneti ante ladre menia, ut ipsi quoque cum suis 167
 scriptoribus ingenue fatentur, maxima ex parte cesi captive, pauca
 manus cum classiariis evasit, que vix reducende classi sat esse vi-
 debatur. Accedebat ad miserie cumulum clarissimi ducis interitus, 168

qui reipublice admodum calamitosus reputabatur. Accepta clade ita 169
populus cum universa nobilitate exanimatus esse fertur, ut XXX
dierum iustitium indiceret; Ordephali corpus Venetias relatum pu-
blice deploratum et in ede Marci honorificentissime conditum.

Profligatis hostium copiis et ad interneconem fere cesis Un- 170
gari ladram ultro se dedentem recipiunt. Ad cetera deinde oppida 171
properarunt, que prospectis continuo signis ad Ungaricam fidem
rediere. Pacata Dalmatia dispositisque ubique presidiiis, prout loci 172
cuiusque condicio postulabat, Colomannus in Pannoniam se recepit.
Et, cum accepisset Ordephalum ducem eiectis ab initio e Dalma- 173
tia Ungaris reversum in patriam haud mediocrem Dalmatice nobi-
lilitatis numerum secum abduxisse captivum et in triumphi speciem
mirabili pompa explicitum pretulisse, equiore nunc fortuna potitus
in Venetorum invidiam non de Dalmatis et Croatis, ut ille, sed de
captivis hostibus cum oppidatim tum vicatim rite triumphavit. Multi 174
quoque illius provincie nobiles et plerique reguli non invito rege
raso capite veluti in novam libertatem asserti ante triumphum pro-
cessere, ut rex non tam de victis Venetis quam liberatis Dalmatis
rite triumphare videretur. Spectatum passim occurrebant ex omni 175
genere homines, qui et victoribus et sociis congratulentur et fre-
quenti spectaculo regiam gloriam honestarent. Ad Albam demum et 176
divorum regum monumenta perventum, ubi longe maiore pompa
triumphatum. Supplicationes sollemni more celebrate, multa basi- 177
lice cum hostium signis affixa spolia et acte triduo divis gratie.
Dalmate vero illum victorie diem, quo a Venetorum servitute libe-
rati sunt, inter fastos retulerunt diveque Libertati dedicarunt. Hoc 178
immortale beneficium ita deinceps posterorum animis insedit, ut
nostra etiam tempestate alieno iugo pressi Ungarici nominis neque-
ant oblivisci. Quare hoc preclarissimo tantum facinore Coloman- 179
num immortalitate dignum omnes censuere.

Venetis tanta clade ac merore confectis amissa omni reti- 180
nende Dalmatie spe, cum variis quoque molestiis distraherentur,
legatos demum ad Colomannum mittere placuit, qui pacem pete-
rent aut, si eam assequi non possent, indutias saltem quam lon-
gissimas impetrarent. Legati, ut ipsorum annales referunt, Vitalis 181
Phaledrus, Ursus Iustinianus et Martinus Mauzocenus scriba sena-
tus consulto decreti sunt, qui primo tempore in Pannoniam pro-
ficiscuntur. Rex, ubi eos appropinquare intellexit, multos pontifices 182
proceresque premisit, qui hos pro dignitate exciperent et ad ipsum
honorifice introducerent. At illi honorificentius opinione sua sus- 183
cepti et ante regem constituti Ursum Iustinianum pro cunctis verba
facere iubent:

Nisi compertum satis haberemus, pientissime Colomanne, quem 184
regem essemus adituri, nunquam profecto senatus populusque Ve-
netus ad te nos mittere decrevissent, ne illi frustra quicquam po-
stularent aut nos diri hostis potestati committere viderentur. Sed, 185
quando te divi Ladislai nepotem et alumnum et sanctissimi regis
Stephani abnepotem esse acceperunt, quibus te neque religione

neque clementia neque quovis genere pietatis cedere cognovere,
 nos ad te non ad hostem, sed ut ad quendam humanarum rerum
 moderatorem amicumque sanctissimum reipublice nostre delega-
 runt, ut de pace non tam equitatis quam amicitie iure nobiscum
 agere videare. Neque nos latet te non magis alios quam te ipsum 186
 vincere didicisse, quod est in clarissimo quoque rege potissimum.
 Pro retinenda Dalmatia utrique certavimus, sed diverse utrisque 187
 fuere cause; nos amplificati imperii iura retinere, vos antique soci-
 etatis libertatem tueri perrexistis. Multa utrinque bella et profecto 188
 gravia intercessere, in quibus variam sepe vidimus fuisse fortunam,
 que, ut maiore ludibrio nos afficeret, modo Venetis modo Ungaris
 arrisit et, quo dexterior adesse videtur, eo se utrisque insidiosio-
 rem ostendit. Ne Dalmatas quidem diffitemur et Sclavos prius in 189
 Ungaricum quam Venetum ius concessisse. Universum hunc trac-
 tum, antequam Venetie forent, Atila passim diruit ac incendit
 indigenamque Dalmatie gentem prorsus extinxit. Sclavos, qui de- 191
 inde Dalmatiam et Croatiam inundarunt, gravissimo sepe bello in-
 festastis perdomuistisque. Si quod imperium subire deberent, Un- 192
 garicum iis prius esset optandum, quando utrique Scythe estis et
 Unnis divinitus imperandi est data potestas. Post Unnos Veneti e 193
 parvis initiis imperare ceperunt et ne iniquiore quidem fato nos
 ipsi ad dominandum incitari trahique intelleximus. Ita fortuna vo- 194
 luit, que regnantium certamine delectatur, ut sepe vincere et vinci
 obtigerit, quin et in Dalmatico bello quam gravissimam hominum
 rerumque iacturam nos fecisse libere fatemur, si facta potius cor- 195
 rigi quam damnari possent. Multa sunt, Colomanne, que pro infec-
 tis habere mallems. Quodcunque bellum nobis tecum intercessit,
 egerrime ferimus et de Dalmatia tecum decertasse penitet atque
 fortasse aut utrique eodem crimine convinci aut absolvi possemus,
 si in pari fortuna versaremur. Sed victis omnia iura infesta sunt. 196
 Si quid in Dalmatico bello deliquimus, multo prius delicti penas
 dedimus, quam veniam impetraremus. Ad te igitur venimus, Colo- 197
 manne, ut senatus populique Veneti nomine pacem cum venia pos-
 tulareremus aut, si preter fas et equum illa non daretur, indutias
 tandem quam longissimas impetraremus. Neque vos pusillanimitate 198
 aut exhaustis viribus a nobis pacem postulari reputetis, quando,
 quot expeditiones uno tempore terra marique geramus, non igno-
 ratis. Pia Syrie expeditio nos hinc avocavit, in qua longe maiora 199
 nobis premia deferuntur. Gothfredo Hierosolymitano regi, ut olim 200
 ccepistis, Balduinus frater successit; hic superatis Egyptiis et Cali-
 pha rege interempto diem obiit. Huic alter Balduinus suffectus 201
 erat, qui, cum superioribus diebus cum Dolocho Parthorum rege
 infligeret, captivus Carrhas ductus est. Qui Hierosolymis superfu- 202
 ere, nostram classem lacrimis multis exposcunt. Quod bellum multo
 magis vestram maiestatem quam nostram rempublicam addeceret.
 Itaque cum generosa sanctorum regum posteritate, cum sociis 203
 quoque vestris e Scythico vestro genere oriundis ultra bellum ge-
 nere nefas et iniquum admodum reputamus. Quapropter, cum labo- 204

rantibus Christianis, qui augustam sanctamque regionem a feda profana barbaria vendicarunt, ingenti classe hoc anno subvenire sit animus, ut pro Iesu Christo salvatore nostro strenue dimicemus, qua militia nil erit opimius, te vehementer oramus, ut Venetis tuis pacem tribuas, fedus perpetuum nobiscum percutias, pro arbitrato tuo Dalmatia potiaris, pristinam societatem et amicitiam, qua freti adversus Normannos in Apulia prospere militavimus, nunc te, Colomanne, queso, redintegremus, neque ulterius in nos sevias, quem omnibus in rebus diligemus et observabimus, neque a sanctissima Syrie expeditione revoces, ne profane servitutis Hierosolyme apud omnes gentes auctor habeare. Id non tam Veneti postulant quam clementissimus ille deus, de cuius monumento agitur, qui te creavit, qui te creatum sanctissimo nobilissimoque genere in solio regio collocavit, ut non modo Pannonie Septentrionique, sed universe Christiane reipublice salutem consuleres. Infamiam, ut illa tua bona venia dixerim, quam in Hierosolymitana expeditione contraxisti, si nobis pacem perpetuam dederis, nunc penitus abolebis. Ne minus quidem hoc Ungari quam Veneti tibi supplicant, cum illi quoque religiosissimi habeantur. Proinde nobis pro erratis, qualiacunque sint, te, Colomanne, quesumus, haud difficulter veniam tribue pristinamque fedus perpetuamque cum Venetis pacem instaura aut indutias, si adhuc te ipse vincere non potes, concede longissimas, ne quid divis tuis progenitoribus, ne quid dignitate et religione tua indignum facere videare.

Iustiniani oratione in lacrimas rex aliquantisper effusus pro difficultate loquendi pauca verba facit se cum senatu populoque Veneto nunquam bellum optasse, rapinis, cedibus ac ceteris, que ultro citroque intercesserint, detrimentis admodum indoluisse, pro sociorum salute invitum semper arma cepisse; dolorem inde conceptum hac dumtaxat pacis petitione levare, que e Marte provenit; se pacem non modo Venetis, qui socii quandoque sui fuere, sed profanis quoque hostibus nunquam abnegaturum; se una dumtaxat re deterreri, ne pax ex animo parum postuletur, quare se pacem Venetis in quinquennium promittere concessurum et recte sancteque servaturum, quin etiam eam pro Venetorum arbitrato, dummodo Dalmatia manus abstineant, instauraturum. Respirarunt ad hec responsa legati se a gravissimo bello patriam liberasse reputantes. Aliquot dies apud regem mansere non minus honorifice quam urbane tractati; deinde haud sine muneribus in Italiam dimissi sunt.

Patres acceptis quinque annorum indutiis omnes vires in Syriacam expeditionem intendunt. Quando nullum sibi ab Illyrico periculum imminere conspicantur, numerosam classem subinde cogunt, quam ex ducentis navibus constitisse ferunt, in qua onerarie septuaginta, longe relique fuere. Supplementum e Dalmatia sumptum, postquam in Syriam perventum est, ubi Ioppen urbem Michael dux classis offendit acerrima barbarorum obsidione circumventam, que Christiane ditionis erat, cum hostium statim classe confligit Ioppensesque Sarracenorum periculo liberavit. Multi de-

inde Tyri obsidionem Michaellem sortitum ferunt. Nam cum libera-
 rata Ioppe Hierosolymam venisset, a Varimundo antistite ceterisque
 congratulantibus perhumane acceptus est. Ubi postquam gerendi ²¹⁶
 belli ratio est habita, Tyri obsidio non tam ex consulto quam sor-
 titio obligit et ea, ut aiunt, condicione, ut, quecunque fuerunt a
 Balduino priore bello concessa, rata ac firma manerent. In quibus ²¹⁷
 hec potissima erant, ut in omnibus Hierosolymitani regni Anti-
 ochenique principatus urbibus primam arcem primum vicum pri-
 mum forum Veneti possiderent. Urbs terra marique oppugnari ²¹⁸
 cepta; demum quinto obsidionis mense facta deditio. Tertiam urbis
 partem Venetis Varimundus ob navatam operam ac fidem auxilium
 concessit. Balduinus postliminio reversus id omne ratum ac fir-
 mum esse voluit. Hunc Michaellem aliqui scriptores, qui Venetis ²¹⁹
 blandiri quam explorata scribere maluerunt, in reditu Chium, Samum,
 Lesbum, Andrum multasque e Cycladibus insulas et in Pelopon-
 neso Methonem, in Dalmatia denique Iadram, Spalatum et Tra-
 gurium expugnasse prodiderunt. Aliqui nullum a Dominico Micha- ²²⁰
 ele e Syria redeunte oppidum preter Iadram receptum affirmant,
 nam Tragurium, Spalatum, Ragusium et pleraque Dalmatie loca
 a Vitale Michaelle duce capta fuere. Sed, quecunque in Dalmatia ²²¹
 gesta sunt, ceteri preteriere, ne quid a veritate aut notitia scribe-
 rent alienum. Res Christianorum usque ad Balduini quinti regnum ²²²
 semper retro fluxisse visa, quo quidem tempore Hierosolymam a
 Saladino rege Egyptiorum receptam ferunt. De Venetis hactenus.

Dum hec, que diximus, omnia geruntur in Syria, Coloman- ²²³
 num in Dalmatia aliquamdiu diversatum ferunt et Iadre, que caput
 est provincie, diutius immoratum. Ibi quoque memorant non parvo ²²⁴
 sumptu regiam edificasse, ubi somnium adiiciunt Ungarorum an-
 nales non sine magno scelere pretermittendum. Colomannum aiunt ²²⁵
 ibi sepe de civium inconstantia multa secum reputasse, item me-
 moria repetiisse, quantum pre illorum novitate ultro citroque san-
 guinis fuerit effusum, demum id sibi consilium potissimum suc-
 currisse fore quam optimum, si urbem tanti belli causam iniecto
 demum incendio perderet, ut quam longissimis finem malis impo-
 neret. Dum hec animo volveret, ecce divus Nicolaus Iadrensis quon- ²²⁶
 dam episcopus in somnis apparet, truci hunc vultu crinibus corri-
 pit correptumque huc et illuc distrahit, aureis quoque virgis cedit,
 terga miserabiliter inscribit et atrociter interminatur, ne quid mali
 in Iadrenses, qui sub numinis sui tutela vivunt, hoc tempore mo-
 liatur. Rex exacto somno adhuc metu percussus et admodum pul- ²²⁷
 satus membra circumspicit, an vera hec forent insomnia, inspec-
 turus; cuncta veluti vibicibus inscripta ac livida intuetur. Postquam ²²⁸
 severissimi pene consulis iam se virgis cesum esse sensit, ad
 declinandam numinis iracundiam consilium continuo mutat. Iadram
 licet novarum rerum cupidam suis tamen moribus uti permisit.

Cum rex compositis rebus Dalmaticis in Ruthenos aliam ²²⁹
 expeditionem moliretur, quorum adhuc iniurias et acceptam cladem
 nequiverat ulcisci, de Almi fratris adventu, qui, ut Noricos et Vin-

delicos in Colomannum suscicaret vel ut fraternas insidias evitaret, Patavium se contulerat, passim rumor effunditur, quod anno salutis centesimo sexto supra millesimum Ungarorum annales accidisse referunt. Dimissa, quam excogitaverat, expeditione Almus²³⁰ ad se libere ac tutum venire iussit, quem perbenigne susceptum sibi reconciliavit. Paucis post mensibus intercedentibus ultro citroque suspicionibus, quas utrinque perniciosi quidam amici suscitarent, in Poloniam Almus aufugit ibique accitis Sarmatarum et Ungarorum, qui suas partes sectabantur, auxiliis paulo post in Pannoniam reversus est veluti aperto Marte de regno cum fratre decertaturus. Oppidum subito, quod Castrum Ferreum appellant, occupavit.²³¹ Quod ubi regi nunciatum est, ne illi cedere videatur, oppidum obsidet, in sequente die id acerrime oppugnare decernit. Sed Almus huiusce novitatis pertesus humanitate potius quam vi fratrem duxit esse vincendum. Quare postero die, antequam oppugnatio iniretur, solus patefacta porta equo insidens in regia castra properavit et, cum ad tabernaculum venisset, ad fratris continuo pedes procidens genua amplexatur, suam inconstantiam et credulitatem elata voce incusat, veniam et misericordiam precatur; item Ungaris et Polonis, qui ipsum temere secuti fuerant, supplex postulat ignosci. Rex tandem fraterna pietate motus veniam omnibus ultro concessit,²³² auxiliares copias impune dimisit, fratrem in regiam revocavit. Hec plerique ante Venetum bellum gesta fuisse credidere, quibus²³³ ego quoque lubenter adstipulor.

Almus insuper Hierosolimam peregre profectum perhibent reducemque a Colomanno gratissimo vultu receptum ferunt. Qui cum²³⁶ venatione admodum oblectaretur, rex mira indulgentia et liberalitate fraterna studia fovisse dicitur, sagaces, mordicos celeresque canes passim disquisivit, ut illius voluptatibus inserviret. Post hec²³⁷ Almus ad edificia convertit ingenium imprimisque in Demesiensi agro supra Danubii ripam fanum haud modico sumptu construxit. Sed, quod dive Margarete dicavit, dedicationis die eo fratrem invitavit, ne templi dedicatio sine legitima celebritate transigeretur.²³⁸ Aliqui Almus id commentatum aiunt, quo regi facilis insidias tenderet, quod ne satis quidem verisimile esse ducitur; nanque etiam pretermissa summi piaculi ratione in tanto hominum conventu pontificumque collegio patrandi facinoris occasio non dabatur. Ad statutum dicande edis diem rex cum suis advenit; convenere ex pagis oppidisque frequens procerum et sacerdotum numerus. Aliqui ex amicis regem commonefaciunt, ut sibi caveat, ne²⁴¹ Almi fratris insidiis circumveniatur. His continuo rex commotus eum capi et in vincula conici iubet; intercessere mox antistites, optimates ceterique ordines, qui dissensionem fraternam iniquo animo tolerabant. Regem omnes impensius exorarunt, ut Almo²⁴² ignosceret, suspicionibus non facile crederet, que a mutuis suscitarentur inimicis. Horum igitur opera in gratiam rediere fratres, quam²⁴³ iuramento muniri placuit. Almus a rege perbenigne dimissus, cui etiam permissum est, ut in Boconiensi agro pro arbitrio suo venari

liceret. Duo quoque comites dati, qui sub honestande missionis 246
 pretextu semper studio ac diligentia eius animum explorarent ac,
 si quid in regem mali unquam moliretur, cum id exploratum ha-
 berent, continuo nunciarent. Cum ad Chour is venisset et in aucupio 247
 versaretur, emissus accipiter cornicem accepit; hac preda letatus
 ad comitesque conversus, qui subornati potius exploratores quam
 comites poterant appellari, hec incautius locutus est: Nonne cornix 248
 hec, socii, nunc accipitri sponte iuraret se nunquam garrulitate
 vociferationeque sua dominum amplius esse lesuram, si impune
 dimitteretur? Ad hec illi respondere neque accipitrem unquam 249
 cornicem ex iuramento dimissurum nec a cornice iuramentum pre-
 stari posse, cum ratione careat, que homini tantum a natura tri-
 buta est. Ante lucem hec verba longe aliter, ac dixerat, Colomanno 250
 deferunt. Cum in Boconiensem agrum Almus venandi gratia cum
 his venisset, concepta de exploratoribus suspicione clandestina fuga
 se subripuit Pataviumque contendit, ut veluti antea nunc quoque
 Alemanorum auxilium impetraret. Sub eius fugam Nicolaus Colo- 251
 manni filius intempestiva morte corripitur, quod anno salutis cen-
 tesimo ac duodecimo supra millesimum accidisse dicunt. Paulo 252
 ante coniunx expiravit, cuius obitum egerime tulit; uxorem deinde
 alteram duxit Ruthenorum regis filiam, qua parum prospere usus
 est. Nam in adulterio deprehensam repudiavit et, ne qua in eam 253
 sevitia uteretur, hac dumtaxat repudii pena contentus ad parentes
 remisit. Ex adulterio Borichum illa genuit, ex quo alterum Colo- 254
 mannum postea natum fuisse ferunt.

In sequenti anno sub Nicolai mortem inter Colomannum et 255
 Henricum quintum ob Almi causam bellum exarsit. Hic Henricus 256
 illius quarti filius fuit, qui rerum potitus nefario scelere patrem
 usque ad mortem carcere maceravit; Italiam ingressus Romam venit, 257
 ubi, cum benigne ac honorifice fuisset exceptus, paterno ductus
 exemplo Paschalem pontificem maximum ceterosque Romane ec-
 clesie antistites per insidias interceptit eorumque bona militibus
 loco prede concessit. Quo quidem tempore in Emiliano et Flami- 258
 nio agro Idibus Iuniis sanguinem pluisse prodiderunt. Imperator 259
 igitur Almi precibus motus evocatis undique copiis ad Ungarie fi-
 nes venit, ut aut fratrem regi reconciliaret aut inique renitentem
 vi ad concordiam redigeret. Vix Ungarie fines attigerat, cum per 260
 oratores Colomannum ad colloquium invitat significans de publico
 commodo et fraterna concordia se cum eo multa communicaturum
 Ad prestitutum diem Colomannus advenit, ne ab honesta 261
 causa decidere videretur. Premiserat imperatori honorificentissima
 dona, quibus severitatem principis enervaret, ne quid in ipsum
 severius decerneretur. Henricus, cum in colloquium in equo loco 262
 habitum venisset, regem pluribus admonet et hortatur, ut cum
 Almo fratre se mitius agat, ab omni suspicione vendicet animum
 et communium inimicorum artibus hanc discordiam sepe suscita-
 tam fuisse intelligat; neque id eum fugiat, quicumque plus potest, 263
 si quid sibi cum illo, qui humilioris fortune sit, intercedat, quam-

vis ius suum repetat, iniuriam tamen facere reputari; multa pati, 264
dissimulare quoque multa iis opus est, qui ceteris presunt, ne inferioribus videantur iniurii neve seve tyrannidis nota sugillantur; neque miseram hanc ignoret dominantium esse condicionem, ut 265
multa quoque inviti remittere cogantur, ut dignitati sue ac publice deserviant utilitati. Sedato regis animo Almus advocari iubet 266
ac pluribus admonet, ut fratrem maiorem natu ac in regio Fastigo collocatum amet, veneretur et observet, imperata faciat, nihil a fraterna caritate suspicetur alienum, demum ut alter alterius mores dexterrima equanimitate toleret; que quidem omnia, si mutuus 267
amor intercesserit, quando caritas omnia sustinet, facile prestari queunt. Oratione Cesaris uterque castigatus coram reconciliatur. Almus veniam supplex exorat, quam non sine lacrimis Colomannus dare videbatur. Abituro dudum imperatori certatim ab utroque 268
acte gratie et adiecta munera; Almus cum rege in Ungariam se recepit. 269

Continuata aliquamdiu concordia tandem pristina malorum 270
arte simulas et suspicio redintegratur. Nam plerique ex intimis regi 271
suadebant vivo Almo Belaque nepote sibi post mortem Stephani gnati subrogationem sperare non licere, quandoquidem Almus evestigio regiam invasurum asseverabant, quare fraternam ei mortem improbi consulebant. Rex tandem, quamvis de morte nihil 272
audire voluit, de quodam tamen nefario temperamento cogitavit, quo a fraterna cede manus abstineret et Almus cum filio regie dignitatis impotem efficeret. Proinde fratrem ac nepotes accito 273
carnifice occecari iussit; item Bele nepoti, cum adhuc infans esset, testes exeri mandavit, ne qua hinc propago proveniret. At ille, cui 274
patrandum facinus delegatum erat, cum divinam iram ac regni orbitatem reformidaret, exertos catuli testes pro his, qui forent infantis, ad Colomannum tulit pioque commento regis sevitiā elusit. Quin et alios quoque nobiles iusserat excecari, ex quibus Uron, 275
Vacchan et Paulum haud mediocres e nobilitatis ordine viros fuisse legimus. Verum diram eius sevitiā presentaneum est supplicium 276
subsecutum, siquidem effusum innocentie sanguinem divina iustitia diu tolerare non potuit. Nam vix Almus cum filio oculis orbatus 277
in Demesiense cenobium traductus erat, cum rumor exoritur Colomannum repentino morbo fuisse correptum, ingenti capitis dolore vel maxime circa tempora laborare. Medicus illi fuit Latina gente 278
natus, cui Draconi nomen erat ac in ceteris egritudinibus pro explorata fide et experientia nimium confidebat. Hunc in novissimo 279
languore sibi tantum adhibuit remittendi doloris causa. Draco pertinacissimum auribus cataplasma admoverat, quod cum diutius rex pati non posset, tandem excandescens ex aure reglutinavit inspiciendumque Othomaro porrexit. Quod ubi comes ille regius inspexit, 281
cum eductum in eo cerebrum intueretur, evestigio exclamavit: Ad 282
iter mortis tibi ocius accingendum est, domine, quando cataplasma certissimum leti signum ostendit. Proinde, que ad eternam salutem 283
pertinent, imprimis cura, mox regnum dispone ac ede testamentum,

ne nos tecum periclitari videamur. Ad hec ille ingemuit plus humanis quam divinis rebus intentus.

Cum sceleratissimis familiaribus consilium init, quid de Almo 284
fratre et nepote Bela, quem e matris gremio ereptum iusserat ex-
cecari, sit agendum. Horum princeps Marcus Simonis et Achilles 285
Iacobi filius erat. Illud his potissimum visum est, ut Almus cum
filio repente caperetur, ne amicorum auxiliis adiutus regnum inva-
deret. Illa enim cecitas maximam Colomanno invidiam conflat, 286
contra huic gratiam et commiserationem adiecerat. Capiendi Almi
negotium Benedicto Bothi filio delegatur. Rex increbrescente morbo, 287
antequam expiraret, Stephano filio, cui legaverat imperium, ac ce-
teris principibus diligentissime precepit, ut post mortem suam ad-
versus Ruthenos expeditionem continuo susciperent et acceptas a
Roxolanis iniurias ulciscerentur. Quam de se opinionem rex ille 288
posteris dimittere potuit, cum se inultum mori quam egerrime tu-
lerit nihilque ex iniuriis remittendum esse duxerit? Benedictus 289
mandata peragit; cum equitatu modico ad Demesiense cenobium
contendit. Cum equites appropinquare Almus accepisset, se con- 290
festim in edem dive Margarite dicatam iussit inferri et constitui
ad magnam aram, apud quam quotidie cecitatem miseriamque
suam inter supplicandum consolari solebat, ratus se in sacrario
tutissimum futurum; ecce Benedictus circumvento ab equitatu cen- 291
obio in edem irrumpit, constitutum ad aram eamque amplexatum
Almus offendit. Profanus ille nulla religione numinis remoratus 292
cecum corripit correptumque ab ara divellere contendit. Reluctatur
ille ac ita utraque manu are inheserat, ut hinc facile reglutinari
non posset. Dum utrinque obstinatissimis animis agitur, pertina- 293
cissime Almi manus nequaquam prius divelli potuere, quam cutim
digitorum ibi dimiserint aramque promanante sanguine infecerint.
Sacerdotes ab initio percussi, deinde cum indignitate rei tum piaculi 294
gravitate commoti fani postes obluserant, ut profanum carnificem
caperent et a piaculo coercerent. Benedictus contra veritus, ne a 295
sacerdotibus obluderetur, dimisso Almo egredi studet, stricto ense
ianitores adoritur. Qui cum cessissent, ex ede protinus exiit et, 296
ne quis in pagis Almi tumultus suscitaretur, clam per sylvam Pely-
siam aufugit. Ne impune quidem mandatum facinus audere visus 297
est, quandoquidem inter fugiendum equo statim excussus et illiso
mox capite interemptus est. Auxit capitale supplicium canina dis- 298
cerptio, cum ab insequentibus repente canibus veluti a diris ultri-
cibus ita frustillatim dilaniatus fuerit, ut ne minima quidem parti-
cula superfuerit. Quo portento, quod extemplo venit in lucem, 299
Ungarorum animi in commiserationem Almi ac Bele filii usque
adeo suscitati sunt, ut, ni Stephani potentia obstitisset, cecum etiam
regem optassent. Rex post reglutinatum cataplasma tertio die vita 300
excessit. Qui propter rem in Dalmatia adversus Venetos bene ge-
stam haud mediocre sui desiderium reliquisset, si intestine crude-
litate nota carere potuisset. Anno regni sui XXV., mense sexto et
die quinto, salutis vero centesimo quarto decimo supra millesimum.

Corpus Albam advectum et cum honorificentissimo ~~funere~~ in pri- 301
scorum regum monumenta relatum. Sed de Colomanno hactenus.

Ladislai Colomannique temporibus Bratislaus Othonis filius et 302
Corradi frater populata Austria ad Maguntiam habito conventu ab Hen-
rico quarto rex Bohemie primus declaratur ac imperatoris auctori-
tate principumque decreto Bohemie regno Moravia, Polonia, Slesia,
Lusatia est adiecta. Gilbertus Treverorum metropolita Pragam mis- 303
sus, qui regalibus hunc sacris initiaret et insignibus. Suetana quo-
que uxor cum eo coronata. Huic Corradus frater successit, qui sex 304
mensibus regno potitus, morte deinde correptus quinis ex fratre
nepotibus cessit, qui ex ordine successere. Ex his duo ab Ursoni- 305
censibus, qui regum semper hostes fuere, dolo intercepti obiere,
ultimus autem, qui Bladislaus dictus est, CCC Henrico quinto
Romam profecturo equites dedit, qui plurimas sanctorum reliquias
hinc Pragam retulerunt. Sed Bohemorum annales post Bratislaum 306
primum regem aliquamdiu interregnum fuisse, Corradum et Bra-
tislai filios non regis, sed ducis tantum nomine usos esse prodide-
runt. Bladislaum quinto loco a Bratislao natum a Frederico primo 307
cum universa posteritate regali dignitate fuisse donatum, quin et ob
navatam egregiam in Mediolanensi expugnatione operam pro insi-
gnibus albo clypeo ac leone rubro bifurcata cauda ab imperatore
honestatum ferunt. Insuper candelabrum Salomonis Mediolano ab- 308
latum hunc Pragam in Viti edem transtulisse memorant.

LIBER VI.

Secundum Colomanni regis obitum filius Stephanus optima- 1
tum consensu rite patri suffectus est, qui nondum ephebis exces-
serat. Omnia regis insignia ex more consequitur et in manus eius 2
principes ac populi cum universa nobilitate iurarunt se legitima
nunquam detrectaturos obsequia. Cum impos adhuc per etatem gu- 3
bernationis esset, omnia ex antistitum procerumque consulto gere-
bat, nihil insolentius audere poterat, quando ab optimatibus spec-
tate virtutis et prudentie coercebatur. Quo quidem temperamento 4
res Ungarica prospere gerebatur. Octo pene annis alieno ductu et
auspiciis regnum gubernavit, deinde inita tempestive virtutis etate
se in libertatem asseruit pro libidine sua cuncta gesturus, cum sibi
nimium arrogaret. Nam asperitate ac superbia, item ferocia et cru- 5
delitate nequaquam patri cedere; audire parum aliis, qui fide con-
sulerent, proinde non mediocriter cunctis formidolosus videri. Cum 6
belli potius quam otii studiis teneretur Dalmatiamque a Venetis
non modo clandestinis quotidie artibus, sed aperta sepe vi pira-
tica vexari cognosceret, ex paterno instituto defensandam esse de-
crevit. Quare nono regni sui anno in provinciam contendit, ubi 7
vulgo honorificentissime receptus provincialium fidem redintegrait.
Nutantes plerosque pre Venetorum largitionibus et promissis ani- 8
mos confirmavit; presidia accepto ex Ungaria supplemento in- 9
stauravit oppidatim, mox curata provincia in Pannoniam se recepit.

Quare ne satis quidem vere hi de rebus Venetis scripsisse visi sunt, qui a Dominico Michaelē e Syria redeunte receptam Iadram cum potissimis Dalmatie civitatibus tradiderunt, cum hanc a Vitale Michaelē, qui aliquot post annis ducatum obiit, ex Venetorum etiam annalibus receptam fuisse constet nec aliquod bellum memoratu dignum, cum Stephanus rex provinciam visit, tunc gestum fuisse apud Ungaricam historiam inveniatur.

Postquam in Ungariam reversus est, in Polonos exercitum misit, qui et sibi et patri sepe iniurii fuerant neque fines incursionibus et rapinis tutos servarant, sed latrocinii et incendiis sepe violarant. Inductus miles longe lateque grassatur, cuncta igni ferroque vastat, abacta ingenti preda domum redit. Mox in Bohemos bellum molitur, quorum regnum, ut paulo supra relatum est, in ducatum iterum reciderat, cum Bratislai primi regis successores ab eo fortasse longe degenerassent. Optimates contra id haud temere sumendum censuere, quare Bohemorum ducem ad colloquium invitandum esse iudicarunt, ut in presentia ultro citroque suspiciones et calumnias expurgarent rati verborum multo melius quam telorum velitatione rem componi. Quod cum Bohemorum duci significatum esset, placuit quoque sententia et invitatus ad prestitutum diem cito affuit ad Orsanam amnem utriusque confinia determinantem. Bohemum quidam Ungarus sequebatur atrocissime cuiusque discordie ac seditionis artifex et pre facinorum gravitate in Bohemiam relegatus, quem Soltham nominabant. Hic tempus discordiarum nactus idoneum pre maxima ingenii iniquitate, veluti ad seditionem humanam tantum natus esset, occasionem hanc communis exitii temere pretermittendam minime censuit. Proinde ad regem clandestine hec scribit: Fidelitatem in maiestatem tuam, ad cuius obsequium me natura genuit, quamvis exul et relegatus tamen dissimulare non possum. De Bohemis hec accipio: Cum te inermem cum tuis ad colloquium venire senserint, te continuo armis circumventuros capturosque esse scito. Quare, ni caveris, interceptieris. Contra ducem admonet Bratislai filium, de quo supra diximus, ne inermem ad colloquium ducat exercitum neque ipse regem inermis adeat, quando sat ipse compertum habet regem malo dolo non carere, moliri insidias et sagittariorum manus imprimis premissurum. Proinde rogat, diligentissime sibi caveat. Bohemi repentino ducis edicto arma capiunt, quod eo lubentius faciunt, quando genus est hominum ultro ad bellum natum. Interea Soltha regem clam edocet, ut sagittariorum ac levis armature cohortem ad Bohemica castra premittat, que eorum adventum interceptiat. Monitis rex facile credens cohortes aliquas premisit. Contra Bohemi, cum e castris Ungarorum iam cohortes educi ac sibi appropinquare vident, verissima fuisse Solthe dicta rati in eas continuo impetum faciunt, que, cum maxima ex parte Bessorum ac Scythulorum forent, facile terga vertere ac in fugam effuse ad regia castra festinabant. Rex inconsultis amicis ac optimatibus prospecta suorum fuga ipse quoque consensu equo fugam rapit. Id ipsum

ceteri facere cogebantur, partim quia inermes erant, partim etiam, quia his, qui arma attulerant, in tanto tumultu et trepidatione, cum Bohemus hostili animo adventare diceretur, armandi tempus non dabatur. Quod, si regie voluntatis conscii fuissent, his aliquo modo 26 periculis prospexissent. Tumultuarie pugne omnes ignari, quid facerent, nesciebant; ex quo palantes in Ungariam se recipere cogebantur. Extemplo Bohemi castra regis invadunt, diffringunt carrorum 27 septa, passim impedimenta ac cetera alia diripiunt. Dum hec 28 ita geruntur, ecce lanus Brose filius et Palatinus comes, qui procul a rege metati, prospecta suorum fuga et populatione castrorum continuo arma capiunt instructaque acie cum munitissimo cataphractorum 29 equitatu Bohemos in castris adoriuntur. Difficili aliquamdiu prelio dimicatum; tandem Bohemi terga dare coacti insigni clade affecti sunt. Nondum ab hoste pedem retulerant, cum per cursores 30 desperate ac insignis victoriae regem fugientem et ignarum admonent, qui fausto nuncio recreatus deo gratias egit et confestim in castra se recepit, ubi lani ac Palatini virtutem mirifice laudavit neque hos indonatos ob rem bene gestam pro dignitate dimisit. Unum 31 vehementer indoluit, quod Soltham tanti mali auctorem aut capere aut interficere nequiverit, quippe qui facinoris huiusce conscius, cum apud neutrum tutus esse posset, latebras et effugiendi facultatem haud secus ac ceteros dolos excogitavit.

Deinde de optanda regis uxore inter optimates agi ceptum est, 32 cum celibatum suum intemperatissime duceret et ita muliebri impudicitie videretur obnoxius, ut non modo gravem infamiam, verum etiam ex tentata matronarum pudicitia magnam admodum invidiam sibi conflaverit. Accedebat regie stirpis ratio, que si ad orbitatem 33 redigeretur, de regni excidio haud parum addubitandum esset. Quare cum precibus tum publici periculi ratione eum ad uxorem 34 ducendam impulerunt. Roberti Guiscardi filiam, qui in Apulia et 35 Sicilia late dominabatur, non solum genere Normannorum et forma, sed muliebri quaque maxima virtute prestantem ei desponsarunt honorificentissimasque paulo post nuptias celebrarunt.

Post hec in Ruthenos bellum exoritur. Dux enim eorum, cui 36 Bezen nomen erat, ad Stephanum confugit ac se dominatu suo a fratre, unde minime decuit, eiectum queritur. Regiam igitur clementiam 37 exorat, que illius plage moderatrix esse deberet, ut missis in ducatum auxiliis restituat, et pro referenda gratia fidelissimum ac perpetuum obsequium pollicetur. Rex autem non tam ducis 38 huiusce gratia quam ulciscende paterne iniurie cupiditate auxiliares copias, item ductum auspiciamque sua promittit. Itaque statim habito 39 delectu cogit exercitum; quecumque bello sunt usui, omnia diligentissime parat. At, ubi motis castris in Roxaniam perventum est, 40 potissimum regionis oppidum obsidet; ne quid inferri efferrive posset, summo studio curat, quare machinas parat ingentes. Bezen, 41 de cuius restitutione agebatur, studio longe maiore necessaria cuncta disquirat. Dum illucescente die menia lustrat, ut exploratis oppidanorum 42 munitionibus idoneum expugnandi locum inveniat, ecce con-

timor ex oppido in Ungarorum stationes hostis erumpit atque exactum hinc ducem imprimis offendit. Bezen, dum eius impetum 43
 coercere contendit, ipse cum non parva suorum manu multis vulneribus afficitur. Audito letali ducis vulnere mortem eius rex ad- 44
 modum timens mox in iras exarsit et amici casum affectat ulcisci. Itaque oppidum acerrime iubet oppugnari, cunctis Ungarorum or- 45
 dinibus edicit, ut ita cum oppidanis pugnam ineant, ut eo die aut se oppido potiri aut ad unum omnes mori decernant. Principes 46
 evestigio inter se consultant dicuntque oppidi expugnationem Ungarorum nemini commodo futuram, quando non pro Ungarorum imperio, sed pro Rutheni ducis restitutione pugnatur; neque sat 47
 bene communi saluti consultum iri, si pro alienigene utilitate cruentissimo prelio dimicetur; bellum hoc inconsultis optimatibus in- 48
 itum, pars maxima obstinatissimam oppugnationem delectandam censet. At, ubi ad regem soluto concilio omnes convenere, cum 49
 pars timore, ceteri publica utilitate ducerentur, dissensio ante principem manifesta detegitur. Cum diversa hominum studia detege- 49
 rentur, unus e proceribus, cui Cozme nomen erat, e nobilissimo Paznani genere natus his verbis litem repente diremit. Quidnam, 50
 inquit, Stephane, nunc facere pergis, si cum maxima tuorum cede oppidum expugnare contendis? Ad postremum potitus nullo Ungarorum super- 51
 stite quem huic prefeceris? Nimirum neminem e tuis. Quod, si tu perdita hic Ungaria et posthabito regno hunc 51
 tantum ducatum affectas, nos profecto pro exitio publico et destituendo regno non pugnabimus, sed continuatis itineribus in regnum redibimus ibique, postquam a te deserimur, alium nobis regem optabimus. Huius verba aeneatores tubarum clangore inter- 52
 pellarunt, qui ex composito dato signo solutis in Ungariam castris omnes redire iubebant. Quare Stephanus mentem obstinatam mutare 53
 coactus, ne prorsus a suis destitueretur, in Ungariam reversus est.

Nondum tris annos domi requievit, cum exacto mox otio im- 54
 missis legionum prefectis et legatis Poloniam haud ignobilem Sarmatiae partem hostiliter invadit, terrore ac tumultu complet universam et in pagos et oppida abiecta materia constructa ferro ignique grassatur. Infestandos usquequaque finitimos reputavit, ut metu 55
 potius quam amore et iniuriis magis quam officiis a bello coereret. Deinde, ne quid relinqueret inultum, inferiorem Mysiam, 56
 quam Bulgariam nunc appellant, et universam fere Macedoniam cum superiore Mysia pretorianas cohortes et veteranas legiones truci bello infestavit ac devastatis regionibus in Thraciam et Greciam castra movit. Huius belli causam hanc referunt: Pyrisca divi La- 57
 dislai filia Constantinopolitano imperatori olim nuptui tradita, quem Emanuele fuisse plerique volunt, cum in sermonem regis Ungarie cum viro incidisset, eum aiunt Stephanum dirum et imitem ap- 58
 pellassee, contradicentem aliquanto obstinatius uxorem graviter pul- 59
 sasse, hanc ira percitam omnia rite significasse nepoti. Que cum 59
 is egerrime tulisset, nefandam amici iniuriam non verbis, verum et armis ulciscendam esse statuit. Maximum in Pannoniis delectum

habuit, quin et auxiliares copias a Gallis et Normannis ob affini-
 tatem cum ea gente contractam haud ignobiles assecutus est. Nam 60
 septingentos cataphractos equites Rogerium Apulie Sicilieque re-
 gem misisse perhibent, quorum viribus et ingenio Mysos, Thraces
 et Macedonas atrociter infestavit, obvia queque diripuit, oppida
 nonnulla vi capta subvertit. Imperatorem in occursum adhuc ne- 61
 quaquam prodeuntem quotidianis his conviciis provocavit, quod
 neque augusto neque regio, sed aniculario tantum nomine dignus
 esset, quando anicularum more situ obsitus in sordido semper
 otio versaretur, neque imperatoriam virtutem foris ostenderet, qua
 aliquid laude dignum posteritati commendaret. Formidolosus igitur 62
 usque adeo apud Grecos Mysosque est habitus, ut ad mentionem
 Stephani regis vagientes pervicacius infantes pre formidine conti-
 cescerent. Hec autem ubi Grecorum principi relata sunt, Hoc, in- 63
 quit, anno, quando is me aniculam appellat, Ungarie regi ad um-
 blicum usque virilia abscindam, ut se potius quam me eviratum
 intelligat. Itaque delectu habito exercitum illico comparavit et con- 64
 tractis undique auxiliis ita castra compleverat, ut Pannonias usque-
 quaque vexare confideret. Primum iter in Haram fecerat proximam 65
 Ungarie partem, ubi, cum omnia igni ferroque miscerentur, nequa-
 quam Ungari obstitere. Navale in Danubio prelium ab initio com- 66
 missum, ubi, cum immisso sulphureo igni rudes Pannonum bire-
 men sic absumerentur, ut in mediis undis Argiva arte conflagra-
 rent, infeliciter pugnatum est. Classis magna ex parte obruta, in- 67
 censave; qui in fluminis ripa dimicabant, classis exemplo conces-
 sere, terga continuo dedere et ad proxima sese castella receperunt.
 Postquam Stephanus cum Grecis navali bello male pugnatum esse 68
 sensit, quos nautice discipline suapte natura magistros esse noverat,
 nihil hac fortune iniquitate concessit neque mirabatur navali bello
 eos facile fore superiores, utpote qui assidua navigatione exercitati
 plus maritimo quam terrestri bello valerent; quare terra dimicandum
 censuit. Omnes regni vires, qua potuit, celeritate cogit, quas in 69
 Greciam converteret. Huic bello quandam prefecit, cui Stephel no-
 men erat, consilio ac prudentia prestantem. Cum hic ad Carason 70
 amnem versus Boron castra movisset, hostiles copias invenit Thra-
 cum ac Macedonum phalangibus completas. Collatis ad tenuissi- 71
 mum amnem castris signa quoque cum manu non conferre igna-
 vum et turpe utrique visum, quandoquidem periclitande virtutis
 causa illuc Grecia Pannoniaque convenerat. In ito igitur roboris 72
 utriusque periculo pari spe equa utrinque fortuna diu pugnatum;
 hinc Ungari illinc Greci sepe prepollere visi sunt. Si in dextro 73
 vincere, in sinistro cedere utrique putabantur; ultero citroque ceci-
 dere multi et ad extremum nutante Marte a triariis prelium redin-
 tegratur. Greci, qui numero plus posse videbantur ac viribus nequa- 74
 quam inferiores, in ultimis angustiis phalanges ceteraque subsidia
 duplicare, recentia quoque auxilia submittere, que ex Asia nuper
 evocarant, nihil etiam premittere, que novissimi laboris esse so-
 lent. Ungari longo bello defatigati, cum triariorum supplemento 75

carerent, defectis animis inclinari ocepere, contra obnixius instare alii. Paulo post confusis ordinibus terga dedere et in fugam effusi 76 ita in suam cladem insequentium animos invitarunt, ut misere passim cederentur. E tanta multitudine pauci evasere, ceteri partim 77 capti, partim desiderati. Raram Ungari consimilem sibi cladem accidisse memorant. Carasus autem fluvius, qui inter utraque castra fluebât, cruento torrente adauctus huiusce cladis testimonium exhibuit, quem cadaverum congerie redundantem velut aggere remoratum dicunt et congesta quandoque corpora pontem prestitisse affirmant. E 79 proceribus eo prelio occubuere multi, quorum primum Cizum comitem referunt. Ceterum post, ubi satis superque est utrinque sevitum, per internuncios de pace agi ceptum est; utrinque in colloquium coire ex composito placuit. In Istri insulam convenere, que oppido proxima, quod Boronchum appellant; utrinque principes pro arbitris affuere. Obiecta utrinque multa et confutata pariter expurgatis animis et damnata satis utrinque discordia ultro pacem ineunt percussoque perpetuo federe solutis castris in patriam quisque suam redeunt.

Stephanum regem ita furori ac iracundie obnoxium tradunt, 83 ut furiis agitated nullum dire crudelitatis genus omitteret. Christianam mulierem ob minimam noxam incendio damnavit; multos equino excremento infossos adussit; plerosque adactis per obscena facibus aut ardentissima cereorum destillatione deiecta immaniter cruciavit. Ducem Almun, qui patruus erat, miserabili 85 cecitate confectum impotem sceleris ac nullius fere mali conscium relegavit in Thraciam. Quo cum venisset, ab imperatore honorifice exceptus est et Constantinus cognominatus, cum singulari constantia propriam miseriam tolerare videretur. Quin etiam pagis 87 ac oppidis in Macedonia ab eo donatus est, ubi Constantinam civitatem ex cognomento nominatam edificavit, quam confugientibus Ungaris aut amicitie gratia aut tyranni metu plane compleverat. Ibi quoque vita defunctum fuisse accepimus, cuius obitum cum 88 Stephanus audivisset, patrum ceci fatum tandem miseratus Fulbertum antistitem in Macedoniam extemplo misit, qui defuncti corpus in Ungariam referret. Quod ubi Albam relatam est, honorifice iusta 89 persolvit. Quam enim ex relegatione impia sibi conflat, invidiam ex honore sepulture abolere voluit.

Bela quoque filius pari cecitate affectus a quibusdam principibus in Pannoniam clam reductus est et declinande regie crudelitatis causa in occulto ac tuto semper asservatus, ne regno maxima orbitate laboranti legitimus heres deesse videretur. Postremo, cum regem liberis carere conspicarentur ipsumque iam prolem omnino desperasse intuerentur, inito proceres consilio rem Stephano patefaciunt Belam patrualem adhuc vivere et in Ungaria esse confitentur. Quem cum ille ex cecitate mortuum olim credidisset, ex insperato in maximam letitiam effunditur, ad se continuo adduci iubet. Quem cum sola dumtaxat cecitate dehonestatum 93 intueretur alioquin aspectu venerandum, re verboque gravissimum et ad gerenda queque maxima accommodatissimum, collacrimasse

ac diu fratrem amplexatum fuisse memorant, item adoptasse in filium ac in presentia recepisse se pro resarcienda patris inclementia ad extremum Bele regnum legaturum. Paulum episcopum⁹⁴ et Othomarum comitem, quorum opera Bela servatus fuerat, primos rem patefecisse dicunt. Veteribus inimicitiis ac suspicionibus extinctis non solum dignitate, verum etiam honestissima affinitate exornandum hominem subito censuit, ut, quem pro filio adoptasset, ei paterne pietatis officia solveret. Imprimis, ne ad orbitatem ac regie stirpis interitum redigeretur Ungaria, ad Uron augustalem comitem ac Macedonia provinciam cum perpetuo imperio retinentem scribit, si sue voluntas eius accesserit, se nimium appetere, ut initam cum ipso amicitiam affinitatis vinculo artius obstringat; et huiusce rei gratia se pro Bele filii uxore gnatam exposcere, cui Helene nomen erat, ut ex antiquo utriusque genere imperio digna proles edatur; Scythas et Macedonas pari virtute ac magnanimitate fuisse semper. Excellentem filie condicionem Uros⁹⁸ accepit haud inscius secundum Stephani regis obitum eam Pannonie reginam prebrevis futuram. Neque generi cecitatem aspernatus⁹⁹ est, cuius patrem Almus ac regiam viri probitatem in Macedonia olim optime noverat, quocum familiarissima sibi diu consuetudo intercesserat. Nuptie paulo post honorificentissime celebrate. Ex¹⁰⁰ hoc fausto coniugio Geysa secundus natus est, qui magno gaudio regem affecerat. Belam in Tolna esse iusserat, qui ut honorifice¹⁰¹ cum uxore viveret, regale stipendium decrevit nimiumque dilexit, quando legitimum successorem se repperisse intelligebat.

Ante compertum Belam, cum liberis careret, Saulem e Sophia¹⁰² sorore nepotem post mortem publico decreto futurum regem declaravit et in id omnes antistites proceresque regni iurare adacti sunt. Cum autem Agrie gravi morbo correptus esset et iam de morte¹⁰³ dubitaretur, Borsus comes et Ivan spe vana allecti suffragantibus coniuratis reges ambo declarati. Mox convalescente rege ad supplicium extremum postulati; capitales Ivan penas exolvit, Borsus in Greciam relegatus est. Regia posteris perpetuo interdicta, in qua¹⁰⁵ quicumque deprehenderentur, pro capitalibus haberentur vel haud aliter, ac si aris et penetibus ignem iniecissent, perpetua hac infamia sugillata familia. Hinc autem patefaciendi Bele causa orta¹⁰⁶ est, cum in optando successore quam sollicitissimum regem intelligerent. Patefactus ergo Bela sollicitudinem hanc ardentissimam¹⁰⁷ ademit in pristinamque hilaritatem regem restituit. Sed paucos¹⁰⁸ cum Bela annos sibi vivere contigit, quando mors intempestiva improvisum gaudium interceptit; dysenteria nanque correptus indomita iam de salute omnino desperare ceperat. Cum anceps ac dubia¹⁰⁹ vita sua videretur, Ungari Chunorum insolentia diu oppressi in eos seivere ceperant. Qui regis indulgentia usque adeo elati fuerant,¹¹⁰ ut in patrando quoque maximo scelere nil pensi haberent, impune contumeliis et rapinis Ungaros passim afficerent. Tatar dux Chunorum fuerat in causa, qui ob bene navalam operam in bello Gre-¹¹¹corum, unde solus cum paucis evaserat, tantum gratie apud regem

sibi comparavit, ut nemini magis ille crederet. Item ob huius fidelitatem tantum ceteris Chunis indulgebat, ut pro libidine sua omne intemperantie ac turpitudinis genus impune patrent. Desperata igitur salute regis ii ab Ungaris male tractari et superiorum rapinarum penas expendere occepere; hinc orta seditione ex Chunis multi cecidere. Tatar audita clade suorum regem aliquantis perconvalescentem adit, de immerita Chunorum cede queritur et vociferatur. At ille quamvis morbo iam absumptus ad Chunorum tamen lamenta, quos plus equo diligebat, ingemuit pollicitus, quando convalere iam ceperit, se pro singulis Chunis denos Ungaros capitali supplicio multaturum. Quin et eos omnes bene de salute sua sperare iussit et in asseverationis ac benivolentie signum dextram porrexit, quam Chuni certatim apprensarum religiosissime deosculantes et tanto agmine facto ad dextre oscula corruiere, ut immodice iacentem depresserint attriverintque. Qua quidem pressura usque adeo defatigatus est, ut redintegrato profluvio ventris paulo post vita decesserit anno regni sui decimo octavo, salutis vero centesimo trigesimo primo supra millesimum. In morte monachalem sibi habitum optavit in penitentie signum. Corpus ex Agria Varadinum translatum est ibique honorificentissimis exequiis honestatum ac reconditum. Eius mortem sedente Honorio secundo pontifice maximo et circa Lotharii secundi imperatoris initium accidisse putant.

Regnante Stephano Boemundus Antiochie princeps, qui cum Alexio imperatore Constantinopolitano bellum gesserat, humanis excessit. Boemundum filium e Constantia Philippi Francorum regis filia natum et Tancredi nepotis cure commissum Antiochie dominatui ex testamento prefecit. Henricus quartus cum Paschale pontifice maximo ac populo Romano bellum gessit. Quia a pontifice in Germania sacram pragmaticam usurpare contendens extorquere non poterat, demum capto pontifice ac ceteris cardinalibus sacram potestatem veluti ab invitis extorsit. Pisani quoquo his temporibus a pontifice exorati in Sarracenos claram expeditionem susceperere impositaque classi, quam nuperrime compararant, universa iuventute ad Volaterrana vada convenere, ubi dum tempestivam navigationem expectant, Lucenses destitutam defensoribus urbem invasere. Sed Florentini Pisanorum precibus impulsus reiectis Lucanis civitatem his incolumem conservarunt, quare Pisani Balearibus insulis potiti, unde Sarracenos exegerant, abducta maxima preda reversi sunt. Duas columnas illinc aectas porphyritici marmoris ob servatam patriam Florentinis dono dedere, que ad Ioannis divi fanum adhuc constitute spectantur. Paulo post habito frequenti ad Lateranensem basilicam conventu pragmatice Henrico vi data potestas revocatur. Quo quidem tempore Matildis senio confecta, cum Romane ecclesie, quicquid agri Pisani sanctumque Cyricum et Alpes mareque interiacet Ceperanum usque, ex testamento legavit, cuius matrone magnificentiam, probitatem et sapientiam nulla secula conticescent. Alius deinde conventus in Cisalpina Gallia Guardastalli est habitus, quo urbes Emilie Placentia, Parma, Regium, Mantua et Bononia dicioni

Ravennatis metropolite, quia diu Romane ecclesie rebellis fuerat, publico decreto abalienate sunt. Item persistente adhuc in Italia Henrico et pontificis partes persequente Gelasius pontifex maximus, qui Paschali successit, in Gallias refugit ibique extremum diem obiit. Hierosolymis autem post mortem Balduini primi secundus Balduinus regnum inivit, qui Gaium Persarum regem prelio victum interemit et Damascenorum Ascalonitarumque regem prostravit. Calistus Gelasio subrogatus ab Henrico pacem accepit atque imperator ecclesie reconciliatus rediit in Germaniam. Eadem tempestate ignis immensus in Orientali plaga circa Auroram per sex horas flammam emisit, quoad ex Occasu turbo promanans copioso imbre illam extinxit. Insuper deficientibus quotidie in Palestina Christianis, qui illuc ex Europa transmiserant, Balduinus multos Christi fideles e Transiordana regione ad incolendam Hierosolymam evocavit, quos quidem omnes civitate donavit. Et tunc etiam Tyrum florentissimam Phenicie urbem Christiani occuparunt. Insecuta quoque hiems severissima, qua non modo exuste fruges, unde miserabilis fames exorta, sed multi etiam homines cum pecoribus pariter absumpti sunt. Et Tyrum cum ingenti strage populi terremotus pene subvertit. Sed illud in Gelasii creatione potissimum referunt annales patriciam Fraiepanum familiam iuxta viris ac opibus potentem, cum assequi nequiverint, ut e suis pontifex crearetur, facto agmine refractis postibus ad Lateranum in conclave penetrasse, variis novum pontificem cum cardinalibus iniuriis affecisse, Cincium familie principem raptum pontificem humi calcibus contrivisse, mox vinctum transulisse domum; Romanos id egre ferentes elato tumultu e Cincii manibus pontificem asseruisse sollemnique pompa in Lateranum restituisse, sed eum Henrici imperatoris adventu Tiberi delapsam Teutonumque sagittis inde petitum demum Caietam effugisse; Mauricium Bracharensem metropolitam ab imperatore in urbe antipapam constitutum et Fraiepanum auxilio fretum post imperatoris abitum pontificium munus aperte gessisse; Gelasium Guilielmi Apulie ducis et Roberti Capue principis, item Ricardi Aquilani presidiis adiutum in urbem rediisse, deinde in ede Praxedis inter sacrificandum irrumpentibus Fraiepanibus vix amicorum evasisse ope; mox orta in urbe seditione Ostiensi via aufugisse in Galliam ibique in Cumacensi cenobio pro dignitate exceptum paulo post humanis excessisse ferunt. Paulo ante Alexio imperatori Caloioannes filius rite successit. Pater Venetorum classe adiutus cum Normannis in Apulia et Sicilia dominantibus bellum gessit, sed, cum parum prospere in Epiro et Dalmatia sibi res succederet, cum his pacem inivit. De rebus externis hactenus.

Nunc tempus postulat, ut ad res Ungaricas redeamus et de Stephani successore videamus, quando satis superque divagati sumus. Quemadmodum Stephanus vulgo sepe predixerat, ita Belam cecum patrualem suum ex testamento regem declaravit. Nam apertis testamenti tabulis preter regni successionem ex dodrante heres legitur; quicquid supererat ex legato, partim sacris edibus et paupe-

ribus distribuitur.

Ungari intellecta Bele probitate ac sapientia ne minus quidem ¹⁴⁵
 cecum quam oculatum amabant, nuncupatis votis hunc optabant et
 in comitiis regalibus omnibus suffragiis, prout Stephanus rex optarat,
 regem pronunciarunt. Nescio, quid popularis aure commiseratio ce- ¹⁴⁶
 citatis et paterne calamitatis addebat; optimum principem futurum
 quisque augurabatur, nam multo plus animo a divina benignitate
 datum esse iudicabant omnes, quam a fortuna corpori fuerit ad-
 emptum. Orbitate nanque illa oculorum ita se ipse collegerat, ut in ¹⁴⁷
 consultando ac deliberando semper versaretur. Varias ad rationis ¹⁴⁸
 tribunal sententias citare videbatur et illius imperio intentus ma-
 tura responsa decretaque haud aliter ac oracula expectabat. In ¹⁴⁹
 consultatione quaque gravissima deum patronum consiliarium ac iudi-
 cem invocabat, ne quid inconsultum, ne quid a divina et humana
 pietate ageret alienum, quare illud Davidicum in proverbium eius
 usurpatum: Dominus solvit compeditos, dominus illuminat cecos;
 item et illud: Factus est dominus protector eius et deduxit eum
 in multitudinem misericordie sue, de fructu ventris sui posuit supra
 sedem suam.

Hic enim ex Helena Uri Macedonis filia liberos quattuor tulit ¹⁵⁰
 elegantissime indolis; primus Geysa, secundus Ladislaus, Step-
 hanus tertius et quartus Almus vocatus est. Rerum igitur potitus mira ¹⁵¹
 sapientia cuncta disponere, edicta in sicarios et latrones gravissima
 promulgare, conciliare principum animos et equa in omnes iustitia
 et benignitate uti. Item nihil antiquius habere, quam obliterare ve- ¹⁵²
 teres contumelias, pacare regnum, iniurias ac vim passim inhibere
 cultumque divinum studiosissime servare; ita demum pueros edu-
 care, ut non minus sibi quam regno cari viderentur. Illud in eius ¹⁵³
 ore sepe versatum hominem multo plus pro leva quam dextera for-
 tuna debere deo, quando altera insolentem et iniuriam, contra
 vero sapientem et fortem altera facit. Neminem alloquentem au- ¹⁵⁴
 diebat, quin eum statim ex verbis expenderet. Mos illi fuit admi-
 rari nihil, utranque fortunam magna equanimitate tolerare. Se ex ¹⁵⁵
 assidua malorum serie, in quibus et natus et altus erat, iam diu
 didicisse noscere se ipsum et omnia perpeti sepius affirmabat. Illud ¹⁵⁶
 sepiissime dicere solebat: Disce pati et humana contemnere, item
 neminem scire frui bonis, qui nunquam mala subiverit. Impatien- ¹⁵⁷
 tibus et superbis modo suam modo etiam patris fortunam obiicie-
 bat, qua quidem commemoratione in effeminate levitatis et intem-
 perantie ruborem eos adducebat. Item re ac verbo gravis. Deus ¹⁵⁸
 adversus inimicos felicem reddidit, quos tot calamitatibus ac probris
 affecit, ut in hodiernum usque diem in ludibrium gentium perdurarint.

Pre iustitia et probitate sua pulchra liberorum fecunditate cla- ¹⁵⁹
 ruit, ut diximus, qua freti Ungari regine verbis accensi cumulatis-
 sima de inimicis supplicia sumpsere. Dicunt enim ad Arad op- ¹⁶⁰
 pidum regis edicto frequentissimum conventum fuisse coactum, ubi
 presidente Bela cum regina ac liberis hec verba Helenam fecisse
 ferunt: Dicite, queso, viri fideles proceresque magnanimi, cum ocu- ¹⁶¹

los nature beneficio omnes assequamur, quorum ductu in hac ope-
 rosa mortalium vita ducimur, cur Belam regem cecum intuemur,
 quem ceteris oculatiorem circumspectioremque esse oporteret? Quo- 162
 rum hoc tantum facinus consilio et audacia factum sit, in hoc ce-
 leberrimo conventu nunc, agite, vos oro, dicite et ingens hoc ape-
 rite piaculum, ab auctoribus tanti sceleris penas hic exigite, ne quis
 posthac in sacrosanctos principes manum iniicere audeat. Quan- 163
 quam divina benignitate pro duobus oculis quattuor liberi ad res-
 sarcendam orbitatem dati sunt, quos hic pre oculis habetis, infan-
 dum tamen facinus haudquaquam est impune dimittendum, ut par-
 cere regibus, qui pro diis habendi sunt, hoc exemplo discat uni-
 versa posteritas. Facinorose igitur audacie nunc finem imponite.
 Ad hec ocius dicto in contione tumultus ingens suscitatur, scele- 164
 ris auctores vulgo ad supplicium exposcuntur; quicumque ibi de-
 prehensi sunt, presentanea capitis pena multantur. Nonnulli pre libi- 165
 dine ulciscendi vesaniente multitudine in frustra dissecti, multi in
 gemonias unco tracti; octo ac sexaginta cesi. In eos, qui non gra- 166
 viter errarunt, aliquanto mitius actum; ex iis nonnulli in vincula
 coniecti, ut perpetuo carcere macerarentur, ceteri longe relegati,
 liberi, uxores, necessarii, cognationes omnes in exilium exacte;
 proscriptorum bona basilicatum distributa. Vindictam hanc Bela per 167
 se egre tulit, sed furorem accense multitudinis coercere non potuit.
 Sepe Helene verba in contione interpellavit, damnavit uxoris ira-
 cundiam. Immodice vindictam appetere muliebris potius quam viri- 168
 lis ingenii esse affirmavit, tamen, ne quid simile filiis accideret,
 sevitiā toleravit.

Hinc Ruthenorum Polonorumque bellum exarsit. Nam, post- 169
 quam sese Ungari desidente furore collegerunt, damnata crudelitate
 immodicaque ultione fluctuantissimum genus hominum ac novitatis
 avidissimum, cum exulum precibus et commiseratione subduce-
 rentur, nova moliri occepere. Accedebant Leviathanis filii, qui ma- 170
 gnam factionem sane conflaverant. Borichum adulterinum Colomanni
 filium, veluti supra diximus, quotidie litteris ad invadendum regnum
 hortabantur, pollicebantur auxilia et quecunque bello usui forent,
 quando legitimum Colomanni filium esse credebant. Borichus sat 171
 his persuasus Ruthenorum principum opem implorat, undecunque
 potest, copias cogit et, cum Ruthenorum vires ad Ungariam ad-
 oriendam nequaquam satis viderentur, Polonorum auxilia contra-
 hit. Motis castris iam Ungarie appropinquabat et ei quam maxime 172
 fluvio, quem Seon appellant. Ne rex quidem in tanto periculo cunc- 173
 tandum esse censuit, delectum quamprimum habuit ac tantum co-
 piarum sibi comparavit, quantum ad coercendum hostem et depri-
 mendam factionem duceret esse satis. Nutabant proceres et ii qui- 174
 dem haud pauci, quando novitatis cupidissimi sunt. Quare, ante- 175
 quam in Borichum castra moveret, conventum habuit, ubi princi-
 pes omnis rite percontatus est, ane Borichum legitimum Colomanni
 filium an ex adulterio natum pro explorato haberent. Ad hec opti- 176
 mates, qui de regno bene sentiebant, respondere diu se hoc com-

pertum habuisse Borichum adulterinum esse filium ac nunquam
 ex Colomanno rege genitum neque ullo modo corona dignum. Mus- 177
 sitare ad hec plerique factionis principes ac dicere Borichum e
 legitimo matrimonio natum, Ruthenam Colomanni coniugem falso
 regi delatam et preter fas et equum adulterii infamia fuisse repu-
 diatam; hoc familiares quosdam regis fuisse commentatos, ut mi- 178
 selle invidiam conflarent, ne a viro amaretur et presertim, si ex
 ea liberos susciperet, neve is Ruthenos amaret, quos infensos sibi
 semper habuerat. His verbis multi, qui levissimi et inconstantes 179
 erant, in coniuratorum partes concessere et eorum numerum auxerunt.
 Bela hec edoctus non amplius cunctandum esse ratus, ne forte 180
 coniurati ac proditores elaberentur ad Borichumque transfugerent,
 in eadem contione supplicium de his sumendum continuo censuit;
 id ipsum ceteris amicis et optimatibus visum est. Quare mox 181
 signum dedit, ut proditores in media contione vagantes, qui regni
 exitium moliantur, extremis repente suppliciis afficerentur, ne forte,
 si res ipsa differatur, multum detrimenti universa Pannonia patia-
 tur. Itaque in coniuratos continuo fit impetus; seditio magna orit- 182
 tur. Illi, dum se tueri conantur aut fuga salutem querunt, vulgo
 ceduntur. Proditionis crimine notati deferuntur, disquiruntur pas- 183
 sim principes factionis et deprehensi indicta causa obruncantur.
 Lampertum comitem et regis pedibus, ad quos confugerat, evulsum 184
 frater proditionis impatiens subselliorum fragmine diffracto capite in-
 terfecit. Nicolaum eius filium in medium adduxit et ante regem obr- 185
 truncari iussit. Moynolthus Aci genere natus et e nobilibus complures
 ibidem trucidati. Desperatis rebus ceteri coniurati cum magna 186
 manu secessere et reparato agmine, antequam occumbant, ne inulti
 pereant, regem invadere decernunt rati ceso rege inimicorum
 furorem subito desiturum. Coniuratorum princeps Tyodor erat ex 187
 vetere Symadi familia editus, item Folcus, Titus et Samson, cui
 Thomas et Turdo filii erant non minus nobilitate quam virtute vi-
 ribusque prestantes, qui temerariam patris audaciam admodum auge-
 bant. Sedata seditioe coactisque in unum coniuratis in secessu 188
 rex ad Seon fluvium castra locavit. Ultra amnem haud procul hostis
 erat. Samson ac socii vituperandi regis consilium ineunt, ut con- 189
 vicium provocatus prelium conserere cum hoste cogatur. Quare ta-
 bernaculum regis adit, quem cum optimatibus diversa loquentem 190
 invenit. Quo cum venisset, his regem verbis adoritur: Quid hic facis,
 vilissime canis, cum iam sit decedenditempus et multo plus regno 191
 Borichi providentia quam tua cecitas conferre videatur. Et instituto
 paterno in religioso cenobio tibi potius vivendum esset quam in
 rerum humanarum gubernatione versari. Quinam tuo ductu et au- 192
 spiciis amplius militabunt, si te ipse ducere non potes, latro? Pro
 temeritas et deperdita hominis audacia! His verbis irritati princi- 193
 pes, qui regem circumsteterant, Ioanne duce Othonis filio, qui regis
 servus ab epistolis et Simigiensis prepositus erat, item provocante
 Budo comite in Samsonem irruere. At ille ocissime pedem 194
 referens in equum se recepit et aperta fuga salutem quesivit. Isti,

cum equos in promptu non haberent, elato clamore Samsonem pedibus insequuntur. Ad hec accensus quidam Budi comitis tumultu percitus rapta lancea prepropera festinatione sine ephippiis equum conscendit, aliorum exemplo fugientem illum ad Seon amnem insequitur, qui, cum se precipitem in fluvium dedisset, ut nando traiceret, a tergo gravi vulnere confoditur. Tyodor cum ceteris coniuratis, qui navim conscenderant, ut periclitantem socium exciperent, in tempore adesse nequivere; at ille saucius et aenea lorica gravatus ibi demersus est.

Borichus iam amni appropinquabat et in ripa castra metari ceperat, qui ubi e conspectu fuit, Ungarorum proceres cum Ruthenorum et Polonorum ducibus prestita utrinque fide in colloquium convenere, ubi Budus ista verba fecit:

Quid vobis nobiscum rei est, Poloni? quid nostrum agrum, Rutheni, invasistis? Iam pacatos fines habebamus et nulle nobis vobiscum intercesserant iniurie, quibus finitimum bellum suscitari oporteret. In Pannonia inter Polonum et Ungarum discrimen nullo erat; idem de Rutheno dici poterat. Et, quando omnes Scythae sumus, non modo hospitalitatis, verum etiam cognationis nos mutuo iure fovebamus. Nunc iniustum et profanum pro adulterino homine adversus nos bellum geritis, ferro et incendiis sevit. Et, quam causam belli susceperitis, si intelligeretis, mox solutis castris domum quisque suam repeteretis. Si Borichum Colomanni et non adulteri filium esse exploratum satis haberemus, nunquam profecto ad ceci regis alioquin sapientissimi optimique principis imperia pervenissemus. Oculatum quam cecum regem habere maluissemus, sed, postquam id assequi nequivimus, ne adulterino sanguine sacrosanctum nostrorum regum ordinem incestaremus, ad Belam Colomanni nepotem confugimus, ut verum legitimumque regem haberemus. Omnium populorum consensu Belam a Stephano rege nobis delegatum elegimus electumque omnibus regiis insignibus confirmavimus. Quod idcirco fecimus, quia Colomanno Stephanoque regi, qui in suum sanguinem seviare, res parum prospere successit; per immanem sevitiam ad sterilitatem ita redacti fuere, ut neminem ex liberis haberent, cui regnum rite delegarent, nisi ad eos confugerent sui sanguinis, quos olim excecarent. Inviti nostra mala confitemur. Colomannus fratrem Almu, ut sepe accepistis, cum Bela filio excecavit. Duas uxores duxit; ex una Stephanum, qui paulo ante regnavit, ex altera, que Ruthena fuit, nullum filium tulit praeterquam hunc unum ex adulterio conceptum, quem nobis proficere condenditis, quod ipsa luce clarius est, nam pollute pudicitie coniugalis impatiens Ruthenam repudiavit. Et post repudium Borichum illa edidit, quem invitis legibus, immo numinibus regiisque manibus nobis proficere studeis. Quam ob rem, si unquam pacis et iustitiae iura novistis, si hospitalitatis, amicitiae ac humanitatis officia pregustastis, adulterinum, quesumus, quem induxistis, revocate regem. Borichum nonnullorum levitate ad imperandum temere invitatum avertite aut reluctantem deserite, abducite auxilia, que con-

tulistis, ne invitis numinibus bellum gerere videamini neque Ungaros desidia, pusillanimitate ac socordia iniuriarum fore immemores reputate. Officio potius quam quovis maleficio benivolentiam ac otium conservate. Quod si abnuitis, etsi nos tedet, hucusque tamen vobis occurrimus, ut ad unum omnis mori quam ad alterum, quem adducitis, regem perpeti malimus.

Hec ubi Polonorum Ruthenorumque principes acceperunt, ultro sententiam mutarunt, se falso subductos evestigio cognovere, pre belli iniquitate ex ipsis neminem adversus Ungaros pugnaturum respondent. Se male suasos ingenue confitentur et, quando nondum manu consertum est, sat ad respiscendum esse temporis. Proinde, ne hospitalitatis et veteris amicitie iura violare videantur, polliceri se postero die iniustam militiam deserturos. Duces promissa prestitere, nam solutis castris in patriam quisque rediere. Populi tantum cum Boricho et vulgaris multitudo remansit, quando inustam Boricho notam ceteri abominabantur. Poloni igitur et Rutheni, qui cum ipso remanserant, transmissa amne ad pugnam provocati Boricho duce in ripa prelium cum Ungaro conseruere. Bela quamvis cecus prudentissime tamen ductam aciem instruxerat, in utroque cornu validissimum cataphractorum equitatum collocarat, ut sagittariorum ac velitum impetum facile sustineret, quin et alas duas adiecerat vexillationum, quibus multitudinem complecteretur. In ferventissimo prelio obclusa quedam Polonorum auxilia maxima ex parte ceciderunt. Rutheni animo consternati, qui quadrato agmine iamdudum pertinacissime dimicabant, inclinata acie terga vertere. Instabant a tergo Ungari ac insigni cede seviebant, ad internecionem cedere hostem pergunt. Sanguinis ergo tantum hausere, ut pauci cum Boricho evaserint, quia fusi et fugati in rusticorum manus incidentes immaniter trucidati sunt. Ex his, qui in hoc prelio se pulchre gessere, Micsan, Gaaban et Bathora predicant, qui preter cesorum multitudinem maximum captivorum numerum retulere, thoraces ceteraque arma hostili cruore madefecerant. Micsa Tyodorem malorum omnium auctorem, Vosus Vitalem, Gaaba Graccoviensis comitis fratrem, Bathor denique Andream, qui coniurationis principes erant et patrie inimici, captivos ante Bele conspectum adduxere. Quare Bela haud parum letatus prefectos de regno bene meritos mirifice laudavit et non modo maxima parte spoliolum, verum etiam pagis oppidisque amplissime donavit. Mox ingentes deo gratias egit, apud omnes aras rem sacram fecit ac supplicationes oppidatim ex edicto celebrate. In dive Magdalene sollempnibus prelium hoc gestum; dies inter fastos relatus ac publice saluti dicatus. Hostium exuvie passim templorum postibus affixe et presertim sacris Magdalene edibus, cuius numine freti victoriam clarissimam compararant. Captivi victoribus dono dati preterquam coniuurati, de quibus supplicium ex lege sumptum, nam grassatorum more attritos rotis imposuerunt. Ex hac victoria tantum regi glorie et auctoritatis accessit, ut hunc unicum venerentur et predicarent omnes, non cecum, sed circumspectum et ad regnandum divinitus reservatum dicerent. Quare gratissima huic

Ungari obsequia deinde prestiterunt, fecere fideliter imperata omnia, finitimi quoque missis undique legatis pacem efflagitarunt. Rex extinctis hoc bello factionibus se mitissimum equissimumque prebuit. lussit omnes bene ac quiete vivere atque edicto superiorum partium mentionem inhibuit. 231

Pacato regno Bela se in otium redegit, cum amicis sepe commessabatur et in multam noctem convivia protrahebat, quo factum est, ut Ungarico more in ebrietatem inciderit, que cum voluntaria sit insania, virtutem pristinam admodum enervavit. Tunc multo mero gravatum principem aulici in petendo impudentissimi adoriebantur et pre crapula et temulentia sepe nonnulla impetrabant, que iniquissima sunt habita. Exacta autem ebrietate, quecunque per vinum indulserat rescripseratque, ne facile quidem recipere vel rescindere subinde poterat, unde non parum simultatis et infamie sibi comparavit. Nam in maiestate regia eo conspectius ac gravius id vitium iure censetur, quo maior viri dignitas habetur. Inter cetera temulentie facinora illud potissimum commemorant; Pochum enim et Saulem sacra religione initiatos in convivio exoratus pre ebrietatis indulgentia tradidit inimicis, a quibus mox temere cesi sunt, quare perpetua sugillatione non caruit. Ceterum hunc omnium laude dignissimum illa secula censuere. Ex conviviis et otio, quod cecitas confirmarat, in hydropisin incidit, quo morbo correptus nono regni sui anno ac mense undecimo nature necessitati cessit, salutaris vero centesimo quadragesimo primo ac Idbus Februariis supra millesimum. Corpus Albam delatum, ubi a quattuor liberis superstitibus Helenaque coniuge non minus pie quam honorifice sepultum est et ab universa Ungaria deploratum. 232
233
234
235
236
237
238

Regnante Bela hec accidisse ferunt. Innocentius pontifex Transiberina regione oriundus, qui successit Honorio, Rogerium ad sanctum Germanum castra metantem ex improvise aggressus in fugam vertit oppidumque recepit. Sed paulo post, cum ad Galucium Rogerium obsideret, a Guilielmo filio Calabrie duce non modo superatus, verum etiam cum cardinalibus captus est. Et mox honorifice ab eo dimissus reversus in urbem Anacletum antipapam invenit, qui ingenti pecunia, quam ex argento ex omnibus basilicis erepto conflat, populum Romanum plane corruerat et ita pontificiam auctoritatem interceperat, ut eum pre timore Roma cedere coegerit. In ulteriorem igitur Galliam fugiendo concessit. Interea Rogerium utriusque Sicilie regem appellatum antipapa in partes suas traxit. Innocentius apud Clarum Montem sacram synodum habuit; ibi antipapam cum sectatoribus damnavit. Philippum Gallorum et Henricum Britannie regem adiit pro salute fidelium et in Lotoringiam flectens Lotharium a Germanis Romanum regem electum invenit. Promissa imperii approbatione sacramento virum adegit, ut in auxilium Hierosolymitanorum expeditionem compararet; quare a Lothario in Lateranum restitutus imperatorem haud immerito Rome coronavit. Mox Pisis concilium habuit ibique iterum damnavit antipapam. Sed, cum Anacletum patricii quidam Rogerii regis auxilliis 239
240
241
242
243
244
245
246

freti iterum adversus pontificem suscitassent, Lotharius e Germania revocatus Romam repetiit. Pisani pontificis gratia maximam classem compararunt, qua Campaniam et Calabriam infestarunt. Pontifex et imperator, cum Rogerium terrestri maritimoque bello vexarent, quicquid in Italia possederat, acceperunt. Multa oppida vi capta diripuerunt, Rogerium in Siciliam tandem traicere coegere. Raymonem imperatoris comitem attributo ducatus Apulie titulo cum aliquot Germanorum cohortibus provincie pontifex prefecit. Lotharius Germaniam repetens Verone moritur. In Asia vero defuncto Balduino Falco Andegavensium comes et illius gener Hierosolyme regnum accepit. Turci, qui sinum Persicum incolebant, multas copias in Antiochenum agrum duxerunt, quo cum Falco irruisset, cesis tribus milibus capta totidem Hierosolymam retulit. Hac clade suscitatus Alaph Turcorum princeps Babyloniis auxiliis usus Edessam Mesopotamie urbem invasit, quam Balduinus a Gothfredo fratre receperat. Capta urbe crudeliterque direpta omnes Christiani, qui orthodoxam fidem abnegare noluerunt, ad unum a barbaris trucidati. Mulieres ingenueque matrone in fidei nostre ludibrium super divi Baptiste aram violate. Falco in venatione, dum leporem sectatur, procumbente equo occubuit Balduinusque filius regnum accepit. Nunc tempus postulat, ut ad Bele ceci successorem veniamus et res Ungarias, quantum fieri potest, rite prosequamur.

Defuncto Bela Geysa primigenius, qui nondum ephebis excerserat, omnium principum consensu votisque popu'orum ad regni fastigium effertur, quandoquidem preclare indolis et magne humanitatis esse videbatur, immo potius a deo datum quam ab ipsis optatum reputabant. Quare cum magno plausu gestientissimaque letitia adolescentem regem declarant, faustis acclamationibus ingeminant. Paulo post Albe in sollemnibus dive Cecilie rite coronant. Rerum potitus optimos sibi consiliarios elegit, nihil sine pontificum procerumque consulto agebat et tam sollicitè regnum curare videbatur, ut preter etatem ageret. Observabat seniorum consilia et mira comitate affabilitateque illos orabat, ne sibi regnoque deessent.

Nondum annum post initum munus exegerat, ecce Alemanorum bellum erupit. Belli causam fluctuantissima dedit Austria novarum rerum semper avida. Henricus enim quidam dux Austrie ingenite memor inimicitiae, que Australibus cum Ungaris diutius intercessit, cum ad pueri manum Pannonie regnum redactum esse cerneret, ratus id tempus ad evertendas res Ungarie accommodatissimum bellum gravissimum molitur. Accedebat occasio magna auxiliorum, que nunquam sibi antea fuerat, siquidem Henrici Leonis pupilli tutor erat, ad quem Saxonia et Bavaria tota pertinebat. Hic Saxonum et Vindelicorum viribus fretus, preterea Noricorum, qui eius dicionis erant, Pannonias aggredi non dubitabat. Quin et Corradi tertii Romani imperatoris copie accedebant, quem Henricus in belli societatem adduxerat. Et in hanc expeditionem Corradus duas legiones se missurum receperat, ut Ungarum veterem quidem Alemanorum hostem e medio tolleret. Quare, antequam regnum Hen-

ricus invaderet, de occupando Pisonio primum cogitavit haud in-
 sciis ab illa arce se totam Ungariam facile vexaturum. Id negotii 267
 Iuliano comiti datum, ut, quacunq̃ arte posset, Pisonium occu-
 paret. Is Rapolthum militem Alemanum dolis instruit et equitatu
 munit ac mandat urbem ante illucescentem diem sub pretextu festi-
 nati itineris adeat portamque occupet et eam eo usque retineat,
 donec ex insidiis ipse collocatus advolet. Pisoniani custodes nil 263
 tale suspicantes subornatum Rapothum cum comitibus excipiunt,
 cum nulla adhuc belli suspicio foret; mox ex composito porta et 269
 turris capitur ac inde sociis signum datur, ubi, quod Iulianus prospecta-
 vit, cum validissimo confestim equitatu ad portam advolat succe-
 ditque deinde in forum et facto agmine prodit. Suscitato tumultu 270
 omnes oppidanos arma deponere et nihil hostile timere iubet, data
 fide illesam amicitiam pollicetur, mox coacto senatu adventus sui
 causam enarrat. Civitas, cum ab Alemanis incolatur, his verbis 271
 continuo pacatur et in Germanorum redigitur obsequium. Rumor 272
 in Ungariam statim effunditur Pisonium a Germanis captum, quare
 universa Pannonia nimium perturbata. Secundum Pisonii captivi- 273
 tatem Alemanorum subito incursiones successere, quibus non solum
 superior, sed inferior quoque Pannonia gravissime vexabatur.

Adolescentis animus ingenita quadam magnitudine preditus 274
 haudquaquam his consternatus est. Habito quamprimum senatu per- 275
 iculi magnitudinem ad patres refert, sententias rogat; suscipitur
 omnium consensu bellum et quisque pontifex, nobilis prepotensque
 arma ex edicto capit. Habetur delectus et domesticatim ad bellum 276
 hoc apprime necessarium viri evocantur. Exultat frequenti et af- 277
 fectata militia Geysa et Tyro adversus imperatoria castra prodire
 gestit non ignorans multo plus laudis in victoria quam turpitudi-
 nis in fuga propositum. Nam, si vicerit et Cesarem Germanicum 278
 fuderit, supra etatem fecerit, si cesserit, adolescentia et fortuna ab omni
 dedecore vendicabit. Cum sibi a proceribus periculi magnitudo ac 279
 robur hostium obiiceretur, quia Saxones et Germani, ut de Vindelicis et
 Noricis sileatur, indomitas vires haberent, eum respondisse ferunt se
 divinum auxilium et sacros habere milites et ductu auspiciisque
 Christi optimi maximi facere stipendium. Quin etiam edictum pro- 280
 mulgarat, ut apud omnes aras, donec belli dexter exitus extaret,
 quotidie omnia sacerdotum collegia divinam opem implorarent et
 divam imprimis virginem peculiarem Ungarorum patronam ex-
 orarent, cuius patrocinio ex testamento divi regis Stephani id re-
 gnum fuerat commendatum. Ita vulgo rex animosus apparuit, ita om- 281
 nes ad gregarium usque militem ad pugnam hortabatur, ut exani-
 matissimum quenque facile suscicaret. Spectata adolescentis magnani- 282
 mitate sic ceteri seniores confirmati sunt, ut bellum, quod puer
 non expavit, ipsi quoque minime reformidare cogantur. Hinc etiam 283
 prefectos, primipilos, tribunos, item turmas et cohortes haud medi-
 ocris rubor incessit, cum veterani a tirone animari viderentur.

Motis igitur castris in Austriam iter facit. Cum regni finibus ap- 284
 propinquasset, quidam homo liberali aspectu, cui Guncel nomen

erat, non parum preferens auctoritatis et Scythice Germaniceque
lingue compos occurrit, prope hostes esse nunciat eosdemque per-
paucos, quando hi, qui auxiliares copias promiserant, promissum
numerum non prestiterant; proinde nunc conserende manus tem- 285
pus esse, antequam alia supplementa veniant; occasionem hanc nulla 286
cunctatione pretermittendam et certam adstantemque pro limine vic-
toriam nullo modo repellendam. Tunc rex advocata contione virum 287
in medium adducit, hec eadem referre iubet. Quod ubi factum est,
ipse ad tempestivum prelium prefectos omnes invitat. Hunc dei an- 288
gelum et future victorie nuncium esse asseverat, proinde non
ultra cunctandum, sed imperandum passim arma capi. Id ipsum 289
ceteris visum est audacia deterrendum hostem, quare omnium con-
densu in prelium itur. Cum Germani nondum limites atigissent, qua- 290
crato agmine castra in eos ultra fines mota; que ubi in hostium
sonspectu fuere, tantum utrinque otii permissum est, quantum in- 291
struende aciei satis erat. Ungarus duas velutum alas in utroque cornu
produxerat, quibus cataphractorum equitatus succedebat; in medio
quadratum agmen etiam cataphractorum collocarat, quod a dextra
levaque duplici peditum acie muniverat; post hec presidium val- 292
lidissimum substitutum. Ne minus quidem impigre Germani se in or-
dines instruxerant, qui altissimis equis insidentes Gigantum instar
plane constiterant, Ungaris numero superiores. Geysa quamprimum
pugne signum dari iubet; pari furore utrinque concurritur. Alemani 293
non minus armis quam clamoribus et conviciis Ungaros impetunt,
quo facilius eorum audaciam coerceant. Contra Ungari inter dimi- 294
candum omnipotentis dei ac magne matris auxilium invocant, pa-
tronam suam ingeminant. Alemani, qui levis armature equitibus pa-
rum utuntur, sed cataphracto equitatu delectantur, Bessorum ac Scy-
thulorum alas, quas ante cornua productas diximus, statim incli- 295
nant. Hi nanque Ungarorum agmina preire solent et tunc veluti
oves a lupis deterrite in primo congressu terga dedere, antequam
Ungari manum conserere cepissent. Et hi prospecta istorum fuga 296
aliquantulum pre timore cessere; instant illi et hinc animos augment,
quia inclinatum hostem ac fusas alas vident. At Ungaris, qui ani- 297
mos continuo revocarunt, pertinacissime resistentibus in primo con-
flictu nimium defatigati deferbuere; dimicare multo remissius oc-
ceperunt. Ban enim regis avunculus, qui callebat mores hominum 298
et in medio agmine presidebat, excito simul equitatu regio, qui ve-
teranorum erat ac laborantibus sociis subsidebat, facto maximo im-
petu in hostes ruit, in quibus furor ille desederat et tanta vi pre-
lium conserit, ut multis in primo congressu prostratis ceteros in- 299
clinavit. Henricus dux Austrie, qui victoriam dudum pre manibus ha-
bere videbatur, concitato triariorum agmine succurrit, prelium atro- 300
cissimum instauratur. Rex ex procerum prefectorumque consensu
utrunque cornu, quod admodum nutarat, continuo confirmavit, in
hostem convertit et, cum hostem ad triarios redactum prospiceret,
ipse quoque presidia ultima concitavit, quare ubique acerrime
pugnabatur, cruor passim effunditur. Germani cum Saxonibus in- 301

clinati ab utroque cornu et à revocatis alis circumveniri cepere
 et ab utroque latere gravissime sauciari. Veterane legiones Henrici 302
 agmen post multorum cedem terga dare coegerunt, mox palantes
 Alemani aufugere. Inter fugiendum innumera multitudo intercepta, 303
 que partim cesa partim cãpta. Henricus cum ceteris magna ex parte
 vulneratis castris exutus turpiter aufugit et in Austriam pertesus au-
 dacie sue se recepit. Cesorum numerum ex Alemanis ad sep- 304
 tem milia memorant, ex Ungaris tria milia desiderata. In eo bello
 Rapolthus Alemanus, quem per nocturnas insidias Pisonium occu-
 passe diximus, ab Uro equite et Otho a Gabriele captus est. Rex 305
 victoria politus spoliatis castris hostium cum universo exercitu in
 Ungariam rediit, horum exuviis templa ditavit. Pro agendis deo
 gratiis supplicationes egit et apud omnes basilicas regni rem div-
 inam operatus est. Tantum ex hac victoria sibi nominis compa- 306
 tavit, ut hunc dumtaxat puerum Germanica potentia formidare vi-
 deretur. Henricum quoque tantus mox timor incessit, ut non modo 307
 Ungariam penitus vexare, sed ne pagos quidem finitimos attingere
 auderet. Victoriam hanc Ungari potius divine benignitati et fortune 308
 adolescentis, quam sibi tribuere. Quando extremis utrinque viribus 309
 a tertia hora diei ad serum usque tempus dimicatum affirmant
 et se a principio cessisse, deinde per atrocissimam pertinaciam in-
 clinata hostium fortuna vicisse confitentur. Secundum hoc bellum 310
 Pannonias, ut annales memorant, seva fames invasit, qua vulgo
 grassante maxima pars hominum est absumpta. Quo quidem tem- 311
 pore in Gallis regnante Lodovico tam diuturnus estuansque calor
 fuisse dicitur, ut compluribus in locis non citra populorum terrorem
 et exitum terra conflagrarit, ex estu igitur fames illa edita. Successit 312
 his temporibus Corradi imperatoris transitus, qui haud parum de-
 trimenti et sacris et profanis attulit, de quo prius aliqua referenda
 esse duximus, quam ultra progrediamur, ut res ipsa cognitu faci-
 lior esse videatur.

Sedente Lucio tertio pontifice maximo Bernardus Claravallen- 313
 sis abbas claruit, qui ardentissima Christi caritate succensus prin-
 cipes fere omnes adivit hortatus, ut laborantibus in Syria et Pale-
 stina Christianis validissimis adversus Sarracenos copiis subvenirent
 neve paterentur divini sepulcri propugnatores e sacra urbe exigi.
 Ad persuasionem sacre militie Corradus imperator natione Suevus 314
 primus nomen dedit. Interea Rogerius rex Sicilie per negligentiam 315
 pontificum in Italiam reversus, quecunque amiserat, omnia recupe-
 ravit, deinde cum maxima classe in Africam traiecit Libycumque
 regem stipendiarium sibi fecit atque annis plus quam triginta il-
 linc tributa recepit. Corradus igitur coacto ingenti crucigerorum 316
 exercitu e Germania castra movit et preter Danubium iter faciens
 in Ungariam descendit, ubi fortasse pre veterum memoria inimici-
 tiarum non peregrini ducis ductu et auspiciis Iesu Christi militan-
 tis, sed acerrimi hostis ulciscendi occasionem nequaquam deserentis
 animum ostendit. Nam, quamvis faciendi per Ungariam itineris 317
 potestatem a Geysa prius litteris perhumane impetraverat, aliquanto

tamen insolentius, ac par erat, iter fecit. Et, cum se in sacrosanc- 318
tam expeditionem peregre proficiscentem diceret, sub viatici stipendi-
iive sacri nomine e cunctis sacris edibus, cenobiis et xenodochiis
immodicam pecuniam extorsit, quin et multe basilice ac religiosa
loca collatam pre timore illi stipem detulere. Quod quamvis Geysa 319
ceterique Pannonese egre tulissent, sanctissime tamen expeditionis
gratia patientissime tolerarunt, adiuvarunt muneribus et com meatibus
et nullum hospitalitatis ac divine caritatis officium pretermiserunt.
Corradus autem per Mysiam et Macedoniam iter faciens in Thra- 320
ciam Constantinopolim contendit, ut Emanuelis secundi Grecorum
imperatoris adiumento per fretum Euxinum commode traiceret. Ibi 321
ab Emanuele infido male persuasus traiecto in Asiam exercitu Ico-
nium obsedit, qua, ut ille promiserat, com meatus omnes a Con-
stantinopoli se habiturum esse sperabat, quippe qui aliunde haberi
non poterant. Cum munitissimam is urbem obsidisset, sceleratis- 322
simus Grecorum imperator, ut Romani principis pre livore perderet
exercitium, farine semper gypsum immiscuit. Quare milites adulte- 323
rata re frumentaria passim morbo correpti magna ex parte interie-
re. Itaque Corradus re infecta paulo post in Germaniam redire
coactus est. Atque id tantum emolumenti sua expeditio prebuit, 324
quod Balduinus Hierosolymitarum rex quartus tantum animi ex im-
peratoris adventu concepit, ut Ascalonam diu obsessam ceperit,
cum paulo prius Gazam vetustissimam urbem, sed ab incolis des- 325
titutam instaurasset fratribusque Templariis, ut aiunt, inhabitandam
concessisset. Quin et eodem fere tempore Turcorum satrapas ag-
gredi ausus est, qui Hiericentinos admodum opprimebant, quos
cum prelio superasset, quinque milia Turcorum cesa referuntur.
Insuper Noradinum Damascenorum prefectum et Hierosolymitanum 326
agrum assiduo infestantem insigni clade fugavit ad Damasci usque
menia persecutus. De Corrado hactenus.

Sed de Lodovico Gallorum rege dicendum, qui in expeditio- 327
nem Hierosolymitanam eodem tempore post Corradum profectus
et per Ungariam iter faciens multo diligentius hospitalitatis iura
servavit. Eugenium tertium pontificem maximum Pisis oriundum 328
Romanorum factionibus urbe Roma exactum in Gallias contende-
disse aiunt, partim ut sanctissimum patrem Bernardum viseret, a
quo sacris fuerat initiatus, partim ut Lodovicum regem divino cultui
deditissimum ad suscipiendam Palestine expeditionem hortaretur
et crucis tessera Christi duces insigniret. Quam cum forti animo 329
rex ille accepisset, ne longa navigatione vexaret exercitum, per
Retos, Vindelicos et Pannonese, deinde per Mysos et Macedonas
Constantinopolim ad Emanuelem pervenit. Quo quidem tempore, 330
cum per Ungariam transiret, a Geysa honorificentissime receptus est,
nam Corradum paulo post secutus ubique sanctissimum se pie mi-
litie duces ostendit. Tanta severitate duxit exercitum, ut ne mi- 331
nimum quidem rusticum leserit, nullum pecus abegerit, vim militi
passim inhibuerit. Qua quidem continentia cum singulari huma- 332
nitate coniuncta ita Ungarorum gratiam promeruit, ut a rege ac

ceteris optimatibus diebus aliquot et aliquanto diutius, ac par erat, sub reficiendorum corporum pretextu in Ungaria remoratus fuerit. Item aiunt eodem tempore scitum Geyse puerum fuisse natum et 333
sacra fontis aqua Lodovici regis testimonio inter Christianos asser-
tum, item sacrosancti iure vinculi illum a Geysa non modo hon-
orifico comitatu, gratissimo hospilio et com meatibus passim ex-
ercitui gratuito datis, verum etiam regiis donis honestatum in
Thracie finibus fuisse dimissum. Is autem, cum ad Emanuelem 334
Constantinopolim cum exercitu venisset, haud aliter ac Corradus a
fraudentissimo imperatore tractatus est. Nam ab illo persuasus, 335
ut per Syrie deserta iter faceret, tantam iacturam partim rerum
inopia partim locorum difficultate fecisse dicitur, ut Antiochie hiber-
nare sit coactus. At Rogerius, qui Sicilie imperabat, Emanueli in- 336
fensus comparata maxima classe Corcyram, Corinthum, Thebas et
Euboiam perfido Greco abstulit, quin et Constantinopolim cum
classe navigasset, ni LX Venetorum naves longas in Adriatico sinu
reformidasset. Quare ad Asiatica litora deflexit magneque Christia- 337
nis felicitati fuit, nanque Lodovicum regem in Palestinam ad sancti
Simeonis portum navigantem Sarracena classis forte interceperat,
quo cum, nescio, quo fato, veluti a deo missus Rogerius cum sua
classe presto intervolasset, periclitantem piumque regem liberavit
insperateque letitie omnibus Christianis et saluti fuit. Mox in 338
Syria multa occupavit, que sine presidio relicta a Venetis recupe-
rata sunt. Deinde, cum Lodovicum ad Ioppen reliquisset, Constan-
tinopolim cum universa classe properavit, ubi spectante etiam
Emanuele ab arce suburbia cum appendicibus hostiliter incendit.
Mox, arcem adortus cum expugnare non posset, usque eo dimi- 339
cando processit, ut ex hortis augustalibus propria etiam manu poma
legerit. Sed in reditu cum Veneta classe parum prospere conflixit.
Corradus autem, Lodovicus et Balduinus, cum una convenis- 340
sent, unito consensu Damascum obsident ab Arabis quondam servis
fundatam sitam in planicie. Que natura soli sterilis foret et arida, 341
nisi a proximo tenuique fluvio fistulis et cuniculis ager irrigaretur,
ex quo tanta feracitas et pomorum suavissimorum copia profluit,
ut nihil in orbe letius iudicaveris. Obsessam urbem perbrevis ad 342
deditionem redeissent, si aquam inhibuissent, quam alio facile
divertissent. Sed cuiusdam Assyrii dolus intercessit, qui Balduino 343
quandoque se fidum ostenderat. Hic enim civium pecunia coinqui-
natus Balduino significavit, ut aliam partem urbis obsideret, si ea
brevis potiri cuperet, quando illinc murorum infirmitate facilius ex-
pugnari poterat. Quod cum ille fecisset, mox iste occupandum 344
esse fluvium et munitionibus hosti inhibendum com meatuumque
viam precludendam censuit. Id ubi factum est, ita siti ac fame 345
absumpti sunt, ut soluta obsidione Lodovicus et Corradus multis
amissis exercitum in Europam comminutissimum reduxerint, quod
anno centesimo quinquagesimo secundo supra millesimum accidisse
legimus. Quo quidem tempore Eugenius Romam reversus a populo 346
Romano honorifice receptus est. Balduinus autem Hierosolymitanus

rex deinde Egyptios et Babylonios superavit. In quo bello quin- 347
que barbarorum milia cesa sunt. Sed de Lodovico et Corrado
hactenus, qui per Ungariam iter regnante Geysa fecisse traduntur.
Qua quidem in re longius aliquanto, ac par erat, divagati sumus, 348
ne rem memoria dignam iniquo silentio preteriremus.

Nunc ad res Ungaricas redeamus et, que post Germanicum 349
Geysa bella gesserit, quantum ex inopia scriptorum indagare pos-
sumus, rite prosequamur. Sed, antequam ultra progrediamur, quod 350
de Boricho adulterio intercessit, nequaquam subticendum. Cum Lo- 351
dovicus per Ungariam iter faceret, a Georgio quodam milite rex Pan-
nonie admonetur Borichum adulterinum Colomanni regis filium in
Gallorum castris esse accitum quorundam Ungarorum consiliis et
precibus; si sacrosancte militie castris insinuatus Pannonias for- 352
tasse subiret, facile fore, ut multi in Ungaria non ignobiles a Geysa
rege ad eum deficerent. Ne falsus quidem rumor erat, siquidem in 353
Lodovici castris Borichus delituerat; hoc ubi Geysa relatam fuit, hec
Ludovico repente significavit. In tuis, inquit, castris, Lodovice, 354
Borichus est, qui ex adulterio genitus regis Colomanni maioris olim
patruum mei se filium esse mentitur; se inter tuas copias insinuavit,
ut aliquid adversus me moliretur. Proinde, si me beneficio tuo di- 355
gnum existimas, Borichum interitus mei anhelantem redde, ne im-
probo patrocinio sugilleris neve, quod a bonorum ingenio nimis
alienum est et quam maxime principum, pro bono malum cumu-
latissimum rependere videare. Obrepat fama inter Gallica castra 356
quendam ibi Ruthenum delituisse, ut bene merenti de Gallis Un-
garie regi per insidias regnum occupet; illum esse spurium et le-
gitimum regem, quibuscunque potest, artibus exacturum. Ad famam 357
continuo tumultus excitatur, per omnia contubernia in parricidam
disquiritur. Borichus his auditis huiusce mali conscius crimen lese 358
maiestatis admodum veritus libere Lodovicum regem adit, ad cuius
pedes prostratus vitam simul et veniam exorat, ut tuto cum exer-
citu abire sibi liceat, impensissime supplicat, ut ex Ungaria sine
periculo evaderet. Geysa iam certior factus Borichum in Lodovici 359
castris esse iterum precatur, ut suum inimicum ad se vinctum re-
mittat. Ad hec pientissimum Gallorum regem ita respondisse fe- 360
runt: Num hec Geysa rex ignorat cuiusque regis optimi taberna-
culum haud aliter ac religiosum templum ac pedes regis pro aris
haberi oportere? Quonam iure divino et humano hunc reddere 361
possum, si ad tabernaculum velut ad edem et ad pedes tanquam
ad altare confugit? Ad hec nuncium respondisse aiunt adulterinam 362
sobolem e republica exterminandam, nulla promiscuum genus ho-
minum indulgentia prosequendum, immo undique diligentissime
extirpandum, ne legitimi heredes bonis propriis amoveantur. Cum 363
hec ad Borichi aures pervenissent, reformidata morte subtractoque
Lodovici regis equo subinde aufugit. Quod ubi ab hipparcho sta- 364
bulique prefecto cognitum est, sumpto alio equo pari pernicitate
subsequitur. Qui, cum Borichum assecutus esset, in primo congressu 365
statim ab eo discisso capite interfectus est. Hac igitur audacia adul-

terinum Ungarie regem secutoris periculum evasisse ferunt. Sed, ³⁶⁶
qualis in fratres ipse fuerit, fraterna satis ipsa testimonia plane te-
stantur. Almus pre ceteris mortem obiit; Ladislaus et Stephanus
fuere superstites, quos et paterna et regia liberalitate ac indulgen-
tia, ut par erat, prosecutus est. Nam utrunque ducem statuit, pro ³⁶⁷
dignitate proventus et vectigalia magna disposuit, iussit vivere more
regio, ut parvum inter eos videretur esse discrimen. In media sepe ³⁶⁸
contione fratres amplexabatur, ut non tam pietatem suam ostentaret,
quam suorum inter se pristinam crudelitatem et infamiam impietatis
aboleret.

Post hec Ruthenorum bellum exarsit. Nam, cum rex Minoslai ³⁶⁹
Ruthenorum principis filiam duxisset uxorem, ex qua Stephanum
et Belam tertios accepit, cum nonnullis aliis, qui immatura morte
subrepti sunt, pre Ruthenorum factionibus hanc pro socero expedi-
tionem suscipere coactus est. Lodomerius enim Chunorum fretus ³⁷⁰
auxiliis Minoslaum regno eicere et tyrannidem invadere ausus est.
Rex, cum socerum a Lodomerio graviter oppugnari accepisset, exer- ³⁷¹
citurum in Roxaniam misit, qui, cum hinc a Chunis, a Ruthenis il-
linc infestaretur, sedato tandem bello multis amissis in Ungariam
rediit. Deinde haud multo post tempore Lodomerius iterum Minos- ³⁷²
laum adoritur, multa eius oppida vi capit diripitque, mox agrum va-
stat et, quibuscunque potest, calamitatibus et iniuriis afficit. Iterum ³⁷³
a socero efflagitur auxilium. Rex, ne periclitantem eum desereret,
comparato magno exercitu una cum Ladislao ac Stephano fratri-
bus in Ruthenos contendit, ut affinis iniurias et pristinam legionum
iacturam ulcisceretur. Cum hostium fines attigisset, Lodomerium ³⁷⁴
cum magna multitudine occurrentem offendit. Pauci dies curandis
corporibus et reficiendis equis longo itinere defatigatis dati sunt,
mox prelium initum. Quo cesis utrinque multis Lodomerius cum ³⁷⁵
Chunis et Ruthenis passim fusus et fugatus est. Minoslaus profligato
hoste generi opera cuncta, que amiserat, subito recuperavit.
Rex cum fratribus victoria potiti ac superiores iniurias ulti ovantes ³⁷⁶
in Pannoniam rediere.

Dum hec omnia, que diximus, ita geruntur, Rogerius rex Si- ³⁷⁷
cilie diem obiit, Guilielmus filius regnum accepit, qui paulo post
mortem patris Beneventi suburbia, Ceperanum et Babuchum oppida
occupavit. Quare ab Adriano pontifice maximo et regni titulo et ³⁷⁸
Christiana consuetudine, quando aqua et igni sibi fuerat interdicitum,
privatus est; subditi quoque a prestito iuramento absoluti.
Hac etiam tempestate Norvegia Christi fide initiata. Et Fredericus ³⁷⁹
primus Sueva gente natus Romanumque imperium sortitus in Italia
venit. Terdonam obsessam vi cepit, contendit mox Romam.
Pontifex per internuncios conciliatus in Sutrimo agro statim occur- ³⁸⁰
rit. A quo legitimam reverentiam exegit, coronavit mox in divi
Petri basilica et legitimum populo Romano hunc imperatorem esse
declaravit. Tunc urbis consules Adriano infesti et utriusque con- ³⁸¹
cordiam veriti portas clausere. Plebs iniussu consulum per pontem ³⁸²
Traiani eruptione facta Teutones in Vaticano observatos multis

interfectis hostiliter spoliavit. Sed ultio subinde facta, nam ex castris imperatoris, que in pratis Neonianis locata fuerant, suscitato tumultu innumera militum manus effluxit, que profligata Romana plebe captivos multos abduxit, quos pontificis precibus imperator exoratus continuo dimisit. Deinde, cum per urbem ad Lateranum iter uterque facere nollet, ad Mallianum se contulit, mox per pontem Lucanum trajecto Tiberi ad Lateranum pervenit, ubi compositis rebus Christiane reipublice Fredericus in Germaniam rediit. Adrianus a regni proceribus exoratus Beneventum se contulit ac maiorem regni partem Guilielmo abstulit. Item Paleologus quidam Grecus nobili genere natus Emanuelis imperatoris nuncius Anconam appulit, mox Beneventum ad pontificem properavit, data ab imperatore mandata delulit, in quibus hec potissima continebantur Emanuele, si tres dumtaxat Apulie urbes maritimas sibi permittantur, quinque milia pondo auri, item Guilielmi ex Italia expulsionem offerre pontifici. Que cum Guilielmo nunciarentur, ad pontificem repente confugiens se omnia, que ecclesie Romane abstulerat, redditurum, adiecturum insuper oppida nonnulla, item Romanos rebelles ultro subacturum, demum aurum a Greco imperatore promissum accepto legitimo temporis intervallo persoluturum pollicetur, si pontificia auctoritate sibi sit integrum in utroque Sicilie regno libere dominari. Placuit pontifici oblata condicio, sed cardinales avaritia ducti intercessere. Quare Guilielmus ob repulsam iratus Apuliam invasit cuncta longe lateque devastans et profligatis ad Brundisium Grecorum Apulorumque copiis Apulos et Salentinos in deditionem accepit. Quare pontifex indignatus cardinalibus Beneventum Guilielmum acciri iussit, quo cum venisset, pro ablata condicione auctoritate sua liberam utriusque regni potestatem dedit.

Adriano paulo post ad Adrianum defuncto Alexander tertius patria Senensis duorum et viginti cardinalium suffragiis pontifex designatur. Contra vero trium tantum suffragiis Octavianus Romanus pontifex creatur, qui Victor appellatus est. Orta inter utrunque contentione Alexander imperatorem Fredericum eo tempore Cremam obsidentem missis internunciis oravit, ut sibi presto, prout utriusque postulat officium, afforet. Ille respondit utrunque Pontiam ire oportere, ubi utriusque partis rationes lubentissime se auditurum pollicetur. Quare Alexander Ananiam, Octavianus Segniam se contulit. Fredericus missis duobus episcopis Alexandrum hortatur, ut ad conventum Papie celebrandum veniret. Sed episcopi a pontifice confutati Segnie Octavianum visitarunt eumque Pontiam duxerunt. Hunc imperator in conventu papam declaratum adoravit, deduxit eius equum ex more per urbem. Alexander, cum hec omnia novisset et admonuisset, utrunque confestim premissa admonitione Octaviano et imperatori humana consuetudine interdixit, longe lateque per Christianam rempublicam nuncios misit, qui sue cause iustitiam testarentur. Philippi Gallorum regis monitis et precibus adactus in Campaniam rediit, deinde paulo post in Galliam ulteriorem contendit. Postea in Pessulano et Claromonte imperatoris

anathema habito conventu pronunciavit. •

Dum hec in Europa sic aguntur, mortuo apud Hierosolymam 399
Balduino tertio Almericus frater in regno successit, qui cum Egyptiis
haud multo post congressus magnam cladem iis intulit. Obsedit 400
Alexandriam, quam Tiracunus Saladini Turcorum regis prefectus
soldano Egypti fraude subtraxerat. Alexandrini, cum nullo pacto 401
Christianum iugum subire vellent, ea tamen condicione se Àmerico
commiserunt, ut in soldani potestatem sua opera et industria re-
ducerentur. Recepta ingenti pecunia soldano urbem Almericus plane 402
restituit. Mox intellecta soldani fraude Carrhas, quam nunc Carim
urbem potentissimam appellant, obsedit. Fredericus autem ad tyrannidem 403
conversus direpta Terdona Mediolanum diruit, populum in
sex portarum tribus divisum in sena loca procul ab urbe ad decim-
um lapidem habitare coegit. Cremam ingenti detrimento affectit. 404
Quare Venetorum consilio Veronenses, Patavini ac Vicentini inter
se fedus icere, ut preter legitimum imperii tributum nil obsequii
ultra prestarent. Mox imperator iste Aenobarbus ex cognomento 405
dictus missis oratoribus Gallorum regem oravit, ut Alexandrum ad
prestitutum conventum duceret, cum ipse victorem se ducturum
reciperet. Conventus ad Divionem indictus, ubi Franco amnis Gal-
los disternat a Germanis. Cum principes ex composito illuc mira 406
frequentia convenirent, Alexander, qui apud Dolense cenobium
Aquitanie substiterat, se eam synodum aditurum esse negavit, quam
ipse non indixisset, ne quid pontificie potestati derogare videretur.
Quare soluto conventu Fredericus in Germaniam rediit. Alexander 407
ad Turonium synodum indixit, ubi multa decreta promulgata. Interea
Octavianus Luce mortuus est et Guido Cremensis in antipapam
subrogatus. Fedus civitatum Italie amplificatum, nam Cremonenses, 408
Brixiani, Bergomenses, Mediolanenses quoque dissipati cum Pla-
centinis in eandem societatem admissi. Alexander demum creatis 409
consulibus, qui ex veteri amicitia dignitati sue suffragabantur, a
Romanis e Gallia Romam revocatur, quod anno centesimo sexage-
simo quinto supra millesimum accidisse legimus. Hec igitur regnante 410
Geysa acciderunt. Insuper iisdem fere temporibus Alphonsum Hi-
spanie regem ab expugnatione terre sancte reversum diem obiisse
ferunt, cui Sanctius filius natu maior in regno successit et illi non
multo post Ferdinandus frater, quem in Arabia pro Christi nomine
bellando occubuisse memorant. Huic Alphonsus filius subrogatus 411
regnum accepit. Quin et illis quoque temporibus crucis figura in
Luna publice visa.

Geysa tandem in adversam valitudinem incidit, qua in dies 412
ingravescente, ne intestatus obiret, accitis amicis, pontificibus et
optimalibus regnum disposuit. Stephanum tertium grandiozem natu 413
regem pronunciavit. Exoravit etiam proceres, ut eundem pro rege
ultro susciperent, colerent et amarent. Filios heredes e semisse 414
constituit; cetera partim sacris edibus, partim calamitosis hominibus
ac variis sanctissimisque usibus legavit. Demum inter liberorum 415
ac fratrum amplexus animam efflavit. Annis XX, mensibus tribus

et diebus quindecim regnasse fertur incolumi fama et integra regni potestate. Obdormivit autem in domino anno salutis centesimo sexagesimo primo supra millesimum pridie Kalendas Iunias maximisque sui desiderium omnibus reliquit. Corpus Albam relatum ac publice deploratum et inter monumenta regum filii retulere. Celebratis honorificentissime exequiis ad comitia regalia studia conversa sunt. Nam, quamvis regem declaratum ac legitimum haberent, ne priscam consuetudinem abolerent, comitorum diem indixere.

Cum defuncto rege Geysa frequentissima comitia haberentur, adductis in medium publiceque perlectis testamenti tabulis omnes cunctis suffragiis declaratum a patre regem Stephanum tertium comprobant et faustis cognominibus ingeminant. Stephano cuncta feliciter exclamant, Stephano regi laus et gloria, Stephano felix vita et continuata victoria, Ungarie fausta omnia et felicia. Paulo post Albe ex more coronant et sacro divi Stephani progenitoris diademate confirmant. Is regno potitus et ad regnandum haudquaquam intempestivus nihil sine senatus auctoritate et patris amicorum consilio gerit. Triennii regnum immunitate donavit et multa captande popularis aure gratia edicta promulgavit, otium et quietem pro viribus ab initio retinuit, mox sociorum et regni causa in bella descendit, que vario gessit eventu, neque suorum perfidia caruit, ut suo loco referemus. Verum enim vero hac re potissimum execrandi sunt Ungarorum annales, quippe qui, etsi ineptissime scripti sunt, qua in re veniam damus, quia historiam potius quam elocutionem querimus, nonnullorum tamen regum veluti Stephani gesta cuncta nefario silentio pretereunt, que prestantiores plerique scriptores minime pretermisere. Quare, ut hanc grandem rerum Ungaricarum iacturam resarcianus, quid cum Venetis et Emanuele Grecorum imperatore gesserit, imprimis referemus. Emanuelem et Fredericum Aenobarbum simul illa tempora protulere impietate, perfidia et crudelitate pares, utpote quibus nihil tunc seva tyrannide videbatur antiquius. Dum Gallia Cisalpina Frederici reditum reformidat et urbs Roma reditu Alexandri pontificis exultat, Emanuel in Italos, Dalmatas et Istros multa molitur, que altiuscule repetemus, ut apertior res ipsa videatur.

Ex eo tempore, quo Veneti afflictis Hierosolyme rebus Balduino rege in captivitate demerso auxilia pia duce Dominico Michaele contulere, hostilem Emanuel animum Venetis ostendit, quos hactenus fidelissimos sibi socios semper habuerat, haud dissimulans collata illis auxilia egerime tulisse. Ut Venetis obesse posset, Stephanum tertium Ungarorum regem, item Dalmatas, Istros, Liburnos et Anconitanos cum Grecis in societatem admisit. Stephanus ultro fedus iniit, ut antiquas pro Dalmatia inimicitias commodius ulcisceretur. Dalmate vero, Istri et Liburni longepropensius in ista federa convenere, ut, quamvis imperatorii et Constantinopolitani iuris olim fuerint et tunc partim Venetorum partim Ungarorum imperio parerent, ista tamen rerum novitate trini potentatus e cervicibus iuga discuterent multoque licentius ut ante pi-

raticam exercerent, quos maritimis latrociniiis assuetos fuisse Livius
 affirmat, quod ut facilius facere possent, horum trium amicitias
 sepissime ludificarant. Quare Dominicus Maurocenus dux Venetus 432
 anno salutis undequinquagesimo et undecies centeno senatus po-
 pulique Veneti iussu in Istros mare Adriaticum infestantes quin-
 quaginta triremium classem duxit, qua Polam, Rubinum, Parentium,
 Emonam et Humagam in Venetorum perbrevis potestatem asseruit.
 Anno inde septimo in demortui ducis huiusce locum Vitalis Michael 433
 suffectus fuerat. Quo quidem tempore Adrianus pontifex Gradensem
 ecclesiam super ceteras Venetie, Istrie ac Liburnie basilicas princi-
 patum tenere pronuntiavit. Id Ulricus Aquileie patriarcha sentiens 434
 egre tulit; inpetratis a Stephano Ungarorum rege auxiliis, quocum
 societatem hac dumtaxat causa iniverat, Gradense oppidum partim
 dolis partim viribus occupare contendit, sed spes hominem frustrata
 est, quandoquidem immissa Venetorum classe cum septingentis
 partim Foroiuliensibus partim Ungaris captus est. Et ii omnes hac 435
 condicione dimissi, ut Foroiulienses quotannis duodenos porcos
 totidemque panes Venetis tributi loco penderent. In sequenti anno
 Arbenses et Liburni a Venetis subacti. Per id etiam temporis Ste- 436
 phanus rex simulata cum Vitali Michaele amicitia duas eximie no-
 bilitatis Ungarice virgines duobus illius ducis filiis matrimonii loco
 collocavit. Quare paulo post eius arte et opera factum est, ut 437
 Spalatum, Tragurium et Sabinicum a Veneta republica deficeret.
 Quin etiam et Iadrenses, qui tunc Venete dicionis erant, cum ec- 438
 clesie subiectionem Gradensi factam iniquo animo tolerarent, in-
 stigante etiam tunc rege Stephano Venetis rebellarunt, qui ea tem-
 pestate ita omnes ingenii nervos in Venetorum detrimenta inten-
 derat, ut nil impensius curare videretur. Quare Vitalis dux cum 439
 XXX longis navibus ad recuperanda, que amiserat, in Dalmatiam
 contendit et re infecta repulsus recessit. Item Anconitani Emanuelis 440
 imperatoris iussu, in cuius potestatem eo tempore se penitus as-
 seruerant, Guiscardo Anconitano duce cum quinque triremibus ex-
 cursionibus et latrociniiis omnia Venetorum litora admodum infesta-
 runt. In quos tandem Michael emissus navali bello Guiscardum 441
 cepit ultimoque supplicio affecit. Captas quoque triemes demersit 442
 haud incruenta victoria potitus, nam inter ceteros cesos ac saucios
 unam tantum e polissimis triremim amisit ab hoste demersam.
 Stephanus autem rex eductis multis ex Ungaria copiis non 443
 modo Dalmatie passim urbes milite complebat, sed ab eo tractu
 Venetorum fines longe lateque vexabat. Ne quid ex data occasione 444
 remitteret, quotidie quoque per nuncios Emanuele imperatorem
 sollicitabat et irritabat in Venetos. Itaque anno sexto ac sexagesimo 445
 super undecies centenum aliam classem in Dalmatiam Veneti sub
 eodem duce instaurare coacti sunt, cui Dominicum Maurocenum
 prefuisse ferunt. Vitalis, ubi Dalmatiam appulit, Iadram imprimis 446
 metropolim adoritur, quam cum terra marique acerrime oppugnaret,
 urbe tandem potitur. Multis cesis muros a parte maris diruit, ut 447
 rebellandi preriperet facultatem, item ducentos ex ordine nobilium

obsides abducit. Hac sevitia ceteri Dalmate usque adeo percussi 448
sunt, ut eiectis Ungarorum presidiiis, que paulo ante rex Stephanus
imposuerat, ad Grecos et Emanuelem imperatorem extemplo defi-
cerent, quorum auspiciis et imperio diu olim regi consueverant.
Ne gravissime quidem id Stephanus tulit, quando hos imperatoris 449
quam Veneti ditione teneri malebat. Orientalis Augusti universus 450
Illyrici tractus quondam fuerat et maritimam eius oram idcirco Ve-
neti summa affectatione tutati sunt, partim ut Adriatici maris iter
ad navigandum expeditius haberent, partim ut sub auxiliorum pre-
textu labantis Grecorum imperii appendices in dies occuparent. Ema- 451
nuelem rex Stephanus dolorum et perfidie officinam donis et pe-
cuniis incendit, ut ichthyophagos et piscatores Grecorum imperii
anhelantes a temeraria audacia coereret neve pateretur nobilissi-
mam Romanarum coloniarum oram a Venetis occupari, qui magis
captandis hominibus quam piscibus incumberent, et, ni prospice-
retur, perbrevis fore, ut veluti pastoribus ab initio populi Romani
a Veneti principio talis imperii ac tanta fiat accessio, ut prius
Grecia cum Illyrico quam Italia et Pannonia hinc accipiat detri-
mentum. Iis Emanuel sat incensus, qui ultro crescentibus Italorum 452
rebus invadebat neque ceteris pre ingenito livore parcebat, quem
ex reliquiis Grece improbitatis plane conflaverat, fraudem haud
modicam commiscitur. Non tam publico edicto quam data fide 453
vulgo Venetos hortatur, ut per universum Grecorum imperium
mercimonias libere contrectarent. Quod cum illi solito more facti- 454
tarent, una cunctos die cum navibus et mercimoniis intercepti.
Quod ubi Venetis significatum est, ita populus universus conste- 455
rnatus est, ut oratores ad imploranda, quecunque concederentur,
senatus consulto destinaret. Instaurarunt animos viginti naves ne- 456
gotiatorie, que e Grecorum manibus et insidiis evaserant Venetias-
que re integra redierant. Quarum reditu sic omnium animi levati 457
sunt et instaurati, ut perbrevis omnibus, qui negotiandi causa ab-
erant, revocatis senatus consulto tanta et tam inaudita celeritate clas-
sis comparata sit, quantam ab inclinatione imperi Romani nus-
quam pari festinatione factam acceperimus, quando centum diebus
centenas triremes ac viginti naves onerarias fabricasse memorant,
quibus, ut aiunt, Iadrenses et Istri nuperrime recuperati denas 458
quoque naves longas Venetorum iussu adiecere. Hac igitur classe
Tragurium captum et invito Vitali Michaeli direptum ferunt. Eadem 459
quoque Ragusium occupatum, mox in Egeum pelagus navigatum;
incassum obsessa Euboa. Chius capta, ubi, dum Veneti promissam
ab imperatore pacem expectant, seva continuo pestilentia classem
invasit, que Vitalem Michaeli ducem vel invitum Venetias
redire coegit. Huius reditu infecta urbs universa tam seva conta- 459
gione correpta est, ut hoc dumtaxat morbo videretur absumi. Dux 460
convocata contione, cum ad consolandum populum prodiisset, impetu
mox in eum facto vulneratus excessit. Stephanus autem Ungarorum 461
rex Emanuelem ab omni pace revocare pergit, nullam cum Ve-
netis concordiam hunc pacisci patitur, catenatis laboribus et ope-

rosis expeditionibus ambitiosam urbem vexari cupit, Dalmatas clam sollicitat et clandestina arte, qui defecerant, Iadrenses, Tragurios et Ragusinos a Venetorum studiis ac fide revocare nititur.

Dum hec ita geruntur, Fredericus Aenobarbus in Italiam re-
 versus dissimulatis inimicitis et subornata benignitate, mansuetu-
 dine ac liberalitate adeuntes populos exceptit. Cum Guidonem Cremen-
 sem antipapam ab Etruscis aspernari audivisset, partem copiarum
 per Flaminiam in Etruriam misit, ceteram secum in Picenum agrum
 duxit. Acerrima obsidione circumvenit Anconam Emanuели paren-
 tem, ut ab imperatoris Greci studiis averteret. Interea Mediolanen-
 ses Cremonensium, Placentinorum et Veronensium auxilio urbem
 quam antea munitiorem instaurant. Et Laudensis nove urbis a
 Frederico edificate cives in bello sociali Lombardorum partibus
 accessere. Emanuel Alexandrum septimum iam annum pontifica-
 tus agentem dimissa re Veneta, quod Stephano regi molestissimum
 fuerat, per oratores dolosis artibus tentare cepit, ut ad
 redintegrandum Romanum imperium animum adverteret, quando
 fide ac potentia se Frederico Aenobarbo superiorem esse affir-
 mabat. Sperabat ob atrocissimum inter utrunque odium se id
 pontifici facile persuasurum. Interea populus Romanus a Germanis
 et Tusculanis magnam cladem acceperat. Quod ubi Frederico nunci-
 atum est, soluta statim obsidione Anconitana ad urbem properavit;
 in pratis Neronis castra locat, Vaticanum adoritur et accepisset,
 nisi a pontificia cohorte repulsus esset. Quod imperator egre ferens
 circumductis copiis Petri basilicam perfringere adortus et maiore
 vesania percitus ignem valvis et tecto supponi iubet. Editui re-
 formidato incendio postes patefaciunt ac furentem admittunt. Ale-
 xander ex Laterano Aenobarbi furorem veritus in proximas Fraiepanum
 domos, que Amphitheatrum et dive Marie nove cenobium
 cum Palatio complectebantur, se recepit. Mox a Guilielmo Normanno
 Guilielmi filio et Sicilie rege, qui ex paterno instituto parentis loco
 pontificem habebat, triremes tris cum ingenti pecunia accepit, quibus
 aut profuge aut defensionis adminiculis uteretur, pecuniam in
 Fraiepanes et Petri Leonis filios portarumque custodes plane distribuit.
 Et, cum se ab imperatore dolis peti intelligeret, primum
 Circeos, deinde Tarracinam, post Caietam et Beneventum petiit.
 Sub fugam pontificis pestilentia usque adeo seva imperatoris exercitum
 incessit, ut non modo in proceres et magnates, sed longe lateque in
 ceteram multitudinem effusa debaccharetur. Quare data
 pontifici pace, quam dudum abnuerat, primo Lucam, mox Terdonam
 Papiamque confugit. Deinde sociali Lombardorum bello, cum
 nullos alios preter Papienses, Monteferratenses et Terdonenses
 haberet amicos, Cisalpina fere Gallia exactus in Germaniam rediit.
 Mox Alexandria a pontificis nomine in eternum Frederici dedecus
 a sociis populis edificata. Quod anno sexagesimo octavo supra
 undecies centenum factum esse legimus.

Dum hec ita geruntur, Stephanus rex Ungarie, cum Emanuellem in persequendis Venetis deferbuisse et alio mentem intendisse

animadverteret, ipse quoque in re Dalmatica aliquantulum retepuit. Quod etiam domestica et intestina fraude factum est. Dux enim Ladislaus frater eius ac regis Bele ceci filius imperandi cupiditate tractus ad occupandam coronam animum intendit ratus facile fore, ut ea potitus regno quoque potiretur. Imprimis cum fidissimis plerisque rem communicat et surripiende corone clam consilium init, multos muneribus, officiis quoque quam plurimos ex optimatibus sibi conciliat; subducuntur urbes, clientele; populi et comitatus in diversa studia distrahuntur. Atqui, postquam favoris et presidii satis comparatum Ladislaus sibi arbitratur, surrepto variis artibus sacro diademate se verum regem neque etate neque virtute et paterna et propria regno indecorem asseverat. Suffragantur cum plerisque pontificibus multi optimates et accessit haud infrequens popularis aura, que facili motu veluti novitatis avida in utranque partem suscitatur. Stephanus contra rerum insolentia percussus novitati cessit per castella quedam munitissima divagatus, ut secessu potius quam instanti pertinacia intestinum bellum declinaret. Interea Ladislaus usurpata regni potestate potitus sex mensibus imperat, sed obrepente subinde morte salutis anno septuagesimo secundo supra undecies centenum Kalendis Februariis diem obiit. Corpus Albam inter maiorum monumenta relatum.

Nondum patruorum factio illa desierat, cum rege pristinam dignitatem post Ladislai mortem recuperare studente Stephanus Ladislai frater et Bele quoquo ceci filius intercessit, qui iisdem suffragatoribus usus tertio Idus Februarias usurpata corona decoratus est quinque mensibus ea potitus. Verum rex patruorum insolentiam non ultra tolerandam esse ratus suscitato tandem bello resistensque maxima ex parte optimatibus in eum castra movit. In duas partes divisa iam Hungaria intestinum bellum atque gravissimum molitur. At, ubi ad conserendas manus conventum est, tanta nobilium clades eo prelio patrata, ut nihil his temporibus Ungarie miserabilius accidere potuerit. Patruus tandem a nepote victus regno exactus paulo post in castello quodam, quod Zemlen appellant, Aprilis Idibus diem obiit salvatoris anno septuagesimo tertio supra millesimum et centesimum; corpus quoque Albam relatum est. Eodem etiam anno rex Stephanus Geyses filius quarto Nonas Martias vita excesserat, ne diutius corrivales regios eisdemque cognatos Pannonica fortuna toleraret. Exequie honorificentissime illi persoluite; corpus Strigonii conditum. Hunc annis undecim, mensibus novem, diebus tribus regnasse ferunt. Hec igitur de Stephano tertio expiscati sumus, aliud de viro quicquam, quando tanta scriptorum inopia bellicosa semper Pannonia laboravit, invenire nequivimus.

His etiam temporibus Emanuel Constantinopolitanus imperator apochrysiarium ad Alexandrum pontificem Beneventum misit, legationi maximam vim pecuniarum adiecit, quas, antequam verba faceret, in medium promeret. Post longam orationem illud tandem peroravit Emanuele Grecorum subiectionem potius quam utrius-

que ecclesie unionem ultro deferre, si corona Occidentalis imperii, qua Fredericus Aenobarbus pre nefariis facinoribus iure privatus erat, redintegrato imperio a Romano pontifice donaretur. Res a pontifice Alexandro non modo ad sacrosanctum cardinalium collegium, sed ad Romanum senatum perlata. Post multorum sententias id demum consultum est Emanueli coronam omnino abnegandam et delatam quoque pecuniam recusandam, ne inexplebilis avaritie causa belli sempiterni semina pontifex serere videretur. Iisdem etiam diebus Guido Cremonensis antipapa, quem Fredericus imperator ad Petri basilicam Germanico presidio munitum reliquerat, miseram animam efflavit, cui ab imperatoria factione Ioannes Syrmienis abbas ex superiore Pannonia natus vir pridem furtis et latrociniiis infamis surrogatur. De Stephano tertio hactenus; nunc ad Belam festinemus.

LIBER VII.

Residente cognato bello et profligatis Ladislai partibus redintegrata Pannonia, que diversa studia prius sectabatur, Belam tertium Stephani regis fratrem cunctis suffragiis eligendum exposcit, quando e superiore rege filius non supererat maturus regno. Accedebat viri integritas et iustitia munita severitate ac gravitate non mediocri, quod illa tempora intestini belli licentia depravata nimium postulabant. Nam furta passim et latrocinia patrabantur, facinorosissimus quisque grassabatur impune et in nulla crimina severe animadvertebatur; nam, qui sub rege quicquam sceleris commiserat, transfugiebat in Ladislai factionem et hac arte per impunitatem elabebatur. Contra vero illi, qui sub Ladislao erant, commisso scelere ad regem confugiebant; quin et uterque princeps non solum in mediocribus, sed in maximis etiam criminibus, ne a sue factionis hominibus desereretur, connivere cobeatur. Itaque, postquam Belam magna gravitate predictum ex more ac honorificentissime Idibus Ianuariis coronarunt, mox quisque publico edicto est admonitus honeste vite ac peccandi est inhibita vulgo licentia. Post edictum, cum fures, sicarii et latrones multi, qui diu facinoribus obcalluerant, nequaquam se abstinerent, magna severitate extremisque suppliciis multati sunt. Unde tantus facinorosos metus incessit, ut se impotenter nimis coercuerint, item et regi tanta hinc auctoritas et gratia comparata, ut hunc regem optimum fore cuncti predicarent. Et, cum reges antehac promiscue ac immodestius ab hominibus adirentur auresque indocte multitudini accommodantes modo garrulitatis fastidio modo loquendi inscitia afficerentur neque gravitatem pro dignitate servarent neque distincte iudicia enunciarent, hinc factum est, ut Bela primus petitionum ac precum formulas instituerit ex imperatorum pontificumque more et duos precum ministros asciverit, qui quotidianas petitiones ei secreto legerent rescriptaque manu regia responsa referrent. Unde optimus iudiciorum et gratiarum mos tunc Ungaris introductus.

Post hec regnum ex omni parte strenue tulatus nihil a fini-

timis adimi permisit. Tumulturia quedam et quasi momentanea cum Polonis et Bohemis bella gessit, Australes intra fines coercuit. Illud sibi animo semper erat infixum, quod et fratri et superioribus plerisque regibus semper inhesit, maritimam et nobiliorem Dalmatie oram, quam Veneti occuparant occupatamque sepius amiserant, ab Ungaris omnino occupari oportere neque ullo pacto patiendum socios Dalmatas in imperiosa Venetorum servitute iacere. Sed Venetorum tunc fortuna et auctoritas inhibebat, quam ex Alexandri et Frederici reconciliatione compararant. Duodevigesimum pontificatus annum gravissimus ille pater agebat et adhuc cum imperatore improbo nunquam consentire potuerat neque voluit, donec Venetorum opera pax postulata a Frederico data fuit. Quin etiam eo tempore Guilielmo regi Siculo quindecim et sociis bello Lombardis sex annis date sunt indutiae. Auctores pacis Veneti fuisse; ea Venetis honorificentissime transacta. Ubi imperator accitus, cum divi Marci vestibulum attingisset, dimissa humeris trabea supplex ac humi prostratus pontificis presidentis pedes deosculatus est, mox eius dextera sublevatus ad oris osculum admissus. Promulgata pace Ioannes Symiensis in Montis Albani latebras se abdidit. Ad hec Emanuelis mors intercessit imperatoris, quem ita Venetis infestum fratris exemplo esse noverat, ut Henricum Dandulum oratorem Venetum et legationem constanter agentem obiecto candente aeneo violato iure gentium occcecarit. Is Alexium filium imperii successorem reliquit, cui Agnes Philippi regis Gallorum filia sponsa erat, eique Andronicum regia prosapia oriundum ea conditione tutorem dimiserat, ut aliquot annis imperium pro puero administraret. Item ea tempestate inter Balduinum quartum Hierosolyme et Saladinum Turcorum regem prestantissimum gravissima bella gerebantur. Sed paulo post, cum Alexander pontifex rebus humanis excessisset, suffecto Lucio tertio res Hierosolymitane ac Grece in dies pessum ire occeperunt. Nam Andronicus imperandi cupiditate tractus navigantem laxandi animi gratia Alexium in mare demersit et tyrannidem subinde occupavit. Balduinus vero ingravescente pariter etate ac morbo, quando elephantia virum incesserat, Saladini hostis periculum, quem sepe fugarat, plus solito formidare ceperat. Quin etiam haud multo post tempore Saladinus Hierosolymitanum agrum magnis copiis ingressus tantum pecorum ac hominum abegit, ut magno detrimento Christianos affecerit; item maiorem Templariorum ceterorumque militum partem trucidavit. Quare auxilia afflictis Hierosolyme rebus per legatos a pontifice maximo postulata, que post mortem Lucii Clemens pontifex diligentissime curavit. Nam, cum per nostrorum discordias Saladinus vires adauxisset, post maximam Christianorum stragem Hierosolyma positur, quam post Gothfredum reges nostri octo et octoginta annos gloriosissime possederant. Audita sacre urbis captivitate festinata est ex hoc nimis expeditio in Palestinam.

Itaque iniquo tempora hec animo Bela rex ferebat, que belli Veneti occasionem intercipiebant, sed exoptata tandem advenit. Nam,

cum aureus magister Petrus dux Venetus, qui Pisanos ab Anconitanorum societate alienavit, qui eorum auxilio freti Venetis mare infestum sane reddiderant, ladrenses cogeret, ut metropolitam suam Gradensi patriarche redderent obtemperantem, id tam moleste iituleret, ut pre indignitate rei, quando non solum humana, sed divina quoque iura a Venetis in servitutem asseri conspicerentur, quarto rebellantes ad Belam tertiam plane deficerent. At rex audita defectione, qua nihil erat antiquius, comparato magno exercitu in Dalmatiam concessit. Munivit validissimo presidio urbem eius tractus prestantissimam et nonnulla eius municipia milite complevit. Exhilarati sunt hac novitate Dalmatarum animi et universa Pannonia gestienti quadam letitia completa. Contra Veneti ad primum nuncium usque adeo consternati, ut nil tristius unquam accepisse viderentur; ad Dalmaticum bellum et ad exigendas totiens violate fidei penas tunc patres omnes animos intendebant; rabie simul et vindicte anhelatione miserabiliter angebantur nilque impensius curabant, quam ut ladrenses expensis cumulatissime penis ceteris infidelibus exemplo forent. Unum obstabat exhausto nimis erario tam cito classem parari non posse. Difficultatem hanc maxima multorum patrum studia superarunt, qui publice potius quam private utilitati consulentes collata pecunia et adiectis quibusdam Rivalentinis bellicisque vectigalibus expediendam ocissime classem craverunt. Quae quidem comparata mira celeritate in Dalmatiam continuo navigatum et obsessa ladra insule facile recepte, sed in urbis expugnatione, quam Bela rex amplo presidio et com meatibus bene muniverat, omnis opera eludebatur. Sub menibus ex Venetis multi occubere; cum a continente urbem tentassent, erumpentibus Ungaris extemplo reiecti. Insulas facile receperunt, quia Ungarum navali apparatu parum posse constabat. Aliqui tunc Ragusium et Tragurium iuxta a Venetis defecisse opinantur, quorum opinioni ego minus accedo. Nam, cum ista Venetorum presidii completa amplissimis et ipsa longe minora forent, ad pristinam Ungarorum fidem redire nequiverunt. Bela igitur maritimam Dalmatie oram ita muniverat, ut omnem Venete classis operam prorsus eluserit.

Dum hec ita geruntur, tota Christiana respublica Hierosolymitana captivitate consternata convocatis principibus de recuperando sanctissimo sepulcro domini, quod in servitutem Sarracenorum reciderat, sollicitè decernit. Clemens pontifex compositis ceterorum potentatuum discordiis perbenigne Venetum Ungarumque hortatur, ut una cum ceteris Saladinum profanum hostem Palestina exigant neve privato bello sacrosancte ac pientissime expeditioni desint neque publice Christianorum calamitatis et turpitudinis ob privatas similtates ipsi auctores esse velint. Sedati pontificii diplomatis interventu utriusque animi. Bela, cum sine Veneta classe, qua ceteris illi prepollent, fieri non posse intelligeret, ne hostis Christiane reipublice et sanctissime expeditionis interturbator haberetur, suffragante pontifice cum Venetis duorum annorum indutias inivit. Belli principes ii fuisse traduntur imprimis Fredericus imperator, qui Henri-

cum filium cunctis, quas in Italia comparaverat, provinciis et urbibus plane prefecerat; item Philippus Galliarum et Ricardus Britannorum rex, Otho Belgarum dux cum plerisque prepotentium antistitum appendicibus; Pisani cum Venetis ex Adriatico sinu solvere, qui ante ceterorum adventum Ptolemaida obsedere a Saladino occupatam et terra marique graviter oppugnare adoriuntur. Fredericum Aenobarbum, qui suffragante Bela per Ungariam aliorum more iter fecerat, omnibus rebus adiutum Thraicio Bosporo in Asiam transmississe, Philippum et Corradum Messana, quo convenerant, solvisse ferunt; Ricardum gravissima tempestate iactatum in Cretam appulisse et secundum appulsum denegato portu universam insulam fuisse populatum; mox in Syriam profectum cum Philippo ad Ptolemaida iunxisse castra, quam superata Saladini classe ac fuso hoste recepere; Fredericum iniquiore fato usum receptis paucissimis Asiæ oppidis in minorem Armeniam venisse, descendisse temere in fluvium lavandi sudoris et sedandi estus gratia, ubi preclusis continuo vite meatibus spe frustratus interiit. Haud multo post, quamvis cum Saladino ab initio prospere pugnatum fuerit, dissidentibus tamen principibus Philippus in Galliam reversus est. Ricardus, qui in provincia remansit, bellum forti animo prosecutus tandem insequenti anno in Britanniam se recepit. Post Frederici Aenobarbi mortem Henricus filius ei suffectus a Celestino pontifice coronatur et in sequenti anno Solis defectus apparuit. Saladinus post longam Christianorum vexationem ac stragem Damasci diem obiit. Filii regnum, prout pater ipse legaverat, inter se divisere. Quod Saphadinus frater Saladini egre ferens, cum se in testamento pretermissum intelligeret, exactis liberis eius regno potitur. Paulo post Henricus imperator Siciliam occupavit et iisdem temporibus in Italia lapidibus pluisse ferunt. Subsidiarius ab imperatore exercitus in Syriam mittitur, qui proximo deinde anno mortuo Panormi Henrico revertitur. Quare Christiani, qui remanserant in Syria, auxilio destituti, quod reliquum erat domini, prorsus omisere.

Sed, ut ad Pisanos aliquantulum redeamus, cum triennio cum Venetis ardentissima emulatione commilitassent, ubi in Adriaticum sinum se retulere, Polam Venete ditionis urbem occupant. Quod Bela rex cum accepisset, ne mediocri quidem letitia affectus est, cum pactas biennii indutias iam exactas intelligeret, et, cum ipse terra nimis posset, qui mari quoque Venetos infestarent, accessisse nimium letabatur. Sed parum prospere res ipsa successit, quando tumultuaria classe Polam a Venetis properatum; urbs continuo capta et denudata menibus, ne Pisanorum receptus amplius esse posset. Deinde Methonem properatum, ut cum onerariis hostium navibus et cum his, que presidio illis ex Pola venerant, confligeretur. Paucis post diebus, cum illis pretereuntibus a Venetis occursum, pugnatum in conspectu urbis; fugato Etruscarum presidio onerarie due capte, unde pacem cum Pisanis secutam plerique tradunt. Bela igitur, qui Dalmatie nimium timebat et gravissimis Venetos expeditionibus distineri cupiebat, ne quid in Dalmatas molirentur,

increbrescente languore gravatus humanis rebus excessit regni sui anno vigesimo tertio, mense uno ac die undeviceno; item supersti- 61
tibus filiis Emerico et Andrea pientissimaque uxore, que Philippi
regis Gallie soror fuit, de quibus in sequentibus nonnulla refere-
mus. Obdormivit autem in domino Kalendis Maiis salutis anno un- 62
decenteno supra undecies centenum; corpus Albe inter monumenta
regum honorifice funeratum.

Post Bele tertii excessum Emericus filius omnium populorum 63
optimatumque suffragiis patri surrogatur, quando cum hereditario
iure viri probitas et prudentia ad creandum hunc unum omnes
hortabatur. Is, postquam regium munus obivit, omnia patris, que 64
ad coercendos mores et inhibenda flagitia pertinebant, in usum
diligentissime revocavit. Et non modo regno gubernando, verum 65
etiam propugnandis sociis imprimisque Dalmatis incubuit, ne quid
ex regno deterere videretur. Desponsatam huic ante Bele patris obi- 66
itum Constantiam Aragonie regis filiam annales Ungarici referunt
senatus apostolici permissu Henrico imperatori deinde coniugatam,
qui a Celestino pontifice maximo vocatus in Italiam venit; Con-
stantia uxor eum secuta est filium afferens quadrimum, quem pre-
ter opinionem omnium nimis annosa pepererat. Is fuit Fredericus 67
secundus acerrimus ecclesie prosecutor. Sed Henricus mortuo Tan-
credo infanteque Rogerio parvo habito negotio utriusque Sicilie
regnum accepit.

Dum hec ita geruntur, Veneti, qui cum plerisque oppidis lad- 69
ram olim amiserant, ne minimam quidem recuperande urbis occa-
sionem temere preteribant, sed huic rei potissimum intenti sub
aliquo pretextu honestatis hanc sibi ansam dari anhelabant. Inter- 69
cessit ad hec Hierosolymitana expeditio, cuius auctores Bonifatium
Monferratensem, Balduinum Flandrie Henricumque Pauli comites,
item nonnullos Allobrogum et Montisferrati duces memorant. Ii, 70
cum per Germaniam et Pannonias exercitus ductare nollent, quas
ea tempestate admodum fluctuare intellexerant, in societatem ex-
oratos Venetos admisere, ut eorum classe freti tutius et facilius in
provinciam pervenirent. Cum Venetias convenissent, absumpta ma- 71
iore ex parte viatici pecunia a Venetis aliam mutuati et ob eam rem
illis nimis obnoxii maxima subinde liberalitate afficiuntur. Quando 72
non solum eam, quam gratuito datam intelligi volunt, sed maioris illi
spem pollicentur, si in castiganda Istria et ladra infida, que Venetum
sepe imperium detrectarint, aliquantisper sibi adiumento esse vel-
lent, ad hec illi, quando Venetiis oberatos fere se esse reputabant,
hac victi munificentia non modo aliquam opem, sed, ut grati videren-
tur, extremas vires pollicentur. Iubent sexaginta sibi continuo 73
triremes expediti, quibus suos milites imponant; quod ubi a Vene- 74
tis factum est, his tot onerarie naves et diversa sunt adiecta navigia,
ut cum ducentarum et quadraginta navium classe Istriam et Dal-
matiam adorirentur. Quo ubi perventum est, imprimis Tergestini 75
aliique eius litoris accole, qui mare piratica infestabant, metu per-
culsi ad impetrandam pacem occurrunt, qui pacto tributo cum pace

veniam consequuntur. Pacata Iстриa repente Iadram, que ad Belam 76
 olim defecerat, classis admota Gallo milite completa. Hanc Emeri- 77
 cus rex Ungarie ex paterno instituto fortissimo presidio omnique
 munitione instruxerat, que a Veneta classe circumventa et ea, quam
 antea audita fuerit, longe maiore nequaquam propugnatore Ungaro
 tunc animo consternatur. Audacter obstat et presidario sepe cum 78
 agmine oppidani portis erumpunt, occurrunt undique innumera ho-
 stium agmina, multum utrinque sanguinis effunditur. Nunquam pre- 79
 lium sine maxima cede diremptum, nihil e tormentorum et machi-
 narum genere utrique pretermittere, que ad oppugnandam et pro-
 pugnandam urbem facerent; atroci quoque pertinacia dimicare. His 80
 omnino certum esse tueri urbem, contra illis recipere aut in obsi-
 dione ad interneccionem permanere. Multis mensibus Iadra oppu- 81
 gnatur et nunc mari nunc terra neque noctu neque interdiu ulla
 quies, immo ne respiratio quidem minima datur. Sed a continente
 omnis eluditur opera, quando non solum a propugnaculis et muro
 pugnare, sed pro menibus et quandoque latius inclinatis hostibus
 dimicare pergunt. Sepe castra, que in continente locarant, ab op- 82
 pidanis et Ungaris aducta audacia ita oppugnata sunt, ut intra
 vallum plerique transilierint, quin et de amovendis stativis non-
 nunquam cogitatum. Cum irritos a continente labores pre assiduis 83
 Ungarorum eruptionibus Veneti fore conspicerentur, a mari extre-
 mis viribus infestare statuunt, a mari propius onerariis et altis na-
 vibus circumvallant ac veluti castellorum circumsepto occidunt,
 admovent tormenta sulphurea et omnia tale genus et sine temporis
 intercapedine. Hinc menia quassant, quandoque etiam castella 84
 navibus imposita tam prope urbem admovebant, ut iaculis et sepe
 comminus dimicarent. Vexata diu civitas a mari iam labefactari 85
 ceperat et ita animis excidere, ut iam dudum hac hosti pateret
 aditus. Ungari assiduo bello partim absumpti partim, qui super- 86
 erant, victoriam Veneto haud incruentam relinquere decernunt. Cives 87
 assidue defectionis auctores desperatis rebus ac venia ad extre-
 mum dilabuntur et exilium ultro sibi perpetuum optant. Instant 88
 eo vehementius ad hec Veneti, quando nutantem dudum fortunam
 urbis et ruinam interminantem intelligunt. Ungari, cum civitatem 89
 clandestina fuga ab optimatibus destitui sertirent, quamvis ad ex-
 trema usque pugnassent, tamen, ubi hostem frequentissimum iam
 illac menia tenere conspiciantur, multis demum cesis a continentis
 porta facto agmine in oppidula quedam proximis montibus im-
 posita se recipiunt; Veneti interea amplissimo sociorum auxilio Iadra
 potiuntur. Primo aditu ex omni etate ac sexu multos trucidant, de- 90
 inde satiatas cede animis furor ille desidit, quod eo celerius opi-
 nione factum, quia novitatis auctores in urbe non invenerunt. In ce- 91
 teram multitudinem plane innocentem sevirere neque Henrico Dan-
 dulo duci neque sociis meliore causa commilitantibus visum est,
 quorum opera vesaniens omnis furor inhibitus. Quare Veneti de- 92
 mum Iadra potiuntur et sevirere hieme capte urbis amore apud
 Iadram hibernant. Ungari Iadra iam exacti in proxima se oppida

recepere.

Dum in Dalmatia tot populorum hibernat exercitus, ecce puer 93
 Alexius Isachi filius, qui patri sceleratas manus effugerat, advenit
 supplexque a Gallis ducibus ac Venetis opem implorat. Memora- 94
 bilium profecto rerum causa ab enarratione nostra distrahimur,
 sed, ut res cognitu facilior videatur, aliquanto altiuscule repete- 95
 mus. Prefuerat his temporibus Grecorum imperio Isachus, qui pre-
 ter superiorum imperatorum mores Christianorum amantissimus 96
 Gallis et Germanis gratissimum semper hospitium exhibuerat. Ale-
 xius huic frater erat, cui tantum indulserat, ut preter imperii no- 97
 men nil sibi reservarit, quin etiam fratrem, qui temeritate sua in
 barbarorum potestatem inciderat, ingenti pecunia redemerat. At 98
 ille ingrattissimus omnis impietatis compos et ceca imperandi cupi-
 ditate tractus Isachum execat dolo captum execatamque navicule
 imponit. Nondum hoc facinore satiatu Alexium fratris filium, qui 99
 nondum duodecimum annum excesserat, eodem quoque supplicio
 afficere studet. Precoci nepos Alexius prudentia fretus et paternis 99
 obtemperantissimus amicis, qui fuga querendam salutem suadebant,
 ad hibernantes in Dalmatico sinu Venetos et Gallos venit, pro libe-
 rando patre opem supplex petit imploratque et ea quidem condi-
 cione, veluti Galli Venitique iusserant, ut Grecam imprimis eccle-
 siam Romane subiiceret et pro damnis, que Emanuel olim impe-
 rator Venetis et Gallis intulerat, quindecies mille auri pondo ex-
 olveret; satisfaciatur pro nauo Venetis et his demum condicionibus
 postulata consequentur auxilia. Quibus compositis in Alexii auxi- 100
 lium cum maxima classe navigatum est.

Interea ladrenses optimates, qui ultro in auxilium se perpe- 101
 tuum asseruerant, Emerici regis opibus freti Adriaticum usque adeo
 pelagus infestabant, ut non extinctum capta ladra, sed redintegra-
 tum bellum videretur. Quare, postquam in Greciam navigatum est 102
 Alexii restituendi gratia, alia quoque Venetorum classis ad domi-
 tandos ladrenses exules, qui longe lateque et in Venetos quam
 crudelissimam piraticam exercebant, decreta est. Raynerio Dandulo
 Henrici filio duce ladrenses hi exules domiti. Accepit ex his libe- 103
 ros obsides, quibus acceptis patres exules in patriam reduxit hac
 inter utrosque pacta condicione, ut pretorem urbis, quem comitem
 nunc appellant, et metropolitam, qui Gradensi patriarche pareret,
 ladrenses a Venetis acciperent, item quotannis ter mille cuniculo-
 rum pelliculas tributis loco his expenderent.

Dum hec in Dalmatia geruntur, Veneti Gallique Byzantium 104
 applicuere, quam magno labore expugnarunt. Imperator Alexius
 paulo ante desperatis rebus intempesta nocte clam aufugit. Pate- 105
 facta imperatoris fuga Isachus e vinculis exolvitur in mediumque
 producit, Alexius eius filius patefactis portis cum magno plausu
 in urbem excipitur et una cum patre congratulante populo impe-
 rator consalutatur. Demum post varios Grecorum motus et mise- 106
 rabile fatum Alexii Galli ac Veneti Byzantio iterum potiti Baldui-
 num Grecorum imperatorem et Thomam Maurocenum antistitem

creant. Quarta pars captorum oppidorum Venetis assignata, que cum insulis Egei maris Cretam et Euboiam continebat. Sed de his hactenus, in quibus historie dignitas fortasse plus equo diversari iussit; ad rem igitur nostram redeamus et imprimis de Emerici matre et fraterno bello nonnulla ab Ungaricis annalibus premissa referamus.

Bela tertius sororem Philippi regis Gallie uxorem duxit, ex qua Emericum, de quo agimus, regem, quem aliqui per syncopen Hemicum appellant, et Andream genuit. Marie quoque soror ista fuit, que Ricardi Britannie regis ex matre soror erat Henricumque Hierosolymitanum regem pepererat. Quare Emerici regis mater Henrici matertera fuit, qui in Palestina regnavit. Hec igitur post Bele mortem ac initum Emerici regnum pre nimio divine caritatis ardore, antequam vita excederet, domini sepulcrum visere decrevit. Frequentissimum nobilium Ungarorum sibi comitatum delegit, quo instructa honestius in sancta peregrinatione versaretur. Succendebat ad iter nepotis desiderium, qui Hierosolymis imperabat; sed preter opinionem voto frustrata est, quandoquidem, cum Ptolemaida apulisset, paulo post itineris languore confecta diem obiit. Insuper in eadem urbe in commiserationis accessionem casus alius intercessit. Nam iisdem quoque diebus Henricus eius nepos Hierosolymitanus rex, cum in altissimo regie triclinio ad fenestras aulico cuidam innixus reclinaretur, improvise precipitio correptus interiit. Quare Maria, que late in Campania dominabatur, sororis ac filii morte confecta paucis post diebus pre dolore moritur. Cui Theobaldus filius nobilissime indolis adolescens in dominatu Campano successit. Audito matris et consobrini casu regem Ungarie maximus meror incessit, cum pientissimam parentem peregre defunctam et honestissimum fratrem intempestiva morte Asiatico regno defraudatum reputaret. Honorificentissima utrique iusta non modo ab Emerico in Pannonia, verum etiam a Philippo et Ricardo regibus in Gallia et Britannia persoluta sunt. Hec igitur his temporibus accidisse commemorant.

Non multo post initum imperium, ut Ungaricam rite historiam prosequamur, fraternal bellum in regia exortum aiunt. Nam, cum Emericus maior natu regnum, ut par erat, obiisset, iniquo id Andreas frater animo tulisse dicitur, quippe qui animi magnitudine peditus maxima queque anhelabat ratus ad imperandum se potius quam parendum esse natum. Primigeniture quandoque iura execrabatur, que regnandi sibi potestatem ademissent. Addebat dolorem Ladislaus e fratre nepos, cuius gratia non modo regni, sed ducatus quoque potiundi spes omnis adimebatur. Itaque facinorosa dolorem audacia amovere statuit. Cum nimis popularis et perhumanus esset, cum amicis primum, deinde cum plerisque optimatibus, quorum mira arte ac officio gratiam promeruerat, consilium inquit. Subducit multorum clam populorum mentes, fratri pro virili sua detrahit, damnat eius ignaviam et in populorum invidiam omni arte compellit. Non solum patrocinio et favore, verum etiam donis et

largitionibus e nobilium et prepotentum ordine quenque circum-
 venit, ut in suffragium sue dignitatis inductorare videatur. Compa- 125
 ratis igitur multorum populorum optimatumque favoribus, quando
 libere ac aperte rem aggrediendam censuit, fratri bellum indicit, in-
 structas in medium acies educit et Marte vindice regnum occupare
 contendit. Emericus rex fratrem neque litteris neque magnis inter- 126
 nunciis sibi conciliare poterat. Desperata tandem concordia, quia
 Andream proceres haud pauci novarum rerum cupidi ad intestinum
 bellum irritabant, aciem invitus instruere cogitur. Ad prestitutum 127
 pugne locum uterque convenit, ut collatis signis dimicaret, ubi Eme-
 ricus, ne cognati sanguinis auctor esset, multo gloriosius habitu ac
 verbis quam armis vicisse predicatur. Aiunt enim regem, cum ut- 128
 rinque acies instructe constitissent, depositis armis et stipatorum
 manu coronam sceptrumque gestantem per medias fratris acies in-
 cessisse talia dicentem:

Quis tandem erit ille, nunc agite, milites, qui sacrosancto re- 129
 gum sanguini manum iniicere ausit? Quis erit, qui divi Stephani
 numine in hanc dignitatem assertum ledere cupiat? Et, quando 130
 omnis potestas a deo est, quis est denique, qui regiam maiestatem
 vi aliqua fedare audeat. Cum se ipsi quoque reges pensitata digni-
 tate vel inviti colere ac revereri cognatur? Non Emericus sum, non 131
 privatus homo, sed divi Stephani vicarius, pronepos et heres publicam
 personam gerens, quem non tam vestra suffragia et hereditaria iura
 quam divi ac sacre huiusce corone numen me Ungarie regem presti-
 tere. In quem igitur, miseri, arma sumpsistis? In mense an divi Ste- 132
 phani successorem ac regem vestrum omnium ordinum suffragiis op-
 tatum? Si in me, quando homo sum, sicarii estis et homicide; si in re- 133
 gem et Stephani successorem, profani parricide estis omnibus suppli-
 ciis et piaculis obnoxii. Non cum mortali vobis res est, miseri, sed cum 134
 eo, cui pre divina dignitate supra mortalitatem aliquid accedit. Sub 135
 omnipotentis dei tutela reges degunt, quorum lesa maiestas vix popu-
 lorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma 136
 progredior, quando hec corona data divinitus ac sceptrum hoc, quod
 gesto, me inter furentum studia satis tutum efficiunt. Videte, quem 137
 leseritis, et, ne in caput vestrum ac filiorum sanctum sanguinem
 haurire videamini, prospicite, et considerate. Emerico omnino semel 138
 moriendum est, quamvis hac aut alia morte multum referat; hec
 mihi multo gloriosior, calamitosiorque vobis, illa mihi vobisque
 vulgarior. Fraternali levitate subducti profana et impia arma sump- 139
 sistis, sed temeritatis impietatisque notam, dum tempus est, sa-
 lutari tempestivaque penitentia abolete. Resipiscite, queso, ego sum 140
 rex vester ac pater, qui pientissima indulgentia et paterna oblivione
 facinora vestra delebo. Agnoscite patrem vestrum et, quam defero, 141
 execrabilis audacie veniam lubenter accipite et eum retinete regem,
 quem divorum numina et vestra sapientia suffragia designarunt.

His dictis omnium animi usque adeo mutati sunt, ut confe- 142
 stim arma posuerint, certatim quisque veniam implorarit insolentis-
 sime pertesus audacie, quam plerique magnates depravatis studiis

confovebant. Dum ad concordiam respiscunt omnes, Andreas per cuncta castra disquiritur, ut parem apud indulgentissimum regem veniam consequatur, cum omnes, qui commune crimen ingenue faterentur, ingenuam quoque gratiam invenirent. Cum is inter fugiendum delitescendumve a fortissimo milite et exploratore deprehenderetur, parum abfuit, quin primo ingressu interficeretur. Sed pro spectata regis clementia, qua non solum in suos, sed alienos uti videbatur, mitius, ac par erat, in Andream actum. Non tam a speculatore quam rege vita donatus, ut ex indulgentia fratris impunitatem assecutus meliorem imperandi modum addisceret.

In hoc Blondi Foroliviensis prestantissimi olim historici ac sane scriptoris de Romana lingua optime meriti errorem evidentissimum defendere nequeo, quippe qui annalium quorundam falsitate deceptus ab insectante milite Andream obtruncatum scripsit, quod a veritate prorsus est alienum, cum post Ladislaum ex fratre nepotem regnasse apud Ungaros evidentissime pateat et ipse quoque regnasse fateatur; qua quidem in re, nescio, an culpam annalium an eius oblivionem potius incusem. Verum indoctissimi ac incurii annalium magna ex parte scriptores tot gesta cum veritate sepe dissentientia prodidere, ut magnum in enarranda historia periculum quotidie subeamus. Quare eo mitiore in scriptores nostri censura temporis est utendum, quo indoctiores et investiganda veritate negligentiores fuere, qui falsis rerum commentariis ad describendam historiam posteros suscitaverunt.

De Emerico alia expiscari nequivimus, quando parum regnasse dicitur. Nam, cum adversa regem validudo incessisset, paucis post diebus condito testamento Ladislao filio superstite humane necessitati concessit. Annis octo, mensibus septem et diebus sex regnasse ferunt, anno autem salutis ducenteno supra millesimum Kalendisque Decembribus decessisse ferunt, cui mite ingenium et ne mediocris quidem animi tolerantia fuit. Corpus in Agriensi basilica, quando in eo agro diem obiit, condidit.

Ragusium, quod ad Ungaros a Venetis quondam cum ladra defecerat, iisdem fere temporibus Veneti receperunt. Nam Thomas Maurocenus, quem Constantinopolitanum patriarcham designatum diximus, cum in Italiam profectus ab Innocentio tertio pontifice maximo confirmatus esset, dum litus Dalmatie legens in Greciam redit, cum triremibus quattuor id incautum recepit instauravitque Dyrachium a Grecis imperatoribus destitutum. Item Henricus Balduini frater, qui in Grecorum imperio rite successerat ac una cum Bonifatio Monteferratensi inchoatam Adrianopolis obsidionem continuabat, Valacchorum interventu, qui Grecorum precibus sollicitati fuerant, ne urbem excellentissimam Latinorum manibus occupari paterentur, eam mox solvere et in Constantinopolim properare coactus est. Valacchi enim e Romanis oriundi, quod eorum lingua adhuc extirpari non potuerit, ulteriorem Istri plagam, quam Daci ac Gete quondam incolere, habitarunt; nam citeriorem Bulgari, qui e Sar-

matia prodire, deinde occuparunt. E legionibus enim et coloniis a 156
 Traiano ac ceteris Romanorum imperatoribus in Daciam deductis
 Valacchi promanarunt. Quos Pius a Flacco pronuntiatione Germa- 157
 nica Vlaccos dici voluit; nos contra ἀπὸ τοῦ βάλλειν καὶ τῆς ἀκίδος
 dictos esse censuimus, cum sagittandi arte prepolleant. Nonnulli 158
 Valacchie a Diocletiani filia nomen inditum censuere, que illorum
 principi nupsisse fertur. Itaque ii Grecorum precibus exorati Adriano-
 polim Latinorum obsidione liberarunt. Sed de his ista retulisse sat sit.

Secundum Emerici obitum Ladislaus tertius eius filius hereditario 159
 iure imperium inivit Ungarie, quem septimo Kalendas Octo-
 bres rite coronatum perhibent. Post initum munus non pro parvo 160
 negotio habuit pacare regnum novitatis avidissimum, quod etiam
 ex morte regis aliquantulum fluctuarat. Andree nanque patrii cona- 161
 tus nondum omnino desierant, sed brevissima interregni occasione
 invitati suscitabantur; verum, quod diutius anhelaverat, ex inspe-
 rato obtigit. Nam vix menses sex et dies quinque Ladislaus in re- 162
 gno exegerat, cum immatura morte surreptus diem obiit quod sa-
 luti anno primo supra duodecies centenum ac Nonis Maiis accidisse
 volunt. Intempestivus regis obitus pie ab omnibus comploratus est, 163
 exequie ab Andrea honorificentissime in Alba Regia celebrate ibi-
 que inter monumenta regum corpus honeste relatum.

Iam tempus postulat, ut ad Andream secundum veniamus, quem 164
 vere ad imperandum natura genuisse videbatur. Quippe cui neque 165
 animi magnitudo neque religio et consilium neque iustitia deerat,
 quamvis imperandi cupiditate, quod in fratrem, ut supra diximus,
 ostendit, plus equo estuasse videretur. Sed idcirco regnum immodice 166
 concupivisse dicitur, ut aliquid se ac maioribus dignum prestare
 posset. Post, ubi Ladislaus immaturo fato surreptus est, omnium 167
 suffragiis hic rex optatur. Vix nepoti iusta persolverat, cum antistitum
 procerumque consensu ac ceterorum votis rex declaratur. Vi- 168
 gesimo septimo secundum nepotis obitum die regiis insignibus Albe
 rite donatur. Mox ad regni administrationem animum intendit, quod
 multos plane annos pre iustitia et integritate sua pacatum habuit.
 Uxorem duxit Gertrudem nobili Alemanorum genere natam, ex qua 169
 liberos complures tulit, imprimis Belam et Colomannum, deinde
 Andream et Elisabetham pre vite sanctimonia universe posteritati
 perpetuo celebrandam. Sed omnem suam ac viri felicitatem Ger- 170
 trudis facinus interceptit perpetuaque ac memorabili nota se cum fa-
 milia sugillavit. Quod quidem scelus antequam ex ordine referamus, 171
 ut res cognitu facilius habeatur, nonnulla adiicienda esse duximus.

Cum ceteri Christiane reipublice principes sacram Syrie expedi- 172
 tionem sepe suscepissent Ungarieque reges interea partim cum
 finitimis bella gesserint partim domi otium servaverint, quandoque
 a pontificibus et sepius a ceteris est his obiectum haud multum
 probe facere, qui, cum eminentioris fortune ac dignitatis essent, in-
 utili vitam otio tererent, rem Christianam periclitari conspicerentur
 atque ceteris cum adnitentibus tum laborantibus nullum auxilium
 afferrent. Quin et hoc Bele sepius improbatum, qui, ut hac sugil- 173

latione careret, se quoque pro salvatore nostro commilitaturum vovit. Erubescerat enim haudquaquam mediocriter se Philippi Gallie, cuius 174 sororem sibi coniugarat, et Ricardi Britannie regis pretermisise militiam, atqui negotiis distractus variis aut morte preventus pium votum prestare non potuit. Hanc paterni nominis iacturam et obliga- 175 tionem Andreas filius resarcire solvereque decrevit, quod ut faceret, etiam, cum ducatum gerebat, mandato sepe pontificio sollicitatus est. Quin et multo magis paternis plerunque per noctem se manibus 176 sollicitari intellexerat, ut patrem voti nexu obstructum exolveret. Incidit in ea tempora Honorii pontificatus Christiane salutis quam 177 studiosissimi, qui, ubi Perusie Innocentio tertio successus est, nil sibi antiquius habendum esse censuit, quam labantibus Christiane reipublice in Syria rebus extemplo consulere. Quare, ne Grecorum 178 auxilio careret neve illorum dissensione res ipsa interturbaretur, efflagitantem Petrum Antisiodorensis imperatorem designatum ac Iolem eius uxorem in divi Laurentii ede, que in via Tiburtina sita est, Augustali diademate coronavit. Mox cardinalem suum Ioannem 179 Columnensem apostolice sedis legatum in Greciam ac Syriam declaravit. Confestim is urbe profectus Brundusium contendit, ubi imperatorem cum uxore adhibuit. Mox Veneta classe omnes Dyra- 180 chium navigarunt, quod Theodorus Epirotarum dux Venetis occuparat ac Petrus ultro se illis redditurum sponderat; quod cum obsedisset, inutili obsidione frustratus est et paulo post, cum in Theodori insidias incidisset, in teterrimum carcerem coniectus est. Cardinalis Constantinopolim profectus rem Christianam curans prin- 181 cipes undique concitat et prospicit, que bello sunt usui. Interea 182 Christiani principes, qui piam expeditionem ultro susceperant, cum magnis exercitibus conveniunt.

Tanti belli Andreas imperator declaratur, qui in hanc militiam 183 sacrosanctumque delectum primus nomen ultro detulerat. Ex his 184 isti potissimum nominantur post Andream dux Austrie Henricusque comes Nivernensis, item Gualterius Gallie regis camerarius, Milo Mantoliensis et dive Susanne vicecomes. Venetorum annales 185 Andream et copias Veneta classe in Syriam delatas ferunt idque idcirco a Venetis lubentissime factum, quando Andream vecture tantum beneficio ius omne Dalmatie, quod olim erat Ungarorum, sponte Venetis tribuisse asseverant. Sed id Ungarici subtrahunt an- 186 nales aut quia id regi cum Venetis nunquam convenit, aut immerito pretermisere, siquidem verarum ac gestarum rerum est historia. Adversantur Ungarorum testimonia, qui hec a maioribus ac- 187 cepere, commemorantium Andream regem Pannonia profectum Constantinopolim cum exercitu venisse, veluti ex his, que subiiciuntur, intelligi poterit, et per Bosporum Thraicium in Asiam transmisisse. Nanque legatus pontificius cum Iole Veneta classe Constantinopolim 188 advectus ibi copias omnis presuta crucis tessera signatas undique coge- 189 bat. Neque id sat verisimile videbatur eum sola angustissimi freti traiectione sponte Dalmatie iuri renunciasset, pro qua tantum sanguinis fuerat effusum. Cum igitur Andreas, cui auctoritate ponti- 190

ficia summa Christiane reipublice tradita fuerat, Constantinopolim
 appulisset ibique legatum apostolicum invenisset, dum ceteri duces
 convenirent, aliquamdiu socios expectare coactus est. Ibi quoque
 interea miserabilis casus intercessit perpetua memoria non indignus,
 in quo fortitudinem constantiamque suam Ungarie regem ostendisse ferunt.

Aiunt enim Andream peregre dudum profecturum, ut regno bene prospiceret, Bancbanum nobili Borum genere natum spectate fidelitatis ac sapientie virum universe Ungarie prefecisse, regiam gubernandi delegasse potestatem, commisisse illius fidei reginam, liberos et fortunas imprimisque admonuisse, ut iuste regnum administraret, nulli iniuriam fieri pateretur, cum finitimis pacem esse servaret; item otium et honestatem commendavit. Bancbanus traditam regni summam forti animo accepit ratus maximam sibi ostentande virtutis ac fidei occasionem obtigisse. Invidit fortuna viro et facilem propositi successum interceptit. Ecce ex Alemania Gertrudis regine frater advenit, ut sororem viri absentiam egre ferentem consolaretur; subsedit dies aliquot apud eam et variis mulierem illecebris oblectavit; faciebat id non immerito, quandoquidem indulgentissimam sibi semper fuisse noverat. Cum regina dies ac noctes Bancbani uxor versabatur mulier spectate pulchritudinis ac venustatis eximie, quam incredibilis pudicitia nimium exornabat; huius consuetudine Gertrudis admodum delectari solita. Repente fratrem matrone amor incessit ac eius multo magis pudore quam forma pellectus usque adeo perbrevis exarsit, ut efflictim illam deperiret. Regina intellecto fratris ardore pre temeraria quadam commiseratione, que femineo plurimum inest ingenio, ei nimium indulisit. Utrunque non solum in colloquium accersi iubet, sed ad convivium sepius invitat, cedit sepe colloquentibus et, quancunque sub aliquo pretextu honestatis potest, patrande veneris occasionem impartitur. Demum, ubi constantissimum femine pudorem haudquamquam labefactari sensit, in abdito eam cubiculo introducto fratre reliquit, ubi tandem illa violate pudicitie iacturam fecit. Subticuit misella facinus et ad virum reversa, cum prolis curande gratia ab eo amplecteretur, Quam, infelix, inquit, nunc mulierem amplexeris, uxoremne an olidam meretriculam? nempe, si uxorem, profecto deciperis, sin fedam meretriculam, imprimis ipse prospicito, an te coinquinatissimo scorto incestare contendas. Violatus, Bancbane, tuus torus est et, quam regine uxorem commisisti, proano lenocinio fratri violandam illa commisit, Hoc meo corpore, quamvis animus insons, me tamen nunc nunc exue, quod alieno potius quam meo scelere incestatum est. Proinde, ne animi corporisque mei inexpiabilis homicida esse videar neve tua dignitas hac turpitudine polluat, extemplo, Bancbane, queso, me interfice, ut violatum pudicitie numen ulciscare. Succensus his maritus dissimulato dolore uxorem consolatur, lacrimantem amplexus osculatur, exorat ob coniugalem amorem, quem non eius culpa, sed aliena libido leserat, subticeat communem turpitudinem, a qua se gravissimo, cum

Hinc magna Damiatam desperatio subit, que a soldani iam dudum fuga sumpserat initium. Item Caradinus Saladini olim filius audita soldani fuga Christianorumque successu retinende ultra Hierosolyme spem omnem abiecit, quam, ne Christiani captam retinere possent, diruere constituit. Manus a violando salvatoris nostri sepulcro temploque continuit, quod alii religione numinis, plerique inhihentium Christianorum civium gratia factum arbitrantur, cum Hierosolymam Syrii, Armenii, Ethiopes, Georgiani ac multi Asie populi nostre fidei cultores incolerent, quorum gratia Caradinum remoratum ferunt. Ad hec Andreas Nilo classem invehit iubet, ne quis urbi aditus pateat, item vineas adigit, circum plura quoque castella erigit; nullum machinarum genus pretermisum. Iam urbs oppugnari cepta nullo munitionis genere carebat, quibus freta forti animo resistit. Pro menibus oppidani pugnant, fossa procul hostem prohibent neque presidiis neque com meatibus per menses aliquot diffidunt; ultro citroque interea plerique cecidere. Itaque prima estas, hiems verque subsecutum ad Damiatam actum. Angebatur admodum Andreas et multo magis Gallici proceres militarem ad Damiatam operam hoc belli principio eludi, non dari cum soldano pugnandi copiam, quo, si fortuna tulisset, evicto in dicionem cetera facile concederent.

Dum exercitus dimicandi libidine Christianus estuat, circiter Idus lunias ex insperato soldanus advenit, ducit innumerum exercitum ac inter Babylonem et Damiatam castra locat, quacunque potest, arte munit ac nullam hosti quamvis irritanti pugne copiam facit. Ad sollicitandam hostis ignaviam, qui nisi explorata victoria in certamen descendere nolebat, invito tamen Andrea rege Gallici tantum proceres ex iniqua etiam pugnandi condicione cum Sarraceno milite prelium ineunt, ut aliquo dedecore aut damno, veluti iactitabant, soldanum afficerent. Temerariam Gallorum audaciam Ioannes rex Hierosolymitanus magis gentis consanguinitate quam ducis officio ductus fovebat. Quare Galli ad oppugnanda castra prorupere, continentem se intra vallum hostem contumeliosis clamoribus irritarunt; e propugnaculis contra prospectare illi, quot insultantes ii forent. At quota pars hostium a barbaro intellecta sic animum auxit, ut facta protinus eruptione Gallos adoriretur atque cum tanto agmine in iactabundam gentem irrueret, ut primo fere congressu non solum inclinarit, verum etiam fuderit, ceciderit, interceperit. Captivorum principes Gualterium regis Gallie camerarium, Milonem Mantoliensem et dive Susanne vicecomitem fuisse referunt. Ioannes autem rex Greco, ut aiunt, igni, quem facibus tragulisque Sarraceni immittere consuevere, manibus facieque combustus fuisse dicitur. Gallorum exemplo rex Andreas ceteros admonuit, ut non solum cum soldano, sed cum obsessa urbe pugnandi libidine absterent. Intelligebat enim urbem neque vi neque inedia capi posse. Divinum rex religiosissimus auxilium prestolabatur, ut inexpugnabili potiretur urbe. Nec spe sua frustratus est imperator, quandoquidem ceca urbem pestilentia incesserat. Fortasse quinto mense,

postquam male a Gallis pugnatum est, nonnulli milites prospecto urbis silentio portas propius accessere, ut, quid in urbe fieret, explorarent. Cum altum in propugnaculis et intra menia silentium intellexissent, sopitos primos custodes aut alia causa abesse arbitrantur, quare pedem sensim retulere, ut protinus asserendarum clam scalarum socios admonerent. Quod ubi factum est, porte propugnacula admotis scalis superant, obsistente nemine cohortem unam introducunt, securibus ac vectibus portas frangunt, cedunt, quicunque occurrerant, Sarracenos. Illicoque patefacta ceteris porta exoptata urbe potiuntur duodevicesimo obsidionis mense. Urbem ingressi, cum neminem viderent occurrentem, insidias primo dolumque ab hoste structum suspicantur; neminem in plateis et compitis offendeabant suspiciebantve ad fenestras. Verum, cum fora, vici, edes ac templa cadaveribus strata forent, calamitatem hec urbis illico indicavere; cum ab initio obsidionis septuaginta hominum milia ibi fuissent, vix e moribundis et validis tria in urbe milia eo die inveniri potuere. Andreas indictis supplicationibus ex antistitum consensu imprimis agendas deo gratias diligentissime curavit, cuius benignitate et auxilio sine cede vetustissima opulentissimaque civitate potiretur. Deinde, cum presidia portis et munitionibus ubique imposuisset, tamdiu in castris commorandum esse censuit, quo usque exacta pestilentis morbi suspicione celi salubritas instauraretur. Quam ob rem Sarracenis idcirco concessa salus, ut purgandi munus curamque susciperent. Exacta pestilentia Maumethi basilicam insano sumptu edificatam magne matri Marie virgini decreto pontificum dicavit episcopioque instituto antislitem prefecit. Soldanus, ubi ductu auspiciisque regis Ungarie Damiatam captam esse novit, solutis intensisque castris extemplo se in Cayrum Babylonemque recepit. Christiani primo vere sub Kalendas Februarias curato aere urbem ingrediuntur; postero die a legato pontificio cum singulari episcoporum pompa purificationis dive virginis sollempnia celebrata. Passim per vicos, plateas et compita faces cereique funales dispositi, ut dive par honor Victorie solveretur. Rex quoque eo die cum ceteris ducibus ingenti cum plausu militum ovans urbem invectus presedit sollempnibus et ad omnes aras deo gratias egit. Opulentissime amplissimeque urbis predam ingentem militi pro dignitate distribuit, cetera in divinum cultum et donativum erogavit. Retulit mox de agrorum divisione ad principum concilium, cum omnes id fore arbitrarentur, ut soldano Babylonia exacto milites, qui domos supellectilemque accepissent, eodem exemplo in eius coloniam dato nomine ascribi paterentur. Itaque super deducenda colonia et re agraria decretum factum est.

Dum hec ita geruntur in Syria, Petrus imperator Constantino- politanus in Theodori Dyrachini tyranni carcere diem obiit, cuius interim imperium Iole administrat. Mox Robertum Petri filium e Gallis accitum Latini proceres imperatorem declararunt. Pontifex Honorius superatis Tolose schismaticis divi Dominici opera extemplo eius ordinem confirmavit. Eodem quoque tempore Fredericus Ro-

manorum rex designatus defuncto Othone Romam rediit et ab Honorio Augustali corona donatus est. Qui, cum paulo ante Constantiam matrem improbitatis eius prudentissimam moderatricem amississet, veluti iam remissis habenis in omnem licentiam effusus multa in pontificem flagitia ac detrimenta molitur. Honorius improba huius pertinacia exacerbatus gravissimo iuvenem anathemate multavit.

Florebat in dies in Syria respublica Christiana, nam tantum animorum Christianis ducibus accesserat, ut soldanum Sarracenumque genus universum perbrevis conficere sperarent. Fecissentque opinione celerius, ni Ioannis Hierosolyme regis arrogantia intercessisset, que magnis ausibus moram aliquamdiu attulit. Is enim, etsi Damiatam suo regno subiiciendam esse credebat, nil tamen pensi habebat, quantum pontificio cardinali ac Andree sanctissime expeditionis imperatori tribuere deberet; non omnia illis presentibus et inconsultis ex arbitrio suo imperare par erat. Cuius quidem arrogantie cum a legato nonnunquam modestius admoneretur, ne Ungarorum regem ceterosque proceres offenderet, admonitionis impatiens sub pretextu brevissimi commeatus Hierosolymam proficiscitur; sequuntur multi milites hominem nec nisi exoratus ad reditum potuit adduci. Andreas interea cum reliquis copiis estatem ac hiemem Damiate exegit, sub ver Ioannes in castra rediit. Acta spe longior Damiate mora idcirco non inutilis est habita, quia ingentem militum numerum opulentissime urbis captivitate pellectum Genuensium, Veneta Pisanaque classis in Syriam plane convexerat. Sub regis Hierosolymitani reditum habito concilio placuit omnibus in Cayrum et Babylonem movere castra, quod Idibus Iulii factum est. Preter derivatum Nili alveum, quo Damiatam circumducitur, iter faciunt; dum Nilum subeunt, impositum ab hoste pontem offendunt, quem, cum modico munitum presidio conspicerentur, Andreas quamprimum occupavit. Postridie natalium Petri et Pauli apostolorum ad tertium a Babylone lapidem castra locat. Soldanus in Cayrum et Babylonem innumeram Sarracenum multitudinem sane contraxerat, que quamvis haud cito annonam carere posse videretur, Christianus tamen imperator, qui partim Nilo partim carris mensium fere quattuor commeatus advexerat, multo celerius armis quam inedia hostem superare confidit. Quare, ut descendat in certamen, soldanum in dies provocat, simulat metum hostis et perniciem in nostros inauditam excogitat. Ad hec duos circiter menses populationibus et excursionibus isti satiantur, at ille expectata occasione preterlabentem Nilum sub Babylone et Cayro altioribus etiam solito ripis coercet et, cum paucis post diebus ille opinione citius intumisset, extemplo defossis utrinque ripis inundationem amnis in hostium castra derivat. Effunditur diluvii more fluvius et altius altitudine cubiti cuncta superat, ex quo intolerabile nostris detrimentum inferitur, iumentis non solum pascua, sed allata quoque pabula inhihentur, corrumpuntur hominum cibaria, nihil denique in castris servari potuit, quo miles triduo aleretur. Incessit repente omnes exitialis inedia, quam nisi implorata pace evitare non poterant;

reditum inundatio prohibebat, qui pro locorum inequalitate et difficultate vadorum haud iniuria desperabatur. Solus per aggeres Nili patebat exitus et eos hostis tam crebris et validis usquequaque praesidiis occuparat, ut nullo hinc modo deturbari posset. Ad extremas demum angustias Christiani iam redacti cum fedis conditionibus pacem orare coguntur. Et, quamvis inedia mori maluissent, quam turpissima subire federa, tamen, quia ingentem ex interitu suo calamitatem Christiana respublica patiebatur et, quaecunque parta fuerant, pre tanto exitio retineri non poterant, communis tandem salutis rationem habuere. Missi ab Andrea rege oratores his pacem conditionibus ab hoste retulerunt, ut Damiatam cum rebus in ea repertis soldano restituerent, contra ille crucis partem Andree redderet; liberarentur utrinque captivi; Christiani Tyrum et Aconem redirent, quibus quidem urbibus annos octo pax concessa. Episcopium Damiate dive virgini dicatum eiusdem natalibus barbarorum reditu ad spurcas profanasque Sarracenorum ceremonias reductum, quod anno vicesimo primo supra duodecies centenum accidisse perhibent. Rebus Syrie ita compositis et Damiatam soldano reddita rex Andreas varia fortuna usus et cardinalis Columnensis legatus apostolicus, item dux Austriae ac ceteri fere omnes Christiani principes in Europam eadem, qua iverant, via reversi sunt.

In sequenti quoque anno Ioannes rex Hierosolymitanus soldani pace fretus Romam venit et ab Honorio pontifice amplissime donatus est. Cum Frederico secundo gravi anathemate multato hosteque pontificis affinitatem inivit, quippe cui filiam, quam ex Iole acceperat, despondit atque dotis nomine ius maternum gnate contulit, quod in regno Hierosolymitano Iole retinebat. Quare deinde Neapolitanis regibus hec ansa data Hierosolymitani quoque regni titulum usurpandi. Profectus in Hispaniam Philippi regis magnificentissimo testamento ditatus est, utpote qui sexaginta milia pondo argenti Hierosolyme regi, totidem militie templi totidemque hospitalicio prefecto legavit. Demum progressus in Hispaniam divi Iacobi templum ex voto visit. Duxit uxorem Berengariam Hispani regis filiam.

Andreas autem cum Ungaricis legionibus in Pannoniam relatus, ut eorum annales referunt, Stephani protomartyris et dive Margarithae caput, item Thome et Bartholomei dexteram, partem virge Aronis atque unam ex hydriis, in quibus aquam in vinum salvatorem nostrum mutasse ferunt, atque multas denique reliquias ingenti veneratione dignissimas in patriam retulit. Invenit regnum preter opinionem pacatissimum, quod divorum potius numinibus, quorum reliquias attulerat, quam regni prefectis ascribere videbatur. Reliquias ii potissimum antistites a rege acceperunt, qui Benedicti Erge filii monitu, qui regine olim ab epistolis serviebat, reduci obviam regi officii gratia prodire. Sed Andream regine mortis recordatio vix regiam ingressum continuo subiit. Inite tandem constantie tenorem servans, ut plerique dicunt, postero die Bancbano in iudicium vocato ius dixit. Intellecta uxoris culpa in exemplum servande pudicitie eam iure cesam iudicavit. Reus lese maiestatis

regie ac parricida supremi sententia iudicis absolvitur. Sed deinde ³⁰⁶
 in universam Bancbani domum miserabiliter sevitum, quando regine
 liberi inultam sue parentis mortem equo animo pati nequiverunt.
 Gertrudis corpus in Pelisio cenobio reconditum fuisse aiunt. Nec ³⁰⁷
 desunt plerique, qui post regine interitum gravissimas ab interfec-
 tore liberisque penas exactas illico prodiderunt.

Secundum Andree reditum anno, ut aiunt, nono Elisabetha ³⁰⁸
 filia virgo sanctissima Lodovico Turingie lantgravio eximia nobi-
 litate ac vite sanctimonia plane prestanti coniugatur. Hanc aiunt ³⁰⁹
 tam precoci religione fuisse, ut quintum vix annum nata pre-
 nimio sedule orationis affectu aris amoveri non posset; inter luden-
 dum cum puellis procidere sepe simulasse, ut deum, quem pre-
 oculis semper habebat, in horas illa supplex adoraret; lusisse ³¹⁰
 anulis et lapillis, ut facto lucro pauperculis opitularetur; harpaga-
 tam e parentibus vafre pecuniam pie miserabilibus erogasse; con-
 iectis in aram apostolorum nominibus, cum citate comites eorum ³¹²
 suffragia sortirentur, hanc Ioannis euangeliste nomen fuisse sorti-
 tam, cuius patrocinio ita exhilarata, ut nihil eius nomine quisquam
 incassum eam exoraret; perhorruisse vestimentorum luxum, delicias ³¹³
 muliebres; divinarum rerum contemplationi assiduo incubuisse au-
 divissequae prae reverentissime in sacris euangelia et salutarem sus-
 spexisse hostiam, incessisse nudis pedibus supplicationum die; oli-
 dis miserisque rogatoribus subridentibus sepe ancillis lavasse caput ³¹⁴
 ac nullum austeritatis et abstinentie, item pietatis et misericordie
 pretermisisse genus. Cum vir eius lantgravius Cremonam ad im- ³¹⁵
 peratorem Fredericum visitationis officio proficisceretur, sevienti
 annone caritate coactam esurientium turbam exinanitis horreis aluit,
 regiam miserabilium multitudine complevit. Maritus explorata sanc- ³¹⁶
 titate coniugis succensus liberam distribuendarum rerum ei pote-
 statem dedit, certatim Christianum officium prestitit. Quin et ³¹⁷
 illius monitis ac precibus excitatus divini cultus ardore Hierosoly-
 mam peregre profectus in sancta regione diem clausit. Post viri ³¹⁸
 mortem veluti dissipatrix et prodiga regnoque calamitosa a non-
 nullis eiicitur. Dum misella vagatur, in diversorium quoddam di-
 vertit porcorum olim haram. Post intempestam noctem proximum ³¹⁹
 Francisci cenobium adiit sacerdotes oratura, ut de hac insigni mi-
 seria pro se deo gratias agerent. Sed matertera sacrarum virginum ³²⁰
 prefecta eius exilium miserata ad Bambeburgensem antistitem illius
 avunculum duxit, qui hanc pie exceptam honeste retinuit, ut alteri
 quoque viro coniugaret. Diu cum nepte contendit avunculus, nun- ³²¹
 quam tamen pudicissima constantissimaque matrona proposito amo-
 veri potuit; quippe que, si qua vis nuptiarum gratia ab illo infer-
 retur, nasum sibi ipsa potius adimere decreverat, ut fedato turpi
 vulnere vultu secundum coniugium evitaret, quam obtemperaret
 avunculo et in humanam libidinem victa recideret. Dum in his ³²²
 versatur angustiis, ecce viri ossa ex peregrina Syrie militia refe-
 runtur, que cum singulari pompa prodeunte simul avunculo anti-
 stite collacrimans admisissent, tali commiseratione infestantis mole-

stiam declinavit. Post hec in divi Francisci se religionem asseruit ;
 cum contemptum humilemque habitum Veneto panno consutum sub-
 ivisset, miram in ea religione humilitatem pretulit. Cumulus hu-
 iusce miserie cum ad Andree regis aures pervenisset, quam primum
 filiam miseratus e proceribus unum ad eam misit, ut in paternam
 regiam reduceret, quod ille profectus nullo pacto exorare potuit.
 Instantissime deum quotidie orare solitam perhibent, ut humanarum
 rerum et imprimis liberorum contemptum, item contumeliarum pa-
 tientiam et constantiam miseriarum inspiraret, quo expeditius toto
 corde ac animo salvatorem suum coleret et amaret nihilque divina
 caritate duceret antiquius. Sanctimonie sue preceptorem Corradum
 virum ea tempestate religiosissimum habuit. In sanctimonialium
 cenobio non modo nendo lanam et texendo vitam humilem traxit,
 verum etiam sordidissima queque ministeria in humilitatis obser-
 vantiam exercuit. Quin etiam id sepe dicere solitam ferunt despec-
 tiorum, si inveniri posset, se vitam optare, ut deo placeret. Id tan-
 dem vite sanctitate et contemplationis vehementia consecutam af-
 firmant, ut se celum apertum vidisse, serenissimum consolantis dei
 vultum suspexisse, fuisse cum eo collocutam et arcana multa
 spectasse exorata quandoque fateretur. Et, cum pretextatum spec-
 tasset adolescentem, mox percontata, anne oratione sua ad ineun-
 dum salubriorem vivendi modum adiuvari vellet, cum ille volun-
 tati preces adiecisset, sic pro eius salute deum exoravit, ut divino
 statim ardore se correptum intelligeret. Quinquies mille argenti
 pondo, quod pro dote susceperat, partim in pios pauperum usus
 erogavit, partim in hospitalis diversorii edificationem impedit, quod
 in Marburgo adhuc oppido spectare licet. Ubi ipsam plerique me-
 morant pientissima egrotis ministeria prestuisse, lavasse pedes, tabi-
 fica ulcera curasse, subivisse sepe fullonie officium et languentibus
 calceos exuisse, item quotidie sordida verrisse pavimenta, stravisse
 lectos et nulla caritatis officia perhorruisse, inter hec sepe cum
 ancillis gratulabunda dicere: O quam bene nobiscum agit, ut
 quando dominum nostrum sic lavamus et tegimus; item lanam tor-
 quere, dum illi quiescerent, et questum hinc factum in calamitosos
 dividere. Cum Radegundis virgo spectate pulchritudinis et decora
 capillorum amplitudine predata visende sororis gratia xenodochium
 ingrederetur, hanc Elisabetha reluctantem apprehendit, auream illa-
 crimanti comam ex edicto succidit. Et rogata, num aliquando salu-
 brioris vite propositum concepisset, respondit: lam diu equidem,
 sed hec capillorum gloria revocavit. At illa, Carius mihi, inquit,
 est, cum capillorum tonsura omne tibi religionis impedimentum
 ademisse quam si filium ad Romanum imperium evectum audirem.
 Puella sumpto habitu cum ea in pio xenodochio vitam sanctissi-
 mam transegit. Ad postremum, cum pro contemptu mortalis regni
 iam celestia mereretur, Christum sibi in somniis apparuisse ferunt
 suavi adhortatione confirmantem. Veni, dilecta mea Elisabetha, in-
 quit, et apparatus tibi tabernacula subi. In febrem subinde cadens
 inter contemlandum exhilarata sepe visa, dum media nocte ageret

animam, qua hora Christus natus est, iam tempus, inquit, instat,
 quo clementissimus deus illos, qui amici eius sunt, ad celestes nup-
 tias evocabit. Et, dum hec diceret, in domino obdormivit anno ³³⁸
 salutis ducentesimo trigesimo primo supra millesimum. Quadriduo ³³⁹
 superfuit corpus eius, antequam humi reconderetur, fragrantissimum
 odorem aspirans, deinde sepulcro conditum haud multo post
 oleum emisit in administrate pietatis et misericordie testimonium.
 Confirmarunt mulieris huiusce sanctitatem multa post mortem edita ³⁴⁰
 miracula. In Saxonia Henricus monachus intolerabili membrorum
 dolore correptus in somnis admonitus, ut dive Elisabethe opem
 imploraret, invocato eius continuo numine curatus est. Puella Ma- ³⁴¹
 guntinensis, cuius mentem cacodemon inceserat, sepulcro eius
 imposita continuo liberata. Theodoricus Traiectensis contracte dex- ³⁴²
 tere morbo laborans occurrentis sibi senis consilio fretus adito
 divo tumulo et immissa manu repente convaluit. Hermannum quo- ³⁴³
 que Coloniensem reum capitis et in vincula coniectum, dum huius
 dive et Corradi preceptoris nomen invocasset, ab utroque insequenti
 nocte aditum non sine celesti lumine fuisse et miram a divis conso-
 lationem recepisse memorant; sed postero die damnatum a pretore ³⁴⁴
 suspendio ad tertium lapidem multatum fuisse, parentes impetrasse,
 ne filius honore sepulture privaretur; quo cum mortuum extulissent,
 implorato dive patrocinio in vitam continuo revocatum fuisse predi-
 cant. Idem Burchardo Maguntino in flumen demerso et Utelino Con- ³⁴⁵
 terraneo accidisse aiunt. Amissa quoque vita quadrimus infans hu- ³⁴⁶
 iusce numinis ope redonatus est, qui in puteum demersus vitam ex-
 tinxerat. Fredericum etiam Maguntinum in proximo amne suffocatum ³⁴⁷
 in lucem ista restituit. Ioannem quoque eadem urbe natum suspen-
 dio liberavit. Manum Bolemaro molari lapide contritam desperata ³⁴⁸
 salute curavit. Reddidit Maguntino infanti lumen, qui cecus natus
 erat. Beatricem puellam et struma et gibbo iuxta tumentem, item ³⁴⁹
 duas Gertrudes alteram claudam, cecam vero alteram integra vali-
 tudine reformavit. Quin etiam Henricum Maguntinum luminibus ³⁵⁰
 orbato et Matildim Treverensem visu, auditu, locutione gressu-
 que carentem, preterea Heliburgim cecitate pari laborantem Elisa-
 bethae numen omnes eque in optimam valitudinem restituisse fe-
 runt. Plura de sanctissima muliere dici possent, sed, ne ab ipsa ³⁵¹
 re longe divertamur, hec sit hactenus retulisse satis; ad Andream
 eius patrem redeamus. Audito filie obitu, quam inter divas deinde ³⁵²
 pontifices retulere, ingenti tristitia rex ille correptus est, quod filie
 prestantiam, ut par erat, non coluerit, quod illius humilitatem et
 iniseriam tolerarit. Vix annos quattuor post eius obdormitionem ³⁵³
 superesse potuit, nam corporis languor eum tantus invasit, ut pau-
 cis post diebus, cum annis quattuor et triginta regnasset, animam
 efflarit, quod anno domini tricesimo quinto supra millesimum et
 ducentessimum aiunt accidisse. Corpus honorificentissimo funere a ³⁵⁴
 liberis honestatum in cenobio, quod Egres appellant, condidere.

LIBER VIII.

Cum Andreas excessisset humanis, Bela filius natu maior ab 1
 Ungaris omnibus rex consalutatur. Comitibus regalibus rite habitis 2
 pridie Idus Octobris Albe in ede Petri, quam ipse dicarat, ex more
 coronatur. In ea celebratione Colomannus frater dux declaratus 3
 ensem pretulit. Daniel Ruthenorum princeps equum praereverenter
 egit. Susceptis regni habenis paternam equitatem et iustitiam reti- 4
 nere studuit. A principio regnum disposuit et pacavit, cum finitimis
 pacem coluit, sed apud Australes, ut infra referetur, invenire non
 potuit. Vix annos circiter quinque regnarat, cum Tartarorum ad- 5
 ventus, quos plerique Mangalos appellant, Ungarorum animos gra-
 vissime percussit. De quibus, antequam ultra prosequamur, haud ab 6
 re erit originem et incrementa referre, ne dire sordideque gentis
 ab Aquilone excitate in supplicia gentium initium ignoretur.

Tartari gens Scythica propriis sedibus egressi Georgianam im- 7
 primis, mox Armeniam maiorem vastarunt direptamque ac vastatam
 suo imperio subiecere. Incursarunt Persas et Asiam late populati 8
 varias regiones diripuerunt; traiectione subinde Ripheis montibus Sar-
 matiam late longeque occupant. Rapinis et incendiis Ruthenos, Polo- 9
 nos et Chunos afficiunt et numerosa fecunditate exuberantes Getarum
 iam et Dacorum fines attingunt. Nonnulli de Tartaris copiosius 10
 plura retulere hanc gentem Indie quondam regi solvisse tributa, sed,
 cum praeter tributa militie quoque stipendio gravarentur, id egre
 ferentes Chingista duce in Davidum regem coniurarunt et coacta
 innumerabili multitudine clavis et sagittis Indorum regnum invadunt,
 obtruncant omnes, qui occurrerant, neque sexui parcunt neque etati
 et, ubi ad regem perventum est, eum imprimis trucidant. Ex liberis 11
 neminem superstitem faciunt praeter unicam illius filiam, quam Chin-
 gista in uxorem duxerat. Necato rege successuque fortune eo insol- 12
 lentie evecli sunt, ut, veluti eius regnum facile occuparant, ita et
 universum orbem in dicionem suam haud difficulter asserere confi-
 derent. Quare ad Chorasminos sibi finitimos quamprimum nuncios 13
 miserunt, ut annua tributa persolverent, quod nisi facerent, igni ac
 ferro vectigalia solvere adigerentur. Prae indignatione illi nuncios 14
 interfecere, quare in eos continuo arma sumuntur. Exuuntur Chora-
 smini castris et in fugam effusi ac eiectione finibus se in Georgianam
 urbem Caspiis montibus finitimam et Tripolim ac Persida recepere.
 Mox inde expulsi ad internecionem cesi sunt, deinde capta ex aqua- 15
 rum inundatione Sapha urbe metropoli Persarum totum regnum
 sibi subiecere. Quin et Chaam apud Iberos et Albanos ample re-
 gnantem subdidere. Cum Christiani pro recuperando divo sepulcro 16
 gravi bello Sarracenos afficerent, ii a soldano e Perside evocati
 nostris ad internecionem cesis Hierosolymam receperunt, cuncta
 sacraria cedibus, stupris rapinisque fedarunt. Quare Tartaros haud 17
 iniuria nonnulli ex his fedis gentibus esse contendunt, quas intra
 montes Caspios duplici porta quondam Alexander obcluserat, quibus
 adstipulari fortasse non erit absurdum.

Verumtamen de horum effigie aliquid non immerito referendum 18
 est, cum gentis huius immanitas grato silentio preteriri nequeat.
 Homines sunt infausto trucique aspectu, maxima ex parte statura 19
 brevi, prominentibus crassisque oculis, quos palpebre late conte-
 gentes, cum parum aperiant, parvos ostendunt; item naso, fronte 20
 facieque lata; ad hec imberbes raris in superiore labro ac mento
 pilis in parve lanuginis similitudinem. Ad umbilicum ut plurimum 21
 angusti, mediocrem pauci staturam superant. Caput ex transverso
 ad utraque usque tempora radunt preter verticem et ad equine
 solee speciem rasuram obducunt. Radunt item occiput longosque 22
 capillos ab aure demittunt, qui quidem mos Turcorum, Sarrace-
 norum et Cumanorum olim erat. Insuper levi agilique corpore, bre- 23
 vibus tibiis cruribusque a pueritia equitare docti nunquam fere
 pedibus gradiuntur. Dum iter faciunt, etiam boves equitant. Esse- 24
 donum Hamaxobiorumque more pro domibus currus habent pel-
 libus opertos. Ranarum more gradatim non incedunt, sed aut tar- 25
 dissime aut precipitanter progrediuntur, quare pedibus parum valent.
 Mulieres turpissime pari feritate virorum more equitant. His equi 26
 dociles, qui hordeo non pascuntur neque soleis ferreis muniuntur,
 quibus etiam scisse nares et execti sunt testes. Horum oratio tu- 27
 multuaria et clamosa ac sola interrogatione fluctuans, in gutture
 verba figunt rabida. Si cantent, tauros mugire vel lupos ululare di- 28
 xeris. Incertas domos habent et erratiles, tentoriis utuntur, ad mon-
 tes estivant, hibernant ad maritimos campos. Magna his pecorum 29
 copia; corpora non minus palestra quam sagittatione exercent. Lacte,
 milio pulmentoque vescuntur. Pueros ab initio sic ad sagittandum 30
 in dies instituunt, ut cibum sumere non permittant, donec scopulum
 non attigerint. Equinum sanguinem in deliciis habent et humana
 sepe carne vescuntur. Venatores optimi, quando certissimi sagitta- 31
 tores. Feras loco motas pre se fugant ducuntque, mox in choree
 speciem veluti ludentes circumveniunt confodiuntque telis. Unius 32
 quidem dei fidem habent, nulla tamen religione, laude et oratione
 deum colunt. Sigillaria ac idola quedam humane imaginis ex cen- 33
 tone ficta ad utranque ostii partem locant, quibus ubera prominent,
 atque illa custodie pecorum et tutele preesse numina arbitrantur. Ho- 34
 rum beneficio lactis gregalis et pullorum gallinaceorum copiam pro-
 fluere credunt. Nonnulla quoque simulacra e serico formant, pre- 35
 figunt curribus et superstitiosius adorant; in quibus quidem cur-
 ribus si qui furtum fecerint, veluti sacrilegi indicta causa continuo
 trucidantur. Cum sigillaria talia facturi sunt, nobiliores mulieres 36
 cogunt, que non sine religione ac reverentia illa confingunt. For-
 mato idolo ovem mactant, combustis ossibus cetera devorant. Egro- 37
 tantibus quoque pueris pupas dicant ad lectumque suspendunt.
 Chiliarche et centuriones in media statione hircos habent, quos
 idolis faciunt primitiasque lactis iumentorum ac pecorum delibant.
 Cum celebrant convivia, omnium, que apponuntur, primitias of- 38
 ferunt. Cum sacrificant victimas, cor simulacro dicant; deinde id
 decoquunt ac devorant. Suo regi ante stationem magnum simu- 39

lacrum honorifice ponunt, cui equos, quos nemo deinde conscendit, dicant; mactant etiam animalia varia, que combustis ossibus devorant. Huic quisque preteriens se inclinare ac prevenerari cogitur, 40 quod cum Michael dux Ruthenorum facere recusaret, publice extemplo trucidatus est. Solem ac Lunam adorant, item elementa 41 quattuor, quibus ante prandium ciborum et potus primitias libant. Illud autem a Chingista primo eorum rege sancitum, ut, quicumque 42 propria insolentia percitus iniussu principum tyrannidem occupare ausit, indicta causa continuo obruncetur; item cum nulla usquam 43 gente pacem ineundam, que parere noluerit, neque unquam cessandum, quo usque aut rerum potiantur aut ad interitum redigantur. In fatis eorum esse annos octoginta pugnare oportere et regnare 44 duodeviginti, mox ab alia gente victum iri et, qui evaserint, legem illam suscepturos, quam victores plane servarint; insuper divinationibus, auguriis, veneficiis incantamentisque admodum obnoxios. Ad oracula demones alloquuntur. Eorum exercitus in chiliarchas, 45 centuriones et decanos digeritur omnis. Quin etiam Chaam generale est edictum, quicumque ab ipsis ac eorum servis capiantur, 46 licere in perpetuam omnes servitutem asserere et pro servis pro libidine sua uti et abuti. De viatoribus hanc legem promulgarunt: 47 Quencunque Tartarus Tartarive servus in via offenderit preter mercatorem Tartarica bulla signatum, ius eius habeto, in servitutem asserito perpetuam, donec a priore domino repetatur. Tartarorum 48 duo genera, glossemata quoque diversa, utrisque tamen lex una et ritus quoque unicus. Tantum insuper huic barbarie ac impietatis inest et arrogantie, ut Chaam regem suum dei filium audeant appellare, item pro deo hunc tantum in terris venerentur et adorent. Ex externis quicumque eorum regem adeunt, ter se inclinare suppliciter et ter capite terram ingeniculati quater ante solium coguntur. Omnes sibi inferiores arbitrantur. Somnia observant, 51 magos colunt et veneficos. Demones in idolis responsa reddentes adorant. Deum Hychoga nominant, dominum autem Chaam aut Chaiim, quem divino honore dignantur et timent. Ei primitias eque 53 ac deo ciborum potusque libant, eius responsa et imperia velut oracula observant et peragunt. Tanta quisque ipsorum estuat avaritia, ut nulla furta, rapinas, latrocinia, vim, usuram ac cetera tale genus pretermittant. Fenerat pro virili quisque sua, decimam crediti eris partem quoquo mense pro fenore exigit; item vectigalia crebra ac gravia. Nam tributa imprimis regi, deinde sacerdotibus, 56 post hec provinciarum prefectis nunciisque sollempnibus plane solvuntur. Neque desunt crebra xeniorum officia ac impense, que 57 quotidianis nunciis erogantur. Rusticus pro se quisque totidem totidemque sene pecudes. Pro acceptis muneribus nihil rependere mos est, quando omnia 58 sibi pre insolentissima immanitate deberi arbitrantur. Eorum manus 59 ad accipiendum semper prompta, ad rependendum contracta semper. Ob deperditam avaritiam greges et armente nutriunt, quibus 60 multo plus equo parcunt; ex his nullum sanum aut vivum pre-

parant ad esum et si quid horum devoraturi sunt, aut mortuum
 aut moriturum mutilatumve capiunt. Egeno ac rogatori nihil por-
 rигunt. Atqui hoc tantum aliqua ex parte laudabile servant, quod, ⁶¹
 dum in convivio versantur, advenientem quenque facile tolerant in
 mensamque excipiunt. Sunt etiam ineffrenate libidinis, nam non ⁶²
 modo in maribus et feminis, sed ne in bestiis quidem suam ve-
 nerem explere queunt. Infando Sarracenorum more pro libidine ac ⁶³
 facultate uxores plures ducunt. Nulla artissima coniunctionis ratio
 apud hos habetur; a matre, filia et sorore tantum abstinēt. A viro ⁶⁴
 nulla uxor reputatur, donec pepererit, et tunc dotem a parentibus
 accipit. Sterilis pro viri arbitratu haberi et explodi potest. Preterea ⁶⁵
 usque adeo immanes et efferati, ut nec senes reverentur nec mi-
 sereantur infantes. Sanguinem eque ac aquam haurire non formi-
 dant. Cadaverum iuxta atque excrementorum acervum reputant. Nul-
 lum immanitatis genus abominantur. Humanas carnes avidissime ⁶⁷
 devorant, exultant cedibus. Nihil ex immani genere mortis remit-
 tunt, commentantur dira supplicia. Dant alios precipites e rupibus, ⁶⁸
 alios posito supra saxum collo lapidibus excerebrant; nonnullis col-
 lum saxis usque adeo collidunt, donec acerbissima morte conficiant.
 Plerisque delitescētibus cultello cor transverberant, prosilientem ⁶⁹
 cruorem sugunt. Ac demum tam dira crudelitate utuntur, ut vix
 humanum credere possit ingenium. Sunt ad hec astu et perfidia ⁷⁰
 plus quam barbara. Cum aliquid obsident, blandiuntur oppidanis,
 hortantur ad deditiōnem ac multa denique pollicentur; voli com-
 potes facti promissa non prestant, captos partim cedunt, partim ⁷¹
 asserunt in servitūtem. In summa dolo magis quam viribus pu-
 gnant. Item victu tam fedo, ut pediculos ingenue gule reputent, nec
 non et mulas sterilitatis gratia, humanas carnes vel maxime inimi-
 corum, preterea canes, feles et lac pre ceteris equinum. Patinas et ⁷²
 ollas purgant nunquam, sordes et immunditias appetunt potius,
 quam abominentur. In Cumanorum bello, cum multos captivos ha-
 berent, pre dira humane carnis aviditate ad explendam corporis ⁷³
 ingluviem omnes decimarunt decimatosque percupide devorarunt.
 Habitu utuntur nigro genuum tenus, quo nec brachia nec latera nec ⁷⁴
 pectus nec aliqua pars anterior supra infraque umbilicum tegitur,
 item pileo in mitre speciem. Corio laminaque ferrea brachia mu-
 niunt potiores, galeas e corio fingunt. Pauci lanceis et scutis, arcui ⁷⁵
 tantum et equestri confidunt pernicitati. In certamen descensuri
 pernices quosdam equites premittunt, qui nihil rapiunt, nihil comb-
 urunt ceduntque pecorum, obnoxios dumtaxat obruncant aut fu-
 gant. Post hos immittuntur, qui predas agant, et ad investigandos ⁷⁷
 homines sagacissimi mittuntur. Prōspectis hostibus multi prodeunt, ⁷⁸
 qui, ubi in congressum venire, iactis tribus quattuorve telis conti-
 nuo regrediuntur ad suos, ut ad impositas insidias hostes alliciant;
 quod ubi factum est, eos circumveniunt et obruncant. Si magnum ⁷⁹
 adversus se exercitum conspiciantur, declinata pugna biduum tri-
 duumque retro cedunt divertuntque, aliam regionem invadunt et
 diripiunt; quod, si utrunque non successerit, duodecim dierum iter

retro abeundo faciunt. In munitissimo quandoque loco usque adeo 80
 morantur, ut furtim et ex improvise incautum vel divisum inimi-
 corum exercitum intelligant. Plus dolo et estu quam viribus pu- 81
 gnant. Principes in pugnam non descendunt, procul inter pueros et
 mulieres prospectant in equis. Quandoque humana simulacra equis 82
 imponunt, ut multo maius presidium habere videantur. Congressuri
 cum hoste captivorum aciem inter suas collocant. Hosti fortissime 83
 pugnanti fuge viam patefaciunt, quia aversos facilius quam adver-
 sos interficiunt. Cum aliquam invasuri sunt regionem, antequam 84
 ad eam perveniant, latissimum agmen faciunt, ubi nemo locum
 deserit, et, cum ad fines illius perventum est, noctu montes, qui
 circumstant, omnes occupant. Illucescente die pernices equites ad 85
 campos demittunt, qui passim cuncta discursent. Populi vero citato
 tumultu, qui ad montes properant, in insidias incidunt cedunturque.
 Sepenumero fortissimum nacti hostem fugiunt fugaque post se eum 86
 alliciunt, demum longo cursu defatigatum conversi adoriuntur et
 perimunt. Quacunque iter faciunt vastantque, confestim dira fames 87
 insequitur. Sepe in prelio dispersi ex industria, ut hostem admit-
 tant, mox admissum in sibilum coacti circumveniant et obrun-
 cent. In servos bello servatos imperiosissimi, quos non solum nudos 88
 sed assidua inedia laborantes in duro servitio ad mortem us-
 que retinent, pre libidine ac ludibrio impune sepe necant. Per- 89
 egrinam quanque religionem in ditione sua patiuntur, nam, cum
 nullum perquam peculiarem deum adorent, omnium opinionum
 sectas haud inique tolerant. Artificibus facile parcunt, ut ab his 90
 opera humano usui necessaria exigant. Virgines, matronas, mulieres
 iure belli comparatas miserabili servitio conficiunt, fame cruciant et
 ad foci ministeria retinent. Ex provinciis bello comparatis puerorum 91
 puellarumque decimas exigunt, quas pro servis habent et ex his
 morituri dudum domini deligunt, qui cum his vivi infodiuntur.
 Tartaree mulieres quam turpissime. Coniugate in sesquipedalis alti- 92
 tudinis canistri speciem rotunda quedam pilea a superiore parte
 latiora gestant hexamito sericove ornata, pavonum oculis, unionibus
 et lapillis exulta. Phaleratis equis insident; non solum auro, sed 93
 margaritis insignes. Quin etiam diversa operantur, ut puta pelliceas
 vestes, calceos, ocreas et cetera tale genus. Item currus ducunt 94
 reparantque, camelos onerant. Virorum more sagittas emittunt, pha-
 retrate equitant, ex equo pugnant et virilia queque officia prestant.
 Femoralibus veluti viri utuntur. Si quis e plebe letali morbo affi- 95
 citur, ad eius stationem tentoriumque hasta quedam erigitur pileo
 nigro prefixa; spectato signo intrat nemo; vita defunctum clam in
 campo sepeliunt, eum sub medio tentorio constitutum infodiunt.
 Item in sepulcro mensam ante illum, scyphum equini lactis et car- 96
 nis alveolum statuunt, adiiciunt quoque iumentum cum pullo et
 phaleratum equum, ut altera vita lac, iumentum et instructum equum
 habeat. Iumentum aliud comedunt eiusque corium completum stra- 97
 mine in patibulo quodam plane suspendunt, comesti equi ossa
 comburunt. Atque talia iusta gens dira persolvit. Si quis eminent- 98

tioris vir fortune vita excesserit, cum pretiosissimo habitu humi reconditur, sed ab hominum frequentia longe remotius in secessu, ne habitu suo reclusus spoliatur. Amici equum eius pelle exuunt, 99 quam stramine compleant completamque palo pefigant ac editissimo pro dignitate patibulo imponant; carnes pro inferiis comessantur. Triginta dies mortuum lugent. Principes, antequam expirent, 100 servum deligunt delectumque cum domino una vivum sepeliunt. Addunt plerique nonnulla, que humanam ferme fidem exuperant. Aiunt nonnulli Tartaros Christiana fide aliquantulum peditos esse, 101 qui parentes iam senio gravatos conspicati pinguibus esculentis eos inferciunt, ut ocuis suffocentur, mox extinctos igni adurunt collectosque deinde cineres diligenter asservant, ut his cibaria queque lautissima condiant. Diutius fortasse, quam opus erat, in Tartarorum 102 rebus, quos plerique Tatarros nunc appellant, versati sumus, ut novissime ac dire barbarie ritus incognitos enarremus. Nam, 103 cum anno salutis centesimo secundo supra millesimum propriis sedibus hanc erupisse memorent, mirum est, quomodo tam fedum ac execrabile genus hominum brevi tempore universam Asiam cum magna Europe parte igni ferroque vastare potuerit.

Bela igitur, ut ad diverticulum revertamur, iam Cumanos a 104 Tartaris non modo gravissime infestari, sed capi, cedi absumique acceperat. Post Cumanorum exitium Ungarie timebat, quod eo 105 magis facere cogebatur, quo pertinacius Australes Frederico duce quotidie bella interminabantur et sepe inchoata, sepe quoque intercepta fuerant. Dum Tartarorum tumultum formidant omnes, ecce 106 Cuthenis Cumanorum regis oratores adveniunt, Bele mandata deferunt. Cuthenem inquiunt diu bellum cum Tartaris gessisse et eorum 107 eruptiones fuisse remoratum, bis cum indomita immitique gente instructa acie dimicasse et fugasse hostem, tertio, cum imparatum offendissent, cum magna tandem suorum strage cessisse; Cumaniam 108 Tartaris inundatam ac obrutam esse, proinde impensissime supplicare, ut extorrem profugamque gentem equo animo excipiat, pro Ungaris tractet; quod si impetrare liceat, polliceri gentem suam 109 non modo agros et pecuaria curaturam, verum etiam Christianam fidem ultro subituram. Bela his auditis duplici gaudio confestim 110 afficitur, altero, quod princeps Cumanorum paulo sibi inferior in deditionem sponte veniat, altero, quod in accessionem orthodoxe fidei tot hominum milia ex insperato asserat. Respondet se Cumanos 111 non modo sponte excepturum eosque haud aliter ac Ungaros tractaturum, verum etiam gratissimum nunc hospitium audita eorum calamitate deferre, ne humanitatis et amicitie officio desit. Quare 112 non modo postulatis annuit, sed hortatur, ut in Pannoniam confugiant velut in antiquum hospitium et Christi fidem lubentissime subeant, cuius gratia omnem Cumane gentis iacturam se resarturum pollicetur. Ad hec oratores aureis vestibibus ac equis donat, prebet viaticum 113 ocuisque dimittit, religiosos comites adiicit, qui Cumanos publicis contionibus ad fidem nostram hortentur animosque disponant.

Cuthen tandem cum universa gente patriis sedibus emigrat, ce- 114

dit profanis barbaris et iter in̄it. Bela obviam in fines usque pro-
 greditur, ut profugum hospitem honorificentissime excipiat. Atqui, 115
 ubi Cumanus advenit, preter omnium opinionem gratissimo a rege
 excipitur animo. Sed, cum utraque multitudo simul iter facere non 116
 posset, quia nusquam una recipi poterat neque aspera gentis hu-
 iusce consuetudo facile ab Ungaris tolerari videbatur, unus e pro-
 ceribus a rege deligitur, qui Cumanos regio sumptu in mediam us-
 que Pannoniam duceret. Preter servitia quadraginta Cumanorum 117
 milia regiis impensis in Ungariam venire. E Cumanorum induc-
 tione haud parum invidie cum Ungaris Bela contraxit. Cum enim 118
 Cumani per Ungariam iter facerent, ducerent greges et armenta,
 agerent iumenta quamplurima et Ungarorum sata vinetaque gravis-
 simis incommodis affligerent, ne parum quidem eorum animos
 offendebant. Accedebant his longe graviore iniurie, que multo 119
 acerbius ipsorum animos offendebant. Nam, cum illi pagos et op-
 pida ingrederentur, nulla hospitalitatis iuris habita ratione hu-
 milium virgines passim violabant, audebant etiam occasionem
 nacti nobilium toros incestare. Dum graves ultro citroque inferun- 120
 tur iniurie, si quis Ungarus deferebatur, continuo supplicium expen-
 debat, si Cumanus, presentanea criminis impunitate elabebatur. Si 121
 quis regiam iustitiam ex Ungaris incusasset, indicta causa mox ad
 supplicium trahebatur. Quare tanta hinc in Belam suscitata est in- 122
 vidia, ut a peregrinis potius quam suis amaretur. Ne alie quidem
 invidie cause defuerant, que Ungarorum in regem animos exacerbant.
 Nanque Andrea patre mortuo, cum Bela antistitum principum- 123
 que consensu Albe, ut moris est, a Strigoniensi archiepiscopo co-
 ronatus esset, in proceres, qui patri adversus eum faverant, im-
 modice sevit, quando alios in exilium, in carcerem alios plane coniec-
 erat. Quin altius quoque seviens Dionysium palatinum excecarat. 124
 Edictis severitatem adauxerat, ut regnum sceleribus expurgaret. Ad 125
 coercendam procerum irreverentiam exceptis principibus, metropo-
 lilitis et episcopis sedendi in presentia facultatem edicto inhibuerat,
 sellas procerum inventas concremarat. Exulum quoque et captivo-
 rum cognati sibi admodum timebant.

Accedebant alie Bele regis calumnie, quod de his, qui in bello 126
 Polonico, Rutheno et Cumano bene se gesserant, preter instituta
 maiorum haudquaquam bene meritis fuerat et non modo bene
 meritos nulla villa prediove donarat, verum etiam donationes olim
 factas revocarat. Quare plerique nobiles usque adeo extenuati fue- 127
 rant, ut non solum familiam, sed vix se ipsi alerent. Augebat odium, 128
 quod nemo regem nisi per supplicationem alloqui poterat; magistri
 precum pro libidine sua causas expediebant et quenque extolle-
 bant deprimebantve, sicut odium, gratia et largitio cogeabat. Itaque
 sepe illud vulgo exclamatum non unum, sed plures Ungaris esse
 reges. Exacerbabant eorum animos Cumanorum honores immuni- 129
 tatesque a rege constitute Cumano cuique vel minimo patere sem-
 per regis aditum, petere, dicere, supplicare, quecunque vellet, pre-
 ferri ubique Ungaris et perbenigne tractari, contra Ungaro regis

aditum et colloquium interdici, per precum tantum formulas regem interloqui, eos pro liberis se pro servis usquaque tractari. Que quidem omnia ad seditionem potius quam obsequium Ungarus irritabant.

E diverso regis amici et qui regie dignitati favebant, Belam¹³⁰ excusabant piumpque principem asseverabant Cumanos communi Ungarorum consensu ac decreto in Ungariam fuisse admissos, quod in eo conventu factum est, qui in cenobio, quod Cevum appellant, ad Tibiscum amnem est habitus; et, ne quid a peregrinis iniuriarum¹³¹ acciperetur, Cumanos per oppida et vicos provinciaticim fuisse divisos; quin etiam regis comitibus mandatum, ut Cumano ac Ungaro eque ius dicerent, sine ullo discrimine uterque tractaretur; Cumanos divisionem hanc iniquo animo tolerasse, per regnum passim¹³² effusos commodo potius quam incommodo fuisse; quod de¹³³ optimatum aliquorum exilio et vinculis obiiciebatur, etiam illud non temere fuisse factum, quando procerum plerique tantum inter patrem et Belam odii et discordie interseverant, ut ad arma intestina sepe pervenerint; et, ni bonorum antislitum optimatumque opera¹³⁴ fuisset intercessum, patrem ac filium facinorosi sepe in prelium nefarium commisissent; hoc illos fuisse molitos, ut demum utrunque¹³⁵ regno eiicerent ipsique omnia inter se partirentur et pro sua libidine cuncta gererent; item varia Belam convicia et contumelias fuisse¹³⁶ perpassum et, quod multo gravius fuerat, eos adversus regiam maiestatem coniurasse; tabellarium ad Fredericum Austrie ducem continuo¹³⁷ misisse cum litteris, cui coronam et regnum se tradituros pollicebantur, si scripta pacta et condiciones admitteret; tabellarium¹³⁸ in itinere interceptum ad Belamque ductum omnia cum litteris prodidisse. Bela in coniuratos non extremo, ut par erat, supplicio¹³⁹ usus est, sed in eos mitius agens partim in exilium partim in carcerem et vincula coniecit, a nemine vitam exegit. Quod autem de¹⁴⁰ donationum revocatione obiiciebatur, ad hoc illi respondebant Ungariam in LXX comitatus, ut aiunt, fuisse divisam, quos reges benemerentibus conferre solebant, unde proventus et comoda multa suscipiebant, sed, cum multorum olim regum prodigalitate villis et possessionibus perpetua donatione dissipatis extenuatissimi forent comitatus ac parum commodi regibus solverent et cum questores, dapiferi, pregustatores, ministri ac denique hipparchi ex impetratis pagis et prediis locupletati forent, statuisset Belam, quecunque regii iuris fuerant, iniuste alienata omnino recuperare; in hac tamen re¹⁴¹ nemini iniuriam fecisse, regalia tantum bona recuperasse, fuisse benemeritis quam gratissimum; quod de precum formulis et sup-¹⁴²plicationibus eum criminabantur, id quoque falso obiici; in rebus gravibus cuique patuisse aditum; ut cause parvi momenti celerrime¹⁴³ expedirentur; petitionum formulas instituisse, quas vicarii definirent; graviore sibi reservasse, ne quis iure suo defraudaretur; quod¹⁴⁴ Cumanos rex observavit et nimia beneficentia fuerit amplexus, eum laudem potius quam viluperationem hinc fuisse promeritum, quando hospitalitatis iura summo studio coluit et, ut tot hominum milia in

Christianam fidem assereret, nullum officii genus pretermisit.

Vix igitur Cumani in Ungaria annum exegerant, cum Tartarorum rumor advenit eos iam vastata Ruthenia, quam pro Roxania Ruxiam nunc appellant, Ungarie finibus appropinquare. Bela huiusce rei sepius admonitus ad custodiendam Ruthenie portam, que Montana dicitur, comitem palatinum misit, cum illic Ungarie aditum esse nosceret. Quamprimum delectum habuit et nobilissimum quenque ad danda nomina convocavit; undecunque potuit, etiam auxilia evocavit, ut innumere multitudini, que Asiam olim inundarat et obruerat, non solum obstaret, verum etiam longe repelleret. Contra fictum hunc rumorem Ungari reputabant, quia sepe ante suscitatus continuo evanuerat. Nonnulli hanc famam ad revocandos antistites excitam predicabant, qui a summo pontifice ad concilium Romanum citati fuerant. Quin etiam Ugolinum Colociensem metropolitam a rege ab itinere revocatum fuisse tradunt. Complures ad exaggerandam regis invidiam talia commenta referebant Cumanos cum Ruthenis coniurasse, ex industria emigrasse in Ungariam, unde totiens bella et incommoda multa susceperant, ut eius mores addiscerent, imbiberent linguam et, cum Ruthenos Ungariam adoriri cepisse sentirent, ii Belam continuo aggredierentur ac demum Pannones exterminarent. Increbrescente Tartarico tumultu primo tempore Bela rex Budam venit, frequentissimum ibi conventum habuit. Ubi de imminente periculo, quod omnium iudicio gravissimum videbatur, diu actum et decretum est, ut antistes ac princeps quisque se ac suos ad bellum accingeret. Item ad observandum Cuthenem ac liberos et Cumanorum optimates propter suspicionem adiecte custodie, ne quid mali in Ungaros moliretur.

Nondum preceps ver erat, cum palatini nuncius advenit, qui Bele nunciavit Ruthenorum portam iam Tartaros attingisse. Paulo post ipse palatinus advenit, qui Idibus Martiis cum eis congressus ceteris cesis vix cum paucis evaserat. Rex audito Tartarorum adventu omnis mox optimates pro virili quenque sua copias comparare iubet, ipse exercitum, quanta potest, celeritate cogit. Stephano Vacienti episcopo, item Orodienti Canadensisque antistiti mandat, reginam confestim adeant admoneantque huiusce novitatis imprimisque ducem Austrie suo nomine exorent, ut ad eum continuo veniat. Quin etiam Cumanos omnis ad se venire precipit, ipse cum copiis, quas in tanto tumultu cogere licuerat, Strigonio Albaque profectus Pestum venit ibique ceteros optimates et antistites cum equitibus prestolatur. Retulerunt Tartarorum regum nonnulli nomina, qui in Ungariam irruerant. Regem regum ceteris predominantem Bathum appellarunt, cui Bochetor erat militie prefectus, item Cadan, Coacton, Pheycan, Peta, Hermeus, Chebus et Ochadar, qui maiores inter Tartaros reges censebantur. Fuere preter hos innumeri proceres, qui quidem omnes cum quinquies centenis milibus hominum in Ungariam eruperunt. Cum igitur populata vastataque Roxolania et Cumania, que in Sarmatia continentur, Ungariam ingrederentur, per quinque dierum iter nullum pagis et oppidis detrimen-

tum intulere, partim ne vastationis rumor ocissime ad Ungarorum aures perveniret, partim ne redeuntes commeatum inopia laborarent. Quare Bathus ex compositio per portam Ruthenorum, qua Ungarie fines ad Transylvaniam attingit, regnum adoritur profligatoque, ut supra diximus, palatino ultra penetrare contendit. Peta Poloniam adortus ceso duce usquequaque grassatus omnia ferro ignique vastat. Populata Polonia Bratislaviam Sclesie metropolim ac urbem nobilissimam aggreditur, diripit et incendit. Mox irruit in Moraviam parique feritate rapinis cedibusque omnia miscet, qua incensa in Ungariam descendit. Cadan inter Cumaniam et Rutheniam veniens per sylvas trium dierum itinere facto ad Rudanam in editissimis montibus sitam, ubi fodine auri et argenti erant, tandem pervenit. Cui Teutones multi, qui montana loca incolebant, lucri gratia armati obviam in sylvis occurrere. Cadan simulata fugacessit. Teutones, veluti fugato hoste letabundi rediere, exutis armis convivium celebrarunt et multo sese vino complerunt. Mox ex improvviso reversus hostis inermes incautos debacchatosque adoritur, pagos munitionibus carentes occupant facta utrinque maxima strage. In primo congressu Teutones desperata victoria extemplo deditionem fecere. Barbarus promissa salute Aristaldum illius regionis comitem sexcentosque eius milites suis copiis adlegit pariterque militare iussit. Bochetor cum ceteris Tartarorum regibus traiecto Zerecho amne ad Cumanorum episcopi regionem pervenit, quam fuso fugatoque mox colono occupavit incenditque.

Postquam Bathus in Ungariam ultra processerat, barbarica immanitate sevirere cepit, passim gladio incendioque grassatur, omnia diripit nec sexui nec etati parcat. Contendebat recta ad Belam, qui ad Pestum castra tunc habebat. Cum ad vigesimum lapidem Pesto appropinquasset, in Pestanum statim agrum multos immisit, qui cuncta longe lateque diriperent, homines interficerent et pecora cuncta abigerent. Rex, qui cum illis congregari cupiebant, hos semper inhibuit haud inscius eos arte potius quam dolo hostem eludere; quare plus equo timidus reputatus. Nam illi, dum venire credebantur, abibant, e contrario vero, dum abire putabantur, impetum faciebant. Ugolinus Colociensis metropolita rei huius impatiens iniussu regis adversus eos egreditur; contra illi terga vertentes paulatim cessere; instabat is a tergo. Ad palustrem demum convallem perventum est. Tartari levi armatura prediti facile traiecere. Cataphractus metropolitae equitatus pre gravitate incautus in paludem incidit, tenaci limo sic inheret, ut neque ultra neque retro cedere audeat. At illi ocissime reversi circumventa palude, ne quis elaberetur, sagittis omnes confecerunt. Vix Ugolinus cum tribus quattuorve evadere potuit. Reversus ad regem non plus doloris ex iactura equitatus quam ire, quod nullo subsidio fuerat adiutus, sane retulit. Hec pridie festorum dominice passionis gesta sunt, die vero dominico Vacia, que in ripa Danubii sita XX milibus passuum a Pesto distat, a Bathi copiis obsidetur, ubi rex erat cum exercitu, qui statim cum suis fuga salutem sibi comparavit. Sacerdotes, ci-

ves et ingens ex proximis pagis numerus cum liberis et uxoribus in basilicam arce munitam confugere; hanc primo impetu Tartarus expugnat, sacrum thesaurum et aurea vasa diripit, fanum sacris vestibus et supellectili spoliat. Captam multitudinem non gladio 183 barbarus conficit, sed impositam igni universam absumit, quare una cum salvatore nostro Vacienses extrema supplicia passos memorant. Dux Austrie Fredericus a rege evocatus, quemadmodum 184 supra diximus, cum paucis veluti huius rei nescius etiam inermis advenit. Cum una die, ut solebant, Tartari prope menia Pesti discurrerent, Fredericus obviam occurrit, illi ex more se in fugam vertunt, insequitur iste, unum hasta transfodit, alteri arrepto ense brachium abscidit, ceteri aufugere. Fuso demum hoste cum plerisque 185 captis ad Belam rediit, quare Ungari pro data nuperrime ansa maledicendi Australium ducem laudibus multis efferre, contra regem timiditatis arguere ac nonnullis calumniis sugillare ceperunt. 186

Irritavit quoque eo tempore deorum iram Ungarorum scelus, 187 qui variis criminibus Cuthenem insectabantur eum criminari Tartarici adventus auctorem fuisse; item, qui Ungariam invaserant, 188 non tam Tartaros, quam Cumanos esse; quare passim omnes in eum clamare Cuthenem ad supplicium posci Ungarici auctorem excidii; Belam pro salute omnium pugnare oportere, qui Cumanos 189 regni eversores tanta indulgentia foveret quibusque vicis et predia fere omnia dono dederat. Itaque rex Cuthenem accersi 190 iubet, ut cum ceteris Cumanis ac Ungaris Tartarico furori pariter occurrat. Sed Cuthen infrementem in se populum formidans Bele respondet se sine presidio regio, quod a manibus protegat Ungarorum, ad eum ire non posse. Ad hec infrementem multitudinem 191 in Cuthenis hospitium fit impetus; ipse ab Alemanis et Ungaris 192 cum ceteris Cumanis iuxta obruncatur. Capita e fenestris in populum proiecta et ius hospitii nefarie lesum. Alii hoc Frederico 193 duci Austrie imputant, pars Bele, ceteri Ungarorum vesania factum arbitrantur ac regem omni suspitione liberant; quandoquidem eum sacra fide initiverat ac in Pannonia tuto vivere 194 iusserat, itaque nihil ab illius probitate violata fide videtur esse magis alienum. Cum igitur Tartari maiori quotidie audacia et 195 immanitate grassarentur, metropolita in dies Colociensis apud Belam instabat, ut adversus hostes prodiret. Castris multarum copiarum adventu late refertis dux Austrie, quem Fredericum imperatorem fuisse, ut annales referunt, nequaquam crediderim, abiit, rex quadrato agmine in hostem egreditur. Cumani a rege 197 convocati, dum coirent, audita Cuthenis cede id egerrime tulerunt et, dum in diversa traherentur, undique in infensam gentem Ungari irruere, passim spoliare ac cedere ceperere. Contra illi una coacti 198 se fortissime tueri, incendere pagos et agricolas passim trucidare nullumque vindicte et crudelitatis genus pretermittere.

Dum hec ita geruntur, cum Bulzo Canadiensis episcopus et 199 Nicolaus Bore filius, item nobiles cum liberis et uxoribus in superiorem Pannoniam properarent, ut cum regiis castra iungerent, Cuma-

nos in itinere offenderunt. Atrocissimum utrinque prelium conseritur; Ungari numero impares, cum resistere ultra nequirent, cedere coacti ad internecionem fere omnes cesi sunt. Episcopus curru in-
 vectus propter morbum inter pugnandum aufugit. Cumani cum Tartaris icto federe Danubium transmisere. Iaurienses et superio-
 rem Pannoniam adorti igni ferroque vastarunt. Cumani pre ceteris seviebant; cum Ungarum interficiebant, Cuthenis, aiebant, gratia hoc vulnus accipito. Villam combussere, quam Francam dicebant. Sabariam diruerunt divi Martini patriam; nullum vicum intactum dimisere. Demum cesis hominibus abducto pecore cum ingenti preda in Bulgariam, que in inferiore Mysia fuit, iter flexere. Benedictus autem Varadiensis episcopus accersitus a rege comparato magno exercitu ad eum festinabat, ut nutantibus Ungarie rebus subveniret. Dum iter facit, Tartaros Agriam incendisse accipit; cum edoceretur superfuisse nonnullos, ut Agriensium reliquias legeret, dimisso exercitu cum paucis festinavit. Augebat eius audaciam recens victoria, quandoquidem superioribus diebus cum quibusdam Tartaris congressus facile fudit fugavitque. Cum hostes hoc plane sentirent, longam continuo fugam simularunt, deinde ad proximum quendam locum substitere, item, cum equos paucos haberent et ipsi perpauci forent, hoc stratagema commentati sunt. Humana simulacra ex distentis saccis effinxere, imposuere equis, ut equites viderentur, hos cum nonnullis sub colle relinquunt admonentque, ut, cum pugnam consertam senserint, subsidii loco continuo prodeant sumulata instructa acie et gradatim procedant. Ipsi in campis Ungaros opperiebantur. Qui cum statim adfuissent, pugna magno impetu utrinque conseritur. Bochus cum potioribus, qui cum episcopo venerant, acerrime dimicant. Tartari ex composito terga dedunt, versus collem fugiunt, prodeunt inde socii cum subornato equitatu; tunc illi, qui fugiebant, quasi resumptis animis se in instantes a tergo Ungaros convertunt. Bochus hostium insidias esse ratus cum suis continuo terga vertit, insequuntur a tergo Tartari sagittisque confodiunt, cedunt ad internecionem. Vix episcopus cum paucis Varadinum rediit, mox trajecto Danubio in tutiorem partem se recepit.

Cum autem Bela universas copias Pesti coegisset ac Tartari longe lateque cuncta vastarent et progredere in hostes, cedunt sensim et pedetentim, hic quoque gradatim insequitur; idoneam pugnandi occasionem utrique preripere student. Ad Sajum demum amnem perveniunt, qui haud procul ab Agria fluit aliquantumque vagatus in Tibiscum delabitur. In flumine castra locant, ad pontem presidium imponunt, ut pervigili, custodia transitum tuerentur. Tartari quoque trajecto amne iam dudum in planicie preter paludem quandam castra metati fuerant rati hac nullum sibi ab hoste periculum imminere, cum sine ponte palustria loca nequaquam traici posse confiderent. Interea rex Ungaros ad pugnam hortatur; proponit ante oculos publicum exitium ac immanem fere gentis crudelitatem, quam non modo audiverant, sed sepe spectarant; commemorat incendia, cedas, sacrilegia, inaudita supplicia, que

paulo ante patrarant. Ne premittebat quidem hoc dirum genus 219
 hominum pre divina ira e Scythia dimissum non modo Sarmatiam
 et nunc Ungariam, sed totam olim Asiam devastasse. Omnes tan- 220
 dem edocet ac monet, ut, qui his rebus non moventur, imminenti-
 bus tandem liberorum uxorumque periculis excitentur. Vesani con- 221
 tra Ungari regia monita parum attendere, obducere ad ea vultus
 et ludibrio cuncta habere. Item Bele fugam et calamitatem malle, 222
 appetere Tartarorum victoriam, ut posthac regi cariores haberentur,
 arbitrati pre immiti libidine non publicam, sed privatam hanc fore
 calamitatem, se, cum voluerint, facile omnia recuperaturos, veluti Cu-
 manorum et Bessorum tempore sepe olim acciderat. Rex interea 223
 mille quaque nocte milites circa exercitum excubare iubet haud
 inscius sibi cum insidiosissimo hoste rem esse; pontem, quo a
 Tartaro dirimebatur, diligentius custodiri iubet. Ille tandem in- 224
 vento loco, quo omnis exercitus vado transiri posset, paludes ex
 insperato clam traicit. Ante lucem castra Bele circuit, post hec 225
 extemplo elato clamore eminus dimicare omnes occipiunt, sagitte
 in imbris speciem a Tartaris emittuntur. Ungari, postquam se pre- 226
 ter opinionem ab illis obsitos conspiciunt, animo consternati us-
 que adeo confunduntur, ut nullum ordinem retinerent; pugnam pre
 timore conserunt, obruebantur telorum imbribus et nemo vallo e-
 gredi audebat. In tanta rerum omnium perturbatione aciem non edu- 227
 cere, sed ne instruere quidem poterat, quin etiam ipse cum Colo-
 ciensi metropolita neque precibus neque minis nec hortationibus
 ac monitis quempiam castris emittere potuit. Dum in tantis ab au- 228
 rora ad meridiem usque laboratur angustiis, Colomannus acceptis
 quibusdam, quos in tanta trepidatione poluit, cum regis frater
 esset, facto agmine in Tartaros irruit. Pertinacissimum prelium 229
 cum his init obruncatque nonnullos, dum se a lateribus adiuvari
 credit a suis; atqui, postquam se ab omnibus, qui in castris reman-
 serant, se destitutum respicit, cedente hoste ac data via cum suis
 evasit. Eodem exemplo exiere quamplurimi, quibus nullus interce- 230
 debat hostis; hos Bela in prelium exire credebat ac aliquantis-
 per opinione sua falsus haud mediocrem manum elabi permisit.
 Sed, ubi se iam desertum iri sensit, inter paucos insinuatus egre-
 ditur in proximamque sylvam se recondit. Colomannus per avia 231
 loca cum sociis Pestum se recepit, prepropera festinatione traiecto
 Danubio in Simigiensem agrum contendit. Postero die Tartari ad-
 ventarunt, Pestanos cum liberis et uxoribus partim igni feroque 232
 perdidere, partim fugam agitantem demersere Danubio. Bartholo-
 meus Quinqueecclesiensis antistes post Colomanni ac Bele fugam
 exercitus interitum conspicatus, quando magnam castrorum partem
 iam Tartari cremare ceperant, quadrato agmine cum ingenti equi-
 tum manu sibi viam fecit; a tergo insequuntur hostes. Dum ita 233
 laboratur, ecce Ladislaus inter Ungaros vir eximius et cladis hu-
 iusce nescius cum magno equitatu ad regem festinat. Antistes, 234
 cum amica signa agnovisset, ad hunc cursum declinat. Tartari, qui
 a tergo instabant, reformidato novi hostis occursum pedem retulere.

Ex insperato igitur Bartholomeus comitis adventu se a barbara 235
 captivitate vendicavit. Exercitus autem a rege et Colomanno cete-
 risque desertus a fera gente ad internecionem cesus. Nam, qui 236
 recta Pestum aufugerunt, in itinere interfecti sunt; qui in castris
 remansere, ab hostibus circumventi ad unum omnes oppetiere.
 Cesorum numerus fidem exuperat; ex his principes imprimis com- 237
 memorant Mathiam Strigoniensem metropolitam, cuius opera et
 consilio, cum simul educati forent, Bela in gravissimis rebus ute-
 batur; Ugolinum Colociensem archiepiscopum nobilissima prosapia 238
 editum, qui maxima queque negotia gerebat, non minus nobilitatis
 quam plebis amator moderatorque; item Georgium lauriensem anti- 239
 stitem virum illa tempesta te doctissimemet Reynoldum Transylva-
 num episcopum, episcopum quoque Nitriensem summa probitate
 peditum. Adiicitur his Nicolaus Scibiniensis Bele vicecancellarius, 240
 ut aiunt, qui, antequam occumberet, ne inultus obiret, ingentem
 Tartarum obruncavit; Heradius archidiaconus Bachiensis, Albertus
 Strigoniensis sacerdos pontificii iuris consultissimus. Sacrorum hac- 241
 tenus facta mentio; profane multitudinis haudquaquam fieri potest,
 que partim demersa paludibus partim telis incendioque absumpta.
 Diffusa passim cadavera trunca et in frustra dissecta cernere erat. 242
 Qui per pagos in divorum templa confugerant, ibidem concremati.
 Per duorum dierum iter prostrata corpora et cruenta terra videbatur. 243
 Quemadmodum pecorum greges longe lateque per campos effusi,
 ita iacentia passim cadavera spectabantur. Nusquam maior spectata 244
 clades nec strages insignior. Cumulatissimas improbitatis et perti-
 nacie sue penas Ungaria luit. Multas enim victimas humanas igni,
 aque terreque mactavit. Ingens equorum numerus, qui decidentibus 245
 pre vulnere dominis liberi vagabantur; et maxima spolia lecta.
 Hostis igitur non magis sanguine expletus quam preda ditatus est.
 Tartari insigni victoria potiti exuvias omnis accuratissime le- 246
 gunt unaque congerunt ac veluti frugum acervos in campum co-
 gunt. Dividunde prede rex cum delectis quibusdam proceribus 247
 preficitur. Sigillum regium ad secretarii cadaver inventum letabundi
 abstulere rati ad obsignandas in Ungarorum perniciem adulterinas
 litteras id fore accommodatissimum; astum plus quam barbarum 248
 comminiscuntur. Ad ceteros Tartarorum reges, qui nondum in
 Ungariam venerant, clarissimam victoriam significant; hortantur,
 ut ad ipsos properent, quando nihil esset in via periculi, ut ipsi
 quoque regni patentissimi partem sortirentur. Citeriorem Ungariam, 249
 que spectat ad Italiam, non attingunt, ne Ungari regnum deserant.
 Interea, ne ceteri Ungarie populi audita Bele fuga et insigni clade 250
 elabantur, quosdam juvenes, quos in bello servarunt, adulterinas
 Ungarice litteras Bele regis nomine scribere cogunt, quibus uni-
 versos populos hortatur, ne domos ullo pacto deserant, Tartaream
 feritatem non expaveant, nam, quamvis nonnullorum imprudentia
 impedimenta amiserint, perbrevis tamen cuncta recuperare sperat;
 proinde hortari ac iubere, ut omnes domi tuto versentur, deum 251
 exorent, ut profane multitudinis cito victoriam consequantur. Hasce 252

litteras Bele sigillo obsignatas per Ungariam diffundunt. Ceteri, qui superfuerant, cum litteris credidissent, pari immanitate absumpti sunt. Nam, etsi quotidie crebras hostium incursiones, rapinas, incendia 253 sentiebant, opinione tamen litterarum verarum amoveri non poterant, quare prius ab illis usquequaque circumventi sunt et ad interneccionem cesi, quam elabi possent.

Iam tempus instat, ut ad Belam redeamus, qui ante profligatum exercitum cum paucis elapsus in sylvas Poloniam versus fugam intenderat. Quin et fines Austrie studebat attingere, ut reginam, quam ibi dimiserat, alloqueretur. Dum ibi aliquantulum curandi corporis gratia substitisset somnumque exulis armis captaret, ecce dux Austrie, qui se ad officium venisse simularat, occurrit. Rex e somno statim excitatus viso duce, quem iam sibi reconciliarat, admodum recreatur. At ille dissimulata inimicitia scelereque ad 254 traiiciendum Danubium regem hortatur, ut propius ad tutiora loca confugeret, offerebat sua oppida, in quibus securum semper fore pollicebatur. Rex innocentie sue conscius, quecunque ille obtulerat, 255 quando tempus ac res ita postulabat, lubenter accepit. Ad proxima 256 quedam castella pervenere, ubi diebus aliquot peramice utrinque versatum. Deinde dux, ut conceptum animo facinus perpetraret, hinc sumit initium; a Bela quandam pecuniam repelit, quam sibi ab eo iniuste olim extortam querebatur. Rex intellecta facinorosi 257 hospitis audacia, ut maiora incommoda declinaret, quancunque in 258 numerato ere habebat, exolvit, ceteram datis vasis aureis argenteisque rependit et, ut illius libidini cumulatus ipse satisfaceret, tris regni, ut aiunt, comitatus Austrie finitimos adiecit, vasa gemmata multo pluris estimata pro bis mille pondo argenti ab ipso recepta sunt. Trini comitatus continuo dux possessionem accepit, 260 munivit subito adversus impetum Tartarorum. Nonnulli dena milia 261 pondo tunc exacta fuisse referunt, pauciora plerique. Hec pacta adiecto sacramento uterque munivit. Post hec ad reginam, que haud 262 procul aberat, Bela properavit, qua secum accepta mox Stephanum Vaciensem episcopum ad Romanum pontificem et imperatorem mittit, ut legitima ab utroque auxilia mittantur, ne obruta a profanis Ungaria cetera Christiana respublica periclitetur.

Interea in Segesdino agro cum equitatu, quem cogere potuit, 263 moram traxit. Postquam dux Austrie Ungaros undique in fugam conversos esse intelligit ratus sibi tempus dari ad ulciscendum nimis idoneum, coactum mox exercitum in Pannoniam mittit et veluti Tartari ulteriorem sic hos citiorem Ungariam vastare iubet. Iussi mandata faciunt, haud secus ac illi pagos incendunt, abducunt 264 predam et in homines frequenti cede grassantur, succendunt laurini suburbia et arcem capere pergunt. Interea e proximis pagis 265 oppidisque haud parva manus convenit, audito urbis periculo succurrit, Teutones arce politos invenit; quod, ubi aspectum est, usque adeo Ungarorum animos irritavit, ut hostes ad unum omnes 266 in arce cremaverint. Id ubi duci nunciatum est, illius adeo animum commovit, ut ceteris Ungaris, qui promissa immunitate incolumi-

tateque rerum omnium in Austriam confugerant, grave sub custodiarum pretextu stipendium imposuerit redegeritque ad tantam rerum omnium egestatem, ut hostibus etiam misericordiam excitarent.

Sed iam tempus admonet, ut ad reliquos Tartarorum reges, qui post primos Ungariam intrarunt, rite revertamur. Cadan rex alius, ut paulo supra diximus, expugnata Rudana captoque Aristaldo presidario prefecto ex eius militibus sexcentos delegit, quorum ductu per sylvas et avia preruptaque loca in Varadinum agium cum magna Tartarorum manu descendit, quo in Tartarico tumultu e circumiacentibus pagis innumera virorum mulierumque multitudo confugerant. Aberat antistes cum quibusdam ex ordine sacerdotum; ceteri, qui remanserant, pro virili sua civitatem, ne amplissimum pagum dixerim, sane muniverant. Arx urbis multo munitior, quandoquidem imposito presidio validissimo, item fossa et vallo ligneoque propugnaculo satis tuta videbatur. Ecce Tartari advenant, primo impetu civitatem expugnant, quando vallo septoque ligneo non muro fuerat obducta. Capta urbe ad cedem vir pariter ac mulier, puer ac senex iuxta rapitur. Nulla sexus et etatis habita ratio, sacra cum profanis eque mixta et incensa. Rogerius unus e collegio sacerdotum, ex cuius commentariis ista collegimus, cognito Tartarorum incursum confugit in sylvas, ubi aliquamdiu tuto delituit, ut huiusce exitii testimonium perhiberet. Populata urbe Tartari ad XXV milia passuum recessere, ut his, qui in arce remanserant, metum adimerent. Ne spe quidem et opinione sua frustratur barbarus, nam, quicunque in arcem se receperant, cum profectum hostem et dies aliquot nusquam apparentem prospectarent, omnino abiisse rati incensam urbem reficere, instaurare casas, suburbia resarcire ac securius civitatem die noctuque colere ocepere. At, ubi ferus hostis civitatem recoli et instaurari, presidarios quoque extra arcem confidentius quotidie observari intellexit, ex composito ante diem Varadinos iterum adoritur, offendit incautos, obruncat, quoscunque in urbe et suburbio deprehendit. Redintegratur misere civitati clades et plus quam diro flagello torquetur; ii tantum ex hoc exitio evasere, qui in arcem confugerant ac in sylvas se subtraxerant. Ad postremum Tartari instaurata urbe potiti arcem circumvenere. Ab altera eius parte dirutus murus erat, quem paulo ante resarserant; hac barbarico quodam ariete quassare occipiunt. Solvitur facile recens moles, que immatura nondum confirmari poterat; panditur hinc hosti aditus, intenduntur undique baliste, quibus arx gravissime oppugnatur; obruitur sagittarum imbribus ac demum allero die capitur. Sacerdotes ac nobiles ibi deprehensi partim cesi partim e murorum ruinis letali vulnere confecti deturbantur. Matrone, puelle, ceterum imbelles in basilicam confugerant rate in sacrario tutiores quam in profano loco futuras; confirmabat spem munitissimum templi edificium. Tandem iniecto igni una cum basilica universa multitudo imbellis conficitur. Ne aliis quidem fanis pepercere, in quibus nihil est profani facinoris et eferitatis, quod sexus uterque subire non cogeretur. Nobilitas, plebs

omnis et equester ordo cum collegio sacerdotum ad unum omnes
 pro menibus iugulati. Violata divorum monumenta, confracta simu- 284
 lacra sancteque reliquie conculcate omnes et pessumdate. Inaudita 285
 in templis commissa piacula, sacre vestres direpte, aurea argentea-
 que comminuta. Viri cum mulieribus, postquam satis ludibrio fuere,
 in basilicam introducti necabantur. Post tantum excidium, ubi 286
 recessit hostis, ceteri, qui in proximas sylvas evaserant et hucusque
 delituerant, ad desolatam patriam gravissima adacti fame conve-
 nere, si quid fortasse reperirent. Tartari pari iterum astu rediere 287
 neminemque Varadinorum reliquere superstitem, deinde absumpta
 materia cedis abiere. Rogerius, qui se inter nemora abdiderat, de- 288
 leta patria ad pontem Thome, ut aiunt, et Teutonum pagum, qui
 Chryso amni est impositus, pervenit. Mox ad quandam insulam 289
 divertit, quam adversus Tartaricum furorem, quicumque proximos
 pagos incolebant, quos Agyam, Vaydam et Geroth appellant, co-
 acti plane munierant; tris erant ville aditus, quos singule quoque
 turre protegebant; aliquot dies hic moram traxit. Deinde reformi- 290
 dato barbaro Chanadinum contendit, quod ad Morisium amnem si-
 tum est et quadraginta milibus passuum a villa remotum; civita-
 tem invenit superiori die a Tartaris incensam, qui alia via in Un-
 gariam penetrarunt. Quin et hostes longe lateque diffusos offendit; 291
 in die delituit miser et ingruente nocte per hostium turmas clan-
 destine iter faciens in insulam se recepit, quo cum redisset, hos-
 tes affore in horam accepit; refugit in sylvas, quod etiam fecere
 plerique. Tartari postero die insulam occuparunt, ex instituto suo 292
 omnes obtruncant. Qui in sylvis dudum delituerant, adacti fame in
 villam reversi deprehenduntur ceduntque, mox sagacissimorum can-
 num more in alios investigatum; deprehensi multi immaniter trucidati.

Cum innumeram illi multitudinem in sylvis fuisse conditam 293
 arbitrarentur, id commentum invenere. Quosdam Ungaros cepere, 294
 quos servarant; eos circum late dimisere cum his mandatis, qui-
 cunque ad prestatum tempus, quod ipsi prescripserant, sedes pro-
 prias repeterent, omnibus licere tuto esse domi, colere agros et
 curare familiam. Credidere his pars hominum non mediocris, quod, 295
 ut facile crederent, cogebat inedia, quare quicquid Ungarice mul-
 titudinis in spatium trium dierum itineris erat ample diffusum, hac
 stolidi fide compulsus domum rediit. Quin etiam, cum agende 296
 messis tempus instaret, annona ab his et illis eque curata Cumani,
 Tartari et Ungari mutuo versabantur. E parentibus filiarum, ex 297
 viris uxorum, ex fratribus sororum lenocinio quam plurimi vita a
 fedo hoste donati. Quin et, ut gratum Tartari lenocinium sibi fu- 298
 isse ostenderent, in eorum, quos diximus, conspectu illas sepe fera-
 rum ritu in propatulo inivere. Sedato furore immanitatis prefectos 299
 crearunt, qui ius dicerent, et hos canesios nominabant, quare ad-
 modum regiones iste pacate. Tribuebatur cuique ius suum, pro 300
 quo quidem beneficio impetrandave gratia venustissime quando-
 que puelle ad prefectos mittebantur, contra lenonibus ab his oves,
 equi, boves ac cetera tale genus rependebantur. Rogerius, ex cu- 301

ius commentariis, veluti supra memoravimus, ista collegimus, in cuiusdam prefecti clientelam se insinuaverat, ut partim salute private partim publice in tempore consuleret. Canesii quot hebdomadibus inter se concilium habebant; cum centum essent, centumviralis hasta videbatur. Ex his non multo post edictum promulgatur, ut ex pagis quibusdam mulieres cum pueris eque ac viri ad statutum diem ad centumvirale tribunal convenirent legitimaque munera conferrent. Plerisque id haud parvam suspicionem iniecit, et imprimis Rogerio, qui argutiore profecto ingenio fuerat. Iussi ex imperato convenere, duxere cum liberis uxores et ingentia munera contulere. Rogerius cum Tartaris quibusdam in eorum exercitum ad declinandam suspicionem proficiscitur. Multitudo, que ad canesios convenit, post oblata munera in vallem deducta ibique et spoliata et crudeliter trucidata esse fertur.

Nondum tot cedibus gens fera satiari poterat, quando stato die ceteros, qui in ulteriore Ungaria superfuerant, pagos adoritur. Cesis omnibus nihil incendunt, ut ad futuram hiemem commeatus haberent. Item populos quosdam aliquamdiu prestitere superstites, ut agros colerent, rem frumentariam vindemiamque curarent, sed partis uti ex edicto inhibitum. Post tot excidia Orodium et Chanaanum versus contendere. Novam post se Villam ex industria dimiserant, quam Pergen olim dixerant, item Cisterciensis ordinis cenobium, quod in castelli speciem communitum erat. In hec enim duo loca e finitimis pagis ingens hominum manus cum fortunis omnibus plane confluxerat, que quidem intacta dimisere illi, ut coactam denique multitudinem haberent. Interea circum omnia vastant. Si qui illuc accedebant, ab Ungaris illico fugabantur, quare hinc tanta horum animis adiecta est fiducia, ut afflictis rebus Ungaricis se tantum evasuros esse sperarent. Postremo destructis ceteris, qui circum erant, oppidis ac vicis ad hec duo loca Tartari rediere. Ut sine cruore suo hec expugnarent, primo captivos Ungaros, deinde Ruthenos et Cumanos in pugnam commisere, ipsi pro triariis erant, ut cum alieno periculo victoriam sibi compararent. Ungari, qui in prima acie pugnabant, cum suis miserime dimicare cogebantur; ridebant a tergo Tartari et gentili hoc prelio pre nimia letitia gestiebant. Septem igitur dies assiduo pugnatum, completa demum fossa Ungaricis Ruthenisque corporibus Villa Nova capitur. Cum omnes viros et mulieres in suam potestatem rede-gissent, in campum amplissimum deduxere, divisere bifariam, hinc rusticos, nobiles illinc, quibus postquam vestes, arma, pecunias et ornamenta eripuerunt, preter duas puellas, quas ad veneris ludibrium reservarunt, crudeli omnes feritate trucidarunt. Ii tantum superfuere, qui inter ceteros fedati sanguine inter cesorum corpora delituere. Post Ville Nove excidium cenobium Egres acerrima obsidione circumvenere, cui cum varias machinas admovissent, ad deditionem faciendam miseros compulere. Sed post deditionem, postquam in fede gentis venere potestatem, pari perfidia omnes interfecti preter monachos quosdam nonnullasque matronas formo-

sasque puellas, quas explende libidini reservarunt. Difficile pro- 320
fecto foret cetera inaudite immanitatis genera recensere, quando, que-
cunque crudelitatis facinora cum his conferantur, ne minima qui-
dem ex parte equare poterunt. Nimirum hec omnia dei flagella 321
sine controversia superarunt. Estate illa ad fines usque Austrie ac
Bohemie sunt cuncta Tartarorum inundatione vastata. Nam ulte- 322
rior Ungaria, Cumania, Polonia, Sclesia ad Danubium usque sunt
omnia late longeque exitio incredibili absumpta.

Tartari ulteriore Ungaria potiti ad invadendam citeriorem in- 323
domita libidine rapiuntur. Augebat estuantissimam cupiditatem 324
Strigoniensis prospectus urbis, que ceteris Pannonie non minus
opibus quam amplitudine preferebatur, quam si capere liceret, ce-
tera ad Adriaticum usque mare facile occupare sperabant. Ad hec 325
severitas hiemis addebat audaciam, siquidem paucis post diebus
crebris nivibus ac gelu Ister constitit. Frangebant e conspectu gla-
ciem quotidie Strigonienses, ne hostes strato amne transirent. Verum 326
vesaniente bruma factum est, ut omnis horum opera eluderetur;
constitit tandem amnis ac pedestre in eo prelium commissum. Tar- 327
tarus tamen ingentem equitatum glaciali pavimento, quod dolosis-
simum videbatur, credere non audebat; periculum haud ab re faci-
endum prius censuit. Barbarus plus equo vafer multa in ripam 328
armenta duxit ibique sine custode triduo dimisit. Strigonienses ho-
stem abiisse rati traiecto amne pecora cuncta rapiunt et in cite-
riorem ripam redigunt. Hoc ubi gens fera novit rata eodem exem- 329
plo se tuto equitatum amni, qui constiterat, committere posse, ex-
templo cum innumera multitudine ac omnibus impedimentis Da-
nubium sicco pede traiecit, universam ripam per multa passuum
milia numerosis equitatum turmis occupavit. Deinde exercitus bi- 330
partio divisus; pars, cui rex Cadan preerat, per vestigia Belam in-
sequitur, quippe qui omni auxilio destitutus in Dalmatiam sane
confugerat et, cum ibi tuto esse non liceret, in proximas insulas
traiecit ibique tutum dumtaxat ab omni barbarico impetu locum
invenit. Cadan Bele potiundi spe frustratus in Croatiam et superi- 331
orem Mysiam divertit, quam nunc Rasciam Bosnamque nominant,
ibique cuncta diripit, populatur trucidatisque colonis incendio ma-
gno usquequaque grassatur. Et vastata hac regione, ne quid in- 332
tegrum dimitteret, in Bulgariam descendit, quam inferiorem Mysiam
nuncupamus.

Cetera Tartarorum multitudo ad expugnandum Strigonium pro- 333
peravit; castra haud procul ab urbe locata. Cum urbem non solum 334
muro, fossa valloque, sed turribus quoque ligneis ac omni munitionum
genere instructam invenisset, triginta circiter machinas para-
ravit, quibus admotis urbem expugnaret, quam vario hominum ge-
nere frequentissimam intellexerat. Cum vetus regum aula esse sole- 335
ret, huc mercatores multi e Gallis, Germanis Italisque convenerant;
confugerant undique ex pagis et oppidis nobilium ac rusticorum in-
gens numerus, quare Tartaris obstare posse sperabant. Tertio die 336
captivis edicitur, uti fascem quisque suum ad menia portaret, ex

quibus adversum muris aggerem facerent, unde urbs propius oppugnari posset. Quare pro fossa urbis e fasciculis murum erigunt, 337
mox vineas tormentaue diversa admovent, balistas intendunt, quibus saccos egesta terra disientos addunt, fossam complent, turres lignas lapidibus diruunt, iisdem quoque obruunt oppidanos. Tu- 338
multus in urbe magnus extollitur, confusus pre timore populus diversus trahebatur, nemo menia tueri audet, ne aut lapidibus aut sagittarum imbribus obruatur. Ad hanc cives desperationem redacti 339
sunt, ut e senatus consulto suburbia incenderent, vestes cum equis omnibus concremarent, aurum et argentum ac cetera tale genus infoderent humi, ut nihil secum lucri dira turba faceret; quod ubi hostis intellexit, eo magis dentibus infrendit. Incensis deinde sub- 340
urbis in lapideam se omnes urbem recepere; hanc Tartari citra cunctationem obducunt, undique oppugnant, tanto impetu aggrediuntur, ut vix paucis horis obstiterit; deinde a propugnaculis reiecti cives in Tartarorum potestatem pervenere. Capta urbe tanta 341
ab hoste patrata cedes, ut nemo ex universa civitate preter quindecim evaserit. Supra omnium opinionem in omnem sexum elatamque sevitum, quancquidem vivos homines palo insulos porcorum instar igni assasse referuntur. Ingenue quoque matrone more 342
patrio exulte, que in unum palatium se receperant, ad extrema supplicia postulate se ad Tartarorum principem provocarunt, in cuius conspectum extra urbem mox educte, ut vita donarentur, suppliciter orabant, sed inexorabilem ac dirum hostem nocte prius spoliata, mox capite ad unam omnes multate sunt. Arx Strigoniensis, cui Symeon prefectus cum valido presidio tunc preerat, hostem tentata deterruit. Qua dimissa ad Albam Regalem barbarus 343
properavit, ubi cum scirent esse monumenta regum, mullum ibi auri et argenti e regiis donativis eripere posse credebant; sed hec eum frustrata fuit opinio, nam inter paludes sita nulla vi et arte capi potuit. Mox ad divi Martini cenobium festinatum, unde re 344
infecta abiere. Hec igitur tria loca tantum excidii Tartarici expertia fuisse testantur. In ceteriore Ungaria ne tantum quidem calamitatis illatum, quoniam stativa ibi nequaquam habuere; solum, dum iter facerent, quecunque fuere obvia, ferro ignique vastarunt. Rumor 345
post hec omnia non mediocris effunditur Tartaros statuisse Australibus et Alemanis abstinere manus ac publico edicto revocare castra, ut rebus felicissime gestis in pristinas sedes pedem referrent. Onustis igitur carris per populatas regiones, qua ingressi fuerant, 346
ea redituri iter ineunt, latebras quasque cecissimas investigant sagacissime, disquirunt saltus, ut, si quos ingrediendo dimiserint, egrediendo recipiant. Nonnullas ergo reliquias Ungarorum necarunt, sed Ungaria egressi per Cumaniam et Rutheniam ad pristina loca rediere. 347

Bela vero, qui in Dalmatiam effugerat, audito Tartarorum abitu, 351
quem vix credere poterat, ut afflictis Pannonie rebus pro virili subveniret dissipatasque regni sui reliquias cogeret, cum multis auxiliis in Ungariam rediit. Quin etiam, si quis e Tartaricis regibus 352

soli feracitate et amenitate pëllectus restitisset, his haud difficulter
 copiis explodi posset. Crucigeri nanque Rhodiani milites, qui sa- 353
 crosancta stipendia faciunt, item nonnulli Fraiepanum reguli, qui in
 Dalmatia et Croatia ad Savum usque late imperabant, excidium
 Pannonie miserati cum auxiliaribus copiis et validissimo equitatu
 regem in Ungariam restituere. Quare ob rem bene gestam non 354
 solum amplissimis privilegis, sed oppidis et pagis, ut diplomata
 regia plane testantur, honorifice donati sunt; hos M. et B. fuisse
 memorant. A clarissimis profecto maioribus isti degenerare noluere, 355
 qui, ut Romani sane referunt annales, in senatorio ordine prestan-
 tissimi semper habiti urbanis tandem factionibus in Dalmatiam se-
 cessere ac in eius parte regnarunt, quam lapidiam vocant. Sedem 356
 sibi Senie optarunt et inter Illyricos proceres principatum semper
 obtinuerunt. Reversus rex desolatum regnum offendit tribus, ut aiunt, 357
 annis a pestilentissima gente direptum. E destituto soli cultu tanta
 fames incesserat et ex fame pestilentia, ut, quicumque mortem cap- 358
 tivitatemve evaserint, inedia vel contagione raperentur. Quare Bela
 iniuriarum non immemor insignium, quas a Frederico perfido Au- 359
 strie duce preter equum et fas acceperat, suum exercitum et auxili-
 ares copias e Dalmatia ductas adversus eum duxit, ut a deorum
 et hominum contemptore cumulas, ut par erat, penas exigeret.
 Obsedit igitur ita vehementer Australem Neapolim, ut ad succur- 360
 rendum hostem adigeret. Pro menibus urbis prelium initum, in quo
 cum tanta, quicumque superfuerant, Ungari ferocia dimicarunt, ut 361
 Alemanos gravissima clade profligarint. Fredericus, ne impunitate
 scelerum elaberetur, cum Ungaro singulari certamine pugnans trans- 362
 fosso ore prostratus occubuit. Victor a rege honorificentissime do-
 natus est, cuius adhuc donationis clarissima extant privilegia Post 363
 hec victoria potitus Alemanica direpta maxima Austrie parte in
 Pannoniam rediit et ad pacandum regnum legendasque reliquias
 animum advertit. Diu in resarciendo regno versatus, veluti in di- 365
 spersis naufragii fragminibus ubique terrarum ac gentium disiectos
 Ungaros et plerosque homoagros iam factos mira pietate disquire-
 ret. Quin etiam equi domino carentes libere vagati sylvestres facti 366
 sunt, quo quidem genere Carpatii adhuc montes abundant iubato
 pedum tenus.

Post Frederici ducis interitum, qui sine liberis vita decesserat, 367
 ut annalium Ungarorum scriptores, qui pro imperatore ponunt, falso
 tradidisse videantur, soror eius Margarita, que Henrico imperatoris
 Frederici secundi filio nupserat et eo sine sobole functo in patriam
 redierat, Austriam hereditatem fratris accepit. Et iam anus facta ac 368
 sterilis Othocarum Bohemie regem virum accepit uxoris dote potius
 quam etate ac spe prolis adductum. Hic Primislai, qui tertio loco 369
 a Philippo imperatore Frederici secundi fratre coronatus est, filius
 fuit. Deçedente Venceslao fratre, qui natu maior erat, sine liberis 370
 Othocarus regnum inivit et quintus Bohemorum rex adnumeratur.
 Magno hunc animo et consilio non inutilem fuisse dicunt, item 371
 bellice artis et magnarum rerum cupidissimum. Cum igitur sterile

coniugium contraxisset, potitus Austria longe maiore imperandi cupiditate estuavit. Ingenti promissa pecunia Uiricum Carinthiorum principem adduxit virili sobole carentem, ut pacta mercede Carinthiam, Carniolam, partem Sclavonie, quam Marchiam nunc appellant, et portum Naonis hinc sibi mercaretur, quin etiam Veronenses, Feltrenses et Tarvisini cum multis Foro-Julianis ultro se huic plane subdiderint et stata quotannis stipendia solverint. Hic igitur ob Styriam, quam Ungari occupant, ac veteres inimicitias et presertim eas, quas ex Frederici ducis morte conceperat, Bele regi grave bellum indixit. Hortabatur ad id spes occupande Pannonie non mediocris, que afflictis Ungarie rebus nuper incesserat; addebat animos fortuna bellica, quam sibi semper equam et in inundatione Tartarica multo equiorem sortitus erat, quando illam pestem e Prussia forti animo sane repulerat, quam Ulmerigiam veteres appellavere. Urbem condiderat Chunigspergium a Monte Regio Germanice nominatam. Bela coacto exercitu in Othocarum arma sumere properavit, quamvis desolato id regno difficulter efferet. Bellum hoc Bohemicum, quod nonnulli propter exortum esse referunt, anno salutis ducentesimo sexagesimo supra millesimum initum fuisse annales prodidere. In Moraviam uterque convenit; Bela cum Stephano filio et Alpra Cumanorum duce huc venerat. Cum acies utrinque constitissent, collatis signis acerrime pugnatum. Plus auxiliiorum quam Ungarorum in prelio dimicabat, siquidem ad ultimum fere interitum Pannoniam Tartarus plane reduxerat. Cum alienis viribus raro victoria comparetur. Quamvis diu atrocissime ac pari Marte utrinque pugnaretur, Pannonies tamen multis cesis inclinari ceperere ac Bohemis dedere terga. Bela fugientem suum militem ac relictum equitatum conspicatus ipse quoque castris exutus terga dedit Haymburgumque confugit, quod tertio Idus Iulias accidisse scribunt. Aliqui Pannonum quattuordecim milia in proximum annum pre fuga demersa tradidere, quibus minime adstipulor, siquidem Tartarico bello ita effeta fuit Ungaria, ut vix Bele exercitus totidem complecteretur. Bela ingenita probitate pre-ditus ad pacem potius quam bellum natus esse videbatur.

Othocarus autem fusis fugatisque Ungaris insolentissimus iam dudum effectus vivente adhuc uxore legitima alteram induxit regis Moscovie filiam, que Cunigundis dicta est. Mox ab illis, qui eligendo presunt imperatori, ad imperium invitatus insolentissime recusavit, quare Rodolphus Habsburgensis comes ab his imperator designatus, qui Othocari magister aule quondam fuerat. Huic Othocarus cum Austriam renunciare cogere, quia feminei iuris esse non poterat, hinc bellum exortum, in quo Othocarus, ut paulo inferius referetur, occubuit. Cui Venceslaus filius vix annos septem natus sub Othonis tutela Brandeburgensis principis educatus quinto post anno in Bohemie regnum restitutus est.

Belam tot laboribus malisque vexatum revocemus in medium. Probum hunc principem ac religiosum nemo infitiabitur, bello infortunatum affirmabunt omnes. Instaurandam Strigonii civitatem

curavit. Pacato regno eiusque excidio pro virili parte resarto dive 388
 virgini, cuius numine servatum se esse sciverat, Strigonii templum
 regio sumptu dicavit, ut, ubi regiam habuerit, ibi post mortem qui-
 escere liceret. Ex Maria uxore, quam imperatoris Grecorum filiam 389
 fuisse affirmant, duos filios suscepit Belam et Stephanum. Ante
 patrem Bela obiit, Stephanus patri subrogatus. Itaque rex iam se- 390
 nio confectus ac potius malorum ingenti mole contritus ab anno
 salutis septuagesimo quinto supra duodecies centenum Nonis Maiis
 in Budensi insula diem obiit, quem universa Pannonia afflictim
 deploravit. Corpus Strigonium relatum est, ut in ede nobili, quam 391
 ibi edificarat, honorifice sepeliretur; pro magna ara e rubro mar-
 more sepulcrum erectum, in quo Bele regis ac Marie coniugis et
 Bele quoque filii corpora condidere. Post hec Philippum aiunt Stri- 392
 goniensem metropolitam suavissima illius memoria percitum Bele
 regis corpus ex hac ede usurpata licentia in suam basilicam trans-
 tulisse, ut regiam regio corpore tunc edem honestaret. Id divi Fran- 393
 cisci sacerdotes, qui edem curant, iniquissimo animo tulere, in Ro-
 manum hanc rem forum retulere. Agitata diu causa tandem iudica- 394
 tum, ut ereptum Bele corpus in pristinam edem metropolita refer-
 ret; item nostra tempestate non modo sepulcrum, sed inscriptum
 quoque id epigramma testatur. Belam igitur honestatis otiique cul- 395
 torem annos circiter sex et triginta regnasse perhibent.

Extincto Bela Stephanus eius filius hereditaria iure Pannonie 396
 regnum accepit, cui regis insignia omnibus tunc suffragiis haud
 immerito sunt reddita. Huic fortuna in bello non eadem ac patri 397
 fuit, quippe qui Australes et Bohemos insigni usque adeo victoria
 profligavit, ut paterni iacturam nominis in hac re magna ex parte
 resarsert. Quod, si diutius vivere licuisset, omnium profecto iudicio 398
 princeps optimus et clarissimus foret habitus; successum glorie in-
 vida mors et intempestiva interceptit. Othocarum enim, qui patrem 399
 Belam in Moravia superarat ac lesis finibus cum magno Bohemo-
 rum Australiumque exercitu regnum invaserat, quin etiam Brande-
 burgenses introduxerat, tanta clade ad Rapcham fluvium fudit
 fugavitque, ut parem pro patre vicem hosti retulisse predicetur. Mox 400
 in Bulgariam castra movit, que eius imperium detrectabat, ubi pau-
 cis mensibus inferiorem Mysiam ita infestavit, ut prede multum
 abduxerit. Demum, ne re infecta e provincia abiret, Budum eorum 401
 metropolim obsedit, tertio urbem mense expugnavit eaque potitus
 Bulgarorum regem cum universa Mysia stipendiarium sibi fecit.
 Mariam filiam Carolo Claudio Caroli filio, qui apostolica auctoritate
 Sicilie regnum occupavit, legitimo matrimonio collocavit. Ex qua 402
 Carolus Martellus natus est, qui, ut deinceps suo loco referetur, e
 Clementia Rodulphi imperatoris filia Carolum genuit Lodovici regis
 patrem. Ad postremum tertio sui regni anno excessit humanis; in 403
 magna insula diem obiisse ferunt et in insula Budensi ac in ede
 dive virginis pontificum permissu sepeliverunt.

Ladislaus, quem Chumum deinde Ungari cognominaverunt, 404
 Stephani quinti filius vir atroci ingenio et animo magno belli po-

tius quam otii cupidus, honestati parum intentus proprieque libi-
 dinis moderator exiguus codem, quo pater mortuus est, anno om-
 nium consensu regnum suscepit ac rite coronatus est, quod anno
 salutis septuagesimo sexto supra duodecies centenum fuisse legi-
 mus. Haud multo post initum pacatumque regnum Bohemicum bel- 405
 lum redintegratur, quod Stephani superiore victoria extinctum esse
 videbatur. Nam, cum Bohemi fines immodice amplificare pergerent, 406
 quod Ungari equo animo ferre non poterant, hinc bellum instau-
 ratur. Moravia, de cuius finibus agebatur, huiusce rei causa fu- 407
 erat. Auxit Ungaris animum et ingens ad bellum irritavit occasio,
 quam illa tempora attulere. Nam, cum Othocarus, ut paulo supra 408
 tetigimus, cum Rodulpho imperatore ob Austriam dissentire cepisset
 ac gravissimum inter se bellum uterque moliretur, imperator Pan-
 nones Bohemorum hostes ad hoc bellum multis legationibus tunc
 sollicitare cepit haud inscius auxiliis. Ungarorum adiutus multum
 sibi victoriae sperare posse. Ladislaus ad exoptatum bellum invita- 409
 tus fidam utilemque societatem pollicetur. Interea utrinque non-
 nulli amici intercessere, ut Rodulphum Othocarumque reconcilia-
 rent, veriti, si hoc intestinum bellum gereretur, haud parvo Germanis
 excidio futurum. Quare horum opera ita inter eos convenit, ut bel- 410
 lum affinitas utrinque contracta dirimeret, filie ultro citroque da-
 rentur, Carinthie Carnioleque provincie dotales fierent ac Austria
 denique imperatori cederet. Rodulphus Austriam adeptus Othocarum 411
 in verba sua more maiorum iurare exposcit. Id ille, qui elato sem-
 per animo fuerat, gravissime tulit reputans se hinc servum e do-
 mino esse factum. Discordia hinc nova redintegratur, indicitur ut- 412
 rinque bellum. Imperator cum Ladislao rege societatem init fedus-
 que perpetuum percutit, mox Pannonica exorat auxilia, que presto
 affuere. Cum in certamen instructa acie utrique descendissent vix 413
 que mille passuum interiectum esset spatium, Othocarus Rodulphi
 copias vereri cepit et Ungarica bello multo magis auxilia abster-
 rebant. Extemplo rei sue consulens de concordia cogitavit, mittit 414
 legatos, per quos iuraturum se rite pollicetur, si modo honoris sui
 causa intra Augustale tabernaculum id clam fiat. Accepit condicio- 415
 nem imperator illiusque lepido commento pudorem elusit. In medio,
 quod diximus, spatio Augustale intenditur, imperatoris iussu sug-
 gestus, Hercle, sublimis intus cum sella paratur. Mox ipse diade- 416
 mate imperatorisque insignibus plane conspicuus considentibus
 imperii electoribus ceterisque in subselliis rite proceribus Othocarum
 acciri iubet. Is cum paucis optimatibus tentorium ingressus prae- 417
 verenter suggestum conscendit ac supplex ad eius genua constitu-
 tus dum ex more sollemne sacramentum prestat, ecce tentorium
 ex industria compositum in partis quattuor ex improviso solum
 decidit. Callida ruina Othocarum ad imperatoris genua supplicem 418
 utrique exercitui spectatum exhibuit. Hinc Alemani gloriosum et e
 solio presidentem imperatorem hilares, hinc tristes Bohemi suppli-
 cantem regem spectabant. Sublicuit Othocarus in presentia et in- 419
 dignatione completus domum rediit. Hoc ubi Margarite uxori, cuius

iure Austriam acceperat, nunciatum est, tot virum illa conviciis af-
 fecit, donec adversus imperatorem abolende huiusce turpitudinis
 gratia bellum instaurarit. Rodolphus violato federe post, ubi se ad 420
 bellum provocari conspicatur, exercitum reparat. Ladislaum regem
 societatis iure in expeditionem Bohemicam iterum invitat, cui nil
 erat antiquius, quam cum Bohemis, qui cum patre avoque certa-
 rant, fortunam experiri. Coactis, que potuit, auxiliis sua cum Ce- 421
 sareis castra iungit. In ulteriorem Austriam haud procul a ripa
 Danubii utriusque convenere. Bohemi multitudine roboreque, Suevi 422
 et Ungari ordine et arte superiores erant. Dato signo manus con-
 serunt, dimicatur atroci diu utrinque pugna, cecidere ex utraque
 parte quamplurimi. Ladislaus avite cladis memor nil aliud quam 423
 toto campo Othocarum avidius disquisivisse visus est. Regem tan- 424
 dem Bohemorum invenit inventumque ad singulare certamen pro-
 vocavit; accepta condicione eo prelio, si quid Ungarorum annalibus
 tribuendum est, eum Ladislaus interfecisse fertur; quare inclinata
 acie Bohemorum strages longe maior fuisse dicitur. Nonnulli Otho- 425
 carum a suis destitutum a duobus Stiriensibus toto prelio que-
 situm prodidere, ut fratris mortem ab eo per iniuriam interfecti ul-
 ciscerentur, quem, ubi invenere, continuo obruncarunt. Corpus Ro- 426
 dulphi permissum in Bohemiam relatum regio honore sepultum est.
 Venceslaus huic in regno successit, ut infra suo loco referetur. De
 bello Bohemico hactenus.

Postquam Ladislaus opima in Ungariam spolia retulit, ne pa- 427
 rum quidem suo nomini fecit accessionis, quando pre hoc dum-
 taxat facinore patri ac avo preferebant omnes. Et ex hac societate, 428
 quam cum Rodolpho imperatore olim iniverat, regno tantum otii
 comparat, ut annos aliquot pacatum regnum habuerit. Deinde Cu- 429
 manum ex insperato prelium exarsit; anno salutis id octogesimo
 secundo supra millesimum et ducentissimum accidisse fatentur. Ol- 430
 damir enim Cumanorum princeps coacto exercitu ad lacum, quem
 Hoodum vocant, castra locat, ut mox Ungariam hostiliter invade-
 ret, deinde intolerabili vastatione exhaustam in dicionem plane red-
 igeret. Ladislaus audito Cumanorum tumultu comparatis legioni- 431
 bus his occurrit, ut ab horum rapinis regnum assereret. Postero 432
 die, ubi collatis pugnam signis conserunt, gravissimum initur pre-
 lium. Dum atrocissima utrinque pugna committitur, Lorandus Thome
 filius fortiter se gessisse dicitur. Nam, dum cum Cumanis ma- 433
 num conserit, quamplurimos interficit, infesta multos hasta con-
 fodit, non tam verbis quam exemplo sue fortitudinis Ungaros ad
 victoriam incendit. Quin et equissima sibi in hoc prelio nactus 434
 est numina, nam supervenientibus ex insperato imbribus eorum
 arcus, quibus plurimum confidebant; usque adeo remissi sunt,
 ut his nihil ultra profecerint. Quare inclinatis hostibus tantum ani- 435
 morum his accessit, ut ipsorum impetus haudquaquam ulterius to-
 lerari potuerit. Proterunt passim hostes, quibus magna ex parte 436
 cesis multos etiam capiunt, regionem universam longe lateque di-
 ripiunt. Postremo onusti preda Ungari domum ovantes rediere.

Cum ex Cumanorum strage pauci superfuissent, ii collectis reliquiis, qui disiecti olim fuerant, ad Tartaros confugerunt, ut suam his tutelam et ultionem commendarent; hos die noctuque sollicitant aliosque Cumanos, qui primo ingressu ob Cuthenis interitum eis adhererant simulque commilitarant, fautores ac patronos adhibent. Qua re commoti Tartari anno salutis ducesimo octogesimo quinto supra millesimum Ungariam repetunt, iterum ulteriorem passim Ungariam igni ferroque vastant et instauratos paulo ante pagos diripiunt, homines ex more interficiunt, multos asserunt in servitutem, cuncta pecora abigunt, Pestum usque cuncta populantur; nulla vi secunda hec illuvies coerceri potuit.

Ladislaus cum Carolo Sicilie rege affinitatem ante contraxerat; hic enim Carolus Lodovici regis Gallie et Roberti frater fuit, qui in Syriam pariter navigarunt, ceperunt Damiatam, quam deinde pre Lodovici captivitate Sarracenis reddere coacti sunt. Hic Sicilie regnum e Germanorum ac Friderici successorum manibus eripuit, cum ante Germanos Normannorum auspiciis regeretur. Nam Corradus Frederici filius e Germania profectus Apulie regnum suscepit, cuius Manfredus ex concubina Frederici quondam imperatoris filius regnum obtinuit, qui non longe a Benevento a Caroli copiis superatus occiditur. Item non multo post Corradinum Corradi filium et Frederici nepotem in finibus Albani agri Carolus fudit fugavitque ac subinde captum securi obtruncavit. Ladislaus igitur Caroli filiam uxorem duxerat, quam quidem neque pro dignitate tractavit neque coniugali amore et caritate prosecutus est; Cumanarum nanque amoribus distractum multas ex his sibi pellices preter fas et equum admovisse ferunt. Illegitimo igitur amore plus equo flagravit et in earum dicionem hunc se totum asseruisse perhibent; ex his potissimas tris nominant, Aydnam, Cupchecen et Mandulam. Quare suis optimatibus usque adeo infensus est habitus, ut nil magis quam suum regem huiusmodi turpitudini obnoxium odisse viderentur. Hinc Chuno Ladislao cognomen est inditum. Vite impudicitiam ad pontificem maximum detulere. Quin etiam in depravate fidei suspicionem ob Cumanarum consuetudinem venisse memorant. Item ceteris Christiane reipublice principibus haud parum suspicionis iniecit, ne regis exemplo Ungari, qui quandoque ab inita olim fide defecerant, in priscam maiorum labem reciderent. Itaque sacrosancto senatui visum est mittendum esse in Pannoniam legatum; Philippum Firmanum civem et cardinalem circumspectum apostolice sedis legatum creant. Hic continuatis itineribus in Ungariam contendit, quo ubi ventum est, non tam antistitum quam procerum rogatu quotidie sollicitatus regem primo mitissimis admonitionibus hortatur et orat, profanis mentem pellicibus abstineat, colat sanctum et coniugalem torum, nihil ab orthodoxa fide agat alienum; nam, quicquid in ceteris humilioris fortune viris damnatur, id in regia persona multo conspectius graviusque notatur atque non iniuria, nam, qui ad regendos et castigandos alienos mores nati forent, ita eos vivere oporteret, ut ne

minima quidem ab aliis turpitudine notari possent; id esse potissimum veri regis officium tale de se ceteris, qui parent, exemplum edere, ut hinc omnes perdiscant optime vivere. Quin etiam severius increpare, quod Christianis profanos populos anteponat, quod de infidelibus et alienigenis potius quam suis benemereri studeat, quod execrabiles Cumanos magis quam Ungaros amet, quod hinc non parum suspicionis de se ipso suscitavit. Proinde monere, hortari, corripere ac severius incusare, anathematis penas demum interminari, ni correctis et castigatis moribus religiosius laudabiliusque vixerit et mutato vivendi more se a catholica fide nequaquam defecisse ostenderit. Ad hec rex eo pertinacius pristinis moribus instare, excolere concubinas vehementius et se perditae libidinis et pervicacie maioris in dies fore vulgo fateri. His legatus propemodum commotus anathematis regi notam inussit, Ungaris demissas barbas interdixit, iussit crines tondere, pileorum Cumanorum usum apostolico edicto inhibuit, postremo antiquatis Cumanorum ritibus, quos regis exemplo multi passim imberant, et confirmata fide catholica in Italiam rediit. Non multo post tempore Cumana consuetudo regi perniciosa fuit, nam anno undetriceno supra millenum a salute Christiana haud procul a castello, quod Cereszeg Ungari nominant, a Cumanis, quos in deliciis habebat, miserabiliter interfectus est. Huius tempore gloriosa Pannonia a sua laude defecit, ut inferius suo loco referetur, siquidem intestino bello sollicitari cepit, quo pagi, civitates et oppida usque adeo igni ac ferro vexata sunt, ut ad ultimum exitium redacta viderentur, quare nusquam pacem et concordiam cernere erat ac divitem necubi licebat intueri. Nobilitas pre gravissima egestate ad rusticandum et, quod vix credi potest, ad bigas duarum rotarum plaustra redacta sunt. Nam, cum boves ceteraque iumenta defecissent, propter rerum inopiam bigis utebantur huiusmodi, que ab hominibus traherentur, quos Ladislai currus adhuc nominant. Cum enim propter intestina bella se quotidie mutuo popularentur, eo perventum, ut assumptis gregibus et armentis coniugati pro iumentis homines carros traherent. De Ladislao hactenus; nunc ad Andream Venetum rite descendamus.

LIBER IX.

Antequam Ladislaus crudele fatum obiret, cum annis circiter quattuordecim regnasset, Andream, quem Venetum ex cognomento dixerunt, Ungari in Pannoniam inducere et salutavere ducem qui in demortui regis locum surrogari solet. Huius nimirum origo altius aliquanto repetenda, ne quid historie perquam necessarium omittatur neve ab re in spem regni venisse videatur. Andream secundum Bele quarti et Colomanni ducis patrem fuisse diximus, hunc quoque summi pontificis hortatu et auctoritate sacrosancte expeditioni prefectum post uxoris cedem in Syriam navigasse, cepisse Damiatam et preclara multa gessisse; Veneta classe revectum, ut perhibent, sinum Adriaticum ab Hestensi principe veteri ho-

spile magnifice exceptum, qui, ut tantum regem de Christiana republica optime meritum et cum magna laude reducem familiariter exciperet, gnatam mire pulchritudinis illi semper adstare iusserat et accubanti omnia ministrare, ut hospitalem evidentius aperiret affectum. At ille perspecta puellae venustate, facie liberali ac mira ingenii dexteritate confestim exarsit ac eo magis perditae, quod se uxore carere noverat. Quare patri eodem die amorem suum ingenue fassus puellam in uxorem exposcit. Pater, qui se longe inferiorem esse noverat, ne fortune accessionem filiae interciperet, sed ut suam confirmaret, non modo quam lubentissime annuit, sed eam mox accitam in medium adductis arbitris desponsavit. Andreas eodem, quo desponsata fuit, die apud socerum nuptias fecit coniugumque transegit, deinde, ut par erat, secum duxit in Pannoniam. Hec Andreae vita defunctis pontificibus ab magna procerum manu secundum regis exequias se gravidam veris indiciis ostendit. Paucis post diebus impetrata missione ad patrem rediit et Hesti vitam duxit, hic tempestivum puerum edidit, cui Stephano nomen est inditum, quem Ungariae regis filium omnes esse predicabant. Faciebat rumori fidem pueri elegantia regiaque indoles, quae citra controversiam hunc regio genere natum esse testabatur; confirmavit deinde res ipsa, nam ephebis nondum excesserat, cum immatura imperandi cupiditate percitus avum dominatu eiicere conatur. Sed cum res e sententia minus evenisset, hinc eiectus in Hispaniam ad Iacobum contendit Aragoniae regem, qui sororem suam Andree regis filiam uxorem olim duxerat; ibi aliquamdiu commoratus deinde in Italiam rediit, si qua forte dominandi daretur ansa. Ravennates post, ubi hunc rediisse acceperant, pretorem continuo elegerunt, ut virum urbi nobilissimum proficerent. Inita pretura aut civium factione aut culpa sua, quod nondum satis compertum habeo, non multo post tempore hinc exactus Venetias confugit. Ubi aliquantisper diversatus patricii cuiusdam viri ex Maurocenorum familia nati et nimirum ditissimi filiam amicorum consilio adactus uxorem duxit, cui Thomasina nomen erat, socerique patrimonium amplissimum iure dotis accepit. Ex hac filium genuit, quem ex avi nomine Andream vocari iussit; in Veneta natus et educatus urbe hinc cognomen accepit. Avunculos nactus locupletissimos et natu aliquanto grandior effectus non tam sponte, quam suis instigantibus ad avili regni spem sollicitatur, proinde vivente adhuc Ladislao in infensi regis invidiam a plerisque proceribus in Pannoniam ducitur. Ne avili regni portione defraudetur, post Ladislai regis interitum omnium suffragiis populorum rex declaratur, corone insignibus rite donatur. Cum e Stephano Andree regis filio et Thomasina Maurocena natus esset, gentilicia matris insignia usurpavit et crucis tantum circulum, ut a ceteris Maurocenorum agnosceretur, inseruit parentis nobilitatem usque adeo preveneratus, ut rerum potius humilioris fortune insignia pro matris amore et illius urbis reverentia non spreverit. Sed ad bella, quae gesserit, redeundum.

Adita potestate in Austriam forti animo expeditionem suscepit.

Habito impigre delectu et comparatis copiis in Austriam concessit, vicos passim populatur et incendit, oppida pleraque vi cepit, multos captivos abduxit et re sat feliciter gesta, cum se nonnullorum factione sollicitari intellexisset, in Pannoniam rediit, suspicionem, in quam inciderat, veram esse comperit, propemodum indoluit, quod initum bellum conficere non licebat, ut Australium improbitatem et perfidiam pro dignitate ulcisceretur. In factiosos novo principi nequaquam subito seviendum esse censuit, connivendum potius et plerunque dissimulandum iudicavit, ne a severitate potius quam clementia clarum nomen inchoaret. Hinc eo magis coniuratis adaucti sunt animi, quippe qui prudentiam patientiamque regis pro ignavia capiebant. Horum principes Ioannem et Henricum banum, item Ugrinum Pochi filium de Vilacho ortum memorant, qui cum ceteris coniuratis a Bonifatio pontifice maximo Carolum puerum per legatos exposcunt. Pontifex non solum procerum efflagitione, sed instigante Sicilie rege, qui hereditario iure per filium ad se regnum pertinere arbitrabatur, impulsus in medio senatu Carolum Caroli Sicilie regis filium vix annum adhuc natum undecimum Pannonibus mittendum esse censuit. Atque super hac re gravissimum apostolici senatus consultum factum est, cuius auctoritate Carolus anno salutis ducentesimo nonagesimo nono supra millesimum vivente adhuc Andrea rege in Ungariam venit. Verum, ne Caroli ignoretur origo, paulo altius repetenda est.

Stephano quinto Bele quarti filio Maria gnata fuit avie sortita nomen, que imperatoris Grecorum quondam filia fuerat. Hanc pater Stephanus Carolo Claudio Caroli filio, qui auctoritate beneficentiaque senatus apostolici Sicilie regnum sibi vendicarat, legitimo vinculo coniugavit. Ex hoc coniugio Carolus Martellus natus est, qui ex uxore Clementia Rodulphi imperatoris filia puerum genuit, quem Carobertum, id est Carolum Robertum, primo nominarunt, sed in Ungariam transmissum servato prenomine Carolum tantum vocavere. In hoc aliquantum Ungarorum annales errarunt, nam Carolus Martellus et non filius venit in Ungariam. Siquidem Carolo secundo Sicilie regi ex Maria uxore regis Ungarie filia mares sex et femelle quinque fuere. Maior natu Carolus Martellus Ungarie regnum materna, secundus Robertus Calabrie dux Neapolitanum hereditate paterna expectabat, tertius Philippus Tarentinum obtinuit principatum. Nata ex prima Clementia nomine Carolo Philippi regis Francie primigenio nupta est, Blancam secundam Iacobus, qui Sicilie imperabat, uxorem duxit, tertiam Leonoram Fredericus Arago Iacobi frater coniugem accepit. Hec ex Blondo non ignobili rerum vetustarum historico accepta sunt. Sed alia nos adiciemus de Caroli primi genealogia Sicilie regis ex plumbeis tabulis excerpta, que Neapoli in eius sepulcro comperta sunt. Qua quidem in re veniam mihi postulo, si, ut res universa notior fiat, longiore diverticulo utar. Constantia regina regis Guilielmi filia profecto Christianissimi quamvis Panormitana monialis esset, iussu tamen ecclesie Henrico imperatori a Sueva gente nato coniugata est. Ex quo qui-

dem connubio Fredericus imperator natus est ad Esim urbem salutis anno quinquagesimo octavo supra millesimum divi quoque Stephani sollemnibus. Ii primis ceptis regnum occupare haudquaquam potuere, quia Tancredus Rogerii regis filius illegitimo matrimonio natus acerrime resistebat. Defuncto Tancredo expeditio iterum in Sicilie regnum ab his reparata dominice salutis anno centesimo septuagesimo octavo supra millesimum et regnum vi summa occupatum est. Constantie Fredericus filius in eo regno successit, regnavit annos unum et quinquaginta, imperavit Romanis auspiciis annis duobus et XXX; Hierosolyme vero duodetringita. Demum etatis sue anno LVI. post hec incarnationis dominice anno MCCLI. Idibus Decembribus in dive Lucie sollemnibus ei non solum aqua et igni interdictum est, sed pontificia auctoritate ab Innocentio pontifice quarto in Lugdunensi synodo imperio abrogatus est. Sed anno domini MCCLV. pridie dive Magdalene sollemnium extinctus est. Corradus filius huic rite successit. Annos circiter duos Neapolitanam urbem obsedit, menia diruit, quia fidelia Romane ecclesie obsequia prestabant. Corrado Manfredus illegitime natus in regno successit, annos decem regnavit. Qui ad Beneventum et victus et interfectus est, quippe qui ne citra dolum quidem ex Alemania nurum iussit accersiri, quia Corradus Corradi regis filius extinctus erat. Inconsulta Romana ecclesia principum regulorumque iussu Siculi regni coronam usurpavit. Quod et ceteri Sicilie reges factitabant, quippe qui per unum Panormitane basilice antistitem regalibus insignibus pro arbitrato suo initiari solebant. Post hec Carolus comes Andegavensis secundus Lodovici regis Francie filius ex Blanca Castilie regis filia, qui frater Lodovici regis Francie fuit provincie comitis et inter divos ob vitam sanctissime ductam redacti, Beatricem Raymundi Berengarii provincie comitis filiam novissimam et heredem duxit uxorem, ex qua Carolus natus est. Urbanus deinde pontifex maximus et papa quartus dominice salutis anno MCCLXXVIII. Carolum Andegavensem adversus Manfredum Sicilie regem excitavit et non aliter atque Romane ecclesie propugnatorem e Galliis evocavit Sicilieque regni ius omne contulit. Sed, cum Urbanus excessisset humanis nec consiliorum successum videre potuisset, Clemens papa quartus primo sui pontificatus anno Carolum primum, de quo diximus, in Lateranensi basilica Siculi regni corona rite donavit dominice salutis anno CCLXXV. supra millesimum. Qui, cum regnum dextris auspiciis adoriretur, universam in dicionem suam brevi tempore redegit, sed, cum Carolus primus in oppido, cui Fogie nomen est inditum, extremum vite diem clausisset corpusque in basilicam Neapolitanam translatum esset, Carolus secundus eius filius Salernitatus princeps rite successit.

Sed iam de Carolo secundo eiusque fecunditate dicendum. Huic ex uxore Maria regis Ungarie filia filii XIII fuere; mares novem, femine vero quinque. Imprimis Carolus Martellus princeps Salernitanus, qui viventibus adhuc parentibus rex Ungarie creatus est; Lodovicus episcopus Tolosanus inter divos non immerito relatus;

Robertus dux Calabriae; Philippus princeps Tarentinus; Raymundus, Berengarius, item Ioannes et Tristanus; Ioannes dux Dyra-
 chius, Petrus denique Gravine comes. E feminis autem primigenia 50
 fuit Clementia, quam Carolus Baucius uxorem duxit; Blanca
 coniunx Iacobi regis Aragonum; Elionora Frederici insule Sicilie
 regis uxor, Maria vero regis Maioricarum et Beatrix denique Fer-
 rarie principis, quo quidem extincto Bertranno e Bauciorum
 familia nato comitique Montis Cambiosi tradita nuptui. Sed Caro- 51
 lus secundus in regia Neapoli salutis anno MCCCVIII. quarto
 Nonas Maias, regni vero sui XXV. extremum vite diem clausit ei-
 que Robertus in regno successit, cum Carolus Martellus primi-
 genius frater eius Ungarie regnum esset assecutus, ut infra refe-
 retur. Et hic Elisabetham Rodulphi Romanorum regis filiam uxo- 52
 rem accepit, ex quibus Carolus quartus et Clementia secunda nata
 est. Et Martellus superstitibus adhuc parentibus Neapoli humanis 53
 excessit et in basilica una cum uxore prope maiorum monumenta
 sepultus. Carolus vero filius in Ungarie regno et in principatu
 Salernitano patri rite successit. Ut multarum rerum cognitio non inuti- 54
 lis et brevissima hinc posteris oriatur, aliquamdiu in hac egressione
 nobis immorandum est.

Robertus vivente patre, cum dux Calabriae foret, Violantam 55
 Petri regis Aragonum filiam sibi coniugavit; hinc Carolus dux Ca-
 labrie natus est. Patre nondum regnum assecuto, cum eius mater 56
 paulo post vita decessisset, Robertus Sansiam Maioricarum regis
 filiam et Violante consobrinam uxorem duxit, ex qua nulli super-
 fuere filii. Patri quoque Carolo secundo ex declaratione Bonifatii 57
 pape VIII. et auctoritate in paterno regno successit et non Carolus
 Ungarie rex nepos eius et Caroli Martelli filius. Anno autem nata- 58
 lis domini MCCCVIII. et Kalendis Augusti Avinione a Clemente papa
 VIII. una cum Sansia coniuge coronatus est. Is annis tribus et 59
 quadraginta regnavit et mensibus VIII, diebus XI; Neapoli diem
 obiit; in dive Clare templo sepultus, etatis vero sue anno
 LXIII. Hinc Ioanna sua neptis regni dicionem sortita est.
 Sansia regina post regis obitum vidualem in regia dignitatem ha- 60
 bitumque per annum pulchre servavit, in cenobium sancte crucis
 deinde se redegit inter sanctimoniales profecto castissimas, ubi ad
 annum usque MCCCXXXV. dominice nativitatis cum maxima
 humilitate paupertateque vitam exegit. Philippus princeps Tarentinus 61
 duas duxit uxores, alteram despotis Grecie filiam, alteram
 Caroli, cui de Vasalis cognomen erat; e priore filii quattuor, duo
 mares, femelle due. Primigenius Petrus fuit; materne hereditatis 62
 iure despotis Romanie, ut ita loquar, cognominatus est et Maio-
 ricarum regis filiam uxorem duxit, ex qua stirps nulla promana-
 vit. Vivo adhuc patre obiit et in ede divi Dominici prope avum 63
 sepultus est; eius frater Carolus natu minor. Filiarum altera Ale- 64
 manie regina, Beatrix vero altera Gualterii de Brenna uxor, qui
 dux Athenarum et Licinii comes cognominabatur, ex qua nulli fuere
 liberi. E Catherina vero Philippus princeps Tarentinus, que Ba- 65

duini Constantinopolitani imperatoris filia matri in regno successit, tres filios, femellas vero duas habuit, Robertum imprimis, qui parentibus iure successit, deinde Lodovicum et Philippum, post hos Margaritam et Mariam. Postremo Philippus iste princeps Tarentinus Neapoli mortuus et in ede Domini prope patrem sepultus est. Raymundus Berengarius absque uxore filiisque diem clausit extremum. Ioannes nondum sacris initiatus puer extinctus. Tristanus quoque, cum in Aragonia pater adhuc captivus esset, in pueritia nature satisfecit. Ioannes Peloponnesi vel Moree princeps et dux Dyrachii illius peninsulae dominam uxorem duxit, ex qua cum nullum filium haberet et illa virum alium adhuc vivente priore sibi despondisse diceret, facto divortio Agnetem comitis Petrocolocensis filiam sibi legitime coniugavit. Hinc filii tres nati Carolus Dyrachii dux, item Lodovicus et Robertus. Neapoli Ioannes vita excessit et in divi Domini basilica iuxta patris monumenta sepultus. Petrus ultimus Caroli secundi filius Germanie comes in prelio, quod pro Florentinorum auxilio ad montem, uti nunc aiunt, Catinum gestum est, una cum Carolo nepote suo Philippi Tarentini principis filio interiisse dicitur. Sed iam ad secundi Caroli filias deveniendum. Ex Clementia prima eius filia et Caroli Baucii uxore Philippus rex Francie procreatus est, qui ex filia Burgundie ducis Ioannem regem genuit. E Ioanne vero et filia Ioannis Bohemie regis Lodovicus est editus dux Andegavie, Bituricensis et Burgundie, item regina Navarre comitis Virtutum olim uxor. Sed ex Carolo et filia ducis Borbone Carolus rex Francie natus est et Lodovicus dux Aureliensis. De Blanca secunda eius filia et regis Aragonum uxore multi Aragone reges profluxere. Ex Elionora tertia Frederici regis Trinacie uxore ii promanasse referuntur. Imprimis Petrus rex et filia regis Aragonum uxor, deinde Ioannes dux Athenarum. Ex filia Frederici et Elionore Elisabetha orta est, que Bavarie duci nupsit, unde Stephanus dux Bavarie natus est. Atqui Petrus Trinacie rex Elisabetham ducis Tarentini filiam uxorem duxit. Ex qua liberos septem genuit, imprimis Lodovicum in regno succedentem, qui cum maxima filiorum orbitate vitam exegit, et Fredericum, cui Constantia Petri regis Aragonum filia uxor fuit, ex qua Maria regina Trinacie nata. Ea defuncta Antoniam filiam ducis Andrie sibi coniugavit; hinc nulla proles orta. Preterea Petri regis filie fuere quinque; prima Elionora, secunda Petri regis Aragonum uxor, ex qua nati reges Aragonum et dux Montis Albi; tertia se Messane inter dive Clare virgines insinuavit et ob vite sanctimoniam antistes perpetua creata; quarta Euphemia virgo illustris ex Maria genita. Sed Caroli secundi penultima filia Maioricarum regis uxor nullam liberorum memoriam reliquit. Ultima quoque Beatrix Ferrarie principis uxor pari liberorum orbitate cum sorore certavit. Sed ex Bertranno de Baucio altero viro Cannosino comite unicam filiam habuit, cui Marie nomen inditum, que Alberico Delphino, ut aiunt, Viennensi nupta fuit.

Verumtamen, ut ad reges quandoque Ungarie redeamus, Carolus

rex Ungarie Caroli Martelli filius Elisabetham ducis Polonie sororem duxit uxorem, ducis, inquam, qui Graccovie regnum adeptus est. Ex his filii tres Ludovicus, Andreas et Stephanus, de quibus multa dicentur. Clementia Caroli Martelli filia, que Lodovicum Philippi Pulchri regis Francie filium in virum accepit, ex quibus Ioannes infans vix dies octo complevit post patris excessum editus. Regnum Francie ad Philippum Caroli et Clementie Caroli secundi filie gnatum deinde translatum est, cui de Valoys, uti nunc aiunt, cognomen erat. Carolus Roberti regis filius et dux Calabrie duas uxores adeptus est. Altera Catherina ducis Austrie filia, ex qua nulla suscepta proles; eiusque corpus in ede divi Laurentii Neapoli reconditum; Maria vero altera Caroli de Valoys filia sororque Catherine Auguste Constantinopolitane, ex qua due nate sunt filiole, Ioanna quidem et Maria. Hic igitur Carolus superstitute Roberto patre suo Neapoli vita decessit anno natalis domini CCCII. supra millesimum divi Martini die, cui Ioanna filia in Calabrie dominatu rite successit. At Lodovicus Caroli regis filius et Caroli Martelli nepos rex ad Ungarie regnum eVectus uxorem duxit Caroli quarti Romanorum imperatoris filiam, ex qua nulla suscepta proles, deinde Elisabetham Bossenensis bani, ut aiunt, filiam, velut Ungarorum testabuntur annales, qui multa de hoc et aliis omiserunt. Ex qua due sunt orte gnate Maria Sigismundi regis uxor, que in Ungarie regno successit, et Adiuga duci Litvanie coniugata, que patri in Polonie regno successit, quod ex hereditate materna fuerat assecutus. Andreas vero frater eius et natu minor, uti latius infra referetur, Ioannam Roberti regis neptem et Caroli filiam uxorem accepit, ex qua Carolus Martellus natus est post Andree regis et patris interitum, quippe qui Nonis Septembribus anno salutis CCCXXXV. supra millesimum Averse interfectus est et in basilica Neapolitana sepultus et exequie non ab uxore sceleratissima, sed ab Ursello Minutulo Neapolitano clerico pientissime persoluit. Sed Lodovicus frater eius secundo post anno cum ingentibus copiis Italiam ingressus Andree mortem cumulatissime ultus est; quippe cum vix post ingressum exacto anno (Ianuario nanque mense regnum adortus est) Aversam cepit. Quo officii gratia cognati omnes convenere Robertus princeps Tarentinus, cui Constantinopolitani imperatoris cognomen erat, Philippus frater eius, Carolus Dyrachii regulus, item Lodovicus et Robertus fratres, quos quidem omnes Lodovicus rex extemplo in vincula coniecit. Dyrachii regulum Averse, ubi Andreas frater laqueo strangulatus fuerat, capite cedi iussit. Venit mox Neapolim, quam sine dimicatione cepit. Castellum Novum, ubi regia est, tuto subivit ultro deditum, quando Ioanna una cum Carolo filio triremi imposita et paucis ante diebus hinc profecta ita mandarat. Pacato regno Carolus Ioanne filius ex Andrea cum quattuor cognatis regali sanguine natis in Ungariam traieci sunt. Carolus eodem anno diem obiit et in Alba Regali inter regum monumenta relatus. Ceteri in carcere reguli remansere; Stephanus quoque Lodovici regis Ungarie filius filie ducis Bavarie coniugatus, ex qua

tantum Elisabetham concepit.

Verum, ut ad Tarentinos redeamus, Robertus principis Philippi 96
 primigenius imperator Constantinopolitanus et princeps Tarentinus
 appellatus Mariam ducis Borbone filiam sibi legitimo connubio
 iunxit regis Cypri filio prius coniugatam, ex qua nulli superfuere
 liberi. Hic anno salutis CCCLXIII. supra millesimum Neapoli mor- 97
 tuus est et in Georgii ede sepultus. Philippus huic frater subinde 98
 successit; Maria quoque in eadem urbe decessit et in dive virginis
 ede sepulta. Lodovicus secundus Philippi Tarentini filius Ioannam 99
 Sicilie reginam sine pontificia derogatione uxorem accepit, hinc Ca-
 therina prior nata brevique vita defuncta. Deinde impetrata ponti- 100
 ficis auctoritate permissuque apostolico a Clemente VI. ex iisdem
 quoque parentibus edita, que paucis Avinione tempore vixit, quo
 Lodovicus et Ioanna pre Lodovici regis Ungarie timore se receperant,
 sed in regnum, uti patebit, ab eodem pontifice restituti et
 per metropolitam Pistoriensem Neapoli quarto Kalendas Iunias
 pentecostes festo coronati. Post sextum coronationis diem Francisca 101
 immatura morte subrepta est. Et Lodovicus vir Ioanne regine, anno
 salutis MCCCLXII. dominici ascensus die ad Castrum Novum ex-
 cessit humanis et ad monasterium Montis Virginis apud matrem ex
 testamento sepultus. Ioanna regina exacto dudum anno se Iacobo 102
 Maioricarum regi coniugavit, ex quo nulla proles habita, sed in
 Hispaniam profectus in regno Castilie, ut aiunt, vita defunctus est.
 Hec deinde Othonem ducem Brundusiensem virum optavit, quem
 Tarentinum principem paulo post ipsa constituit, ex quibus nihil
 genitum est. Ioanna in urbe Murensi CCCLXXXII. salutis anno 103
 supra millesimum vita defuncta est, ubi Caroli tertii regis imperio
 relegata fuerat et ad dive Clare edem humata est. Philippus tertius 104
 Philippi Tarentini principis filius imperator Constantinopolitanus ap-
 pellatus duas coniuges est sortitus, imprimis Mariam Caroli ducis
 Calabrie filiam, qui Roberti regis gnatus erat, ex quibus nulla pro-
 les infantiam superavit, deinde Elisabetham Stephani filiam, qui
 tertius regis Ungarie gnatus erat. Qui, cum sine prole Tarenti vita 105
 decessisset, Margarita soror iure successit; hec enim Philippi Ta-
 rentini principis filia cognatis insciis Francisco Baucio legitimo se
 matrimonio copulavit, qui deinde a Lodovico Ioannaque regina dux
 Andrie creatus est. Ex his Iacobus Baucius imperator Constantino- 106
 politanus olim cognominatus princepsque Tarentinus et Antonia
 Frederici regis Trinacrie coniunx geniti sunt, que periit in abortu.
 Margarita vero, de qua diximus, viri gratia a Ioanna regina Neapoli 107
 relegata extremum ibi diem clausit, qua pereunte inclyta domus
 Tarentina prorsus extincta est, siquidem Maria secundo loco nata
 ac soror eius Neapoli virgo decessit. Carolus Dyrachii dux primus 108
 Ioannis filius Mariam Caroli ducis Calabrie filiam, qui Roberti regis
 gnatus erat, uxorem duxit. Hinc infantulus, qui paucos dies vixit, et filie 109
 quattuor nate sunt Ioanna, Agnes, Clementia, Margarita. Sed dux
 iste Averse fuit interemptus anno dominice salutis MCCCXLVIII.
 Lodovico Dyrachii regulo secundo Ioannis filio Margarita Roberti 110

Severinatis filia nuptui tradita, que Carolum genuit. Lodovicus 111
 ad Castellum Ovi regine Ioanne iussu in vincula coniectus animam
 efflavit et in dive crucis templo reconditus. E Roberto tertio Ioan- 112
 nis eiusdem filio unica femina nata est, cui duo fuere viri; unus
 Lodovicus regis Navarre, ut aiunt, filius, qui absque liberis in
 Apulia obiit et in agro Neapolitano in divi Martini edem relatus
 est; Robertus vero alter comitis Artuensis filius, qui ad Castellum
 Ovi coniectus in carcerem regis Caroli tertii iussu expiravit. Agneti 113
 quoque duo viri; prior nanque Cansguinor Scaliger tyrannus Vero-
 nensis, Iacobus deinde Baucius ducis Andrie et Margarite filius; ex
 neutro suscepta proles. Clementie maritus Carolus de Pace fuit 114
 consobrinus eius et Lodovici filius e Ioanna Dyrachii duce geniti;
 connubium apostolica auctoritate contractum. Carolus vero Lodovici 115
 Dyrachii ducis filius Margaritam duxit uxorem Caroli ducis Dya-
 rachii filiam, ex quibus Ladislaus cum Ioanna genitus. Carolus au-
 tem iste e Lodovico natus ab Urbano pontifice VI. anno domini
 CCCLXXXI. supra millesimum rex Sicilie declaratus et Rome die
 pentecostes rite coronatus, mox Neapoli nullo repugnante potitus.

Anno vero sexto coronationis in Italia idem Carolus tertius 116
 Ungarie regno potitus, uti profusius infra scribetur, in Alba Regali
 adstantibus universis regni principibus et episcopis presenteque Eli-
 sabetha et Maria Lodovici regis filia et utraque consentiente legi-
 time coronatus est eoque die, qui novissimus Decembris erat, tan-
 tus solis defectus apparuit, ut nunquam nostro seculo maior exti-
 terit, quod ad breve tempus regnaturum esse portendit. Nam Idibus 117
 Februariis proxime insecutis ex factione Marie et Elisabethe matris
 in arce Budensi pluribus vulneribus confossus est et in Vicegra-
 dum transvectus XXVII. die veneno confectus est. Huic Ladislaus 118
 in Sicilie regno successit; a Bonifatio nono per Angelum Azaiolum
 tituli sancti Laurentii cardinalem regiis insignibus initiatus est, cui
 quidem Ioanna demum in Sicilie regno hereditario iure successit.
 Si ad explanandam rem universam longius evagor, posteritatis edo- 119
 cende gratia mihi venia tribuatur, quandoquidem de comitibus, ut
 ita loquar, creatis a regibus dicendum est.

A Carolo nanque primo rege Sicilie comites ii creati sunt im- 120
 primis Gualterius Viennensis Lini, Georgius Severinas Marsici, Pe-
 trus Rufus Catansani, Philippus Montis Fortis, cui antea de Monte-
 forte cognomen erat, et Beltrannus Baucius Avellini comes de-
 signatus. A Carolo deinde secundo Hermengarus Sabranus Arricini, 121
 Beltrannus Baucius Montis Canosi, Ioannes Monsfortensis Scyllacei,
 Vitardus Claramontensis comes Claramontis factus est. Romano 122
 vero Ursino Gentilis Ursini filio regni Sicilie prefecto iustitiario
 Anastasia Monsfortensis Guidonis comitis filia in uxorem data,
 quare Nolanus comes inscriptus; Gothfredo vero Gaietano Bonifatii
 octavi pontificis nepoti Dominia Fundorum coniugata. Bartholo- 123
 meus Siginolphus Neapolitanus ab eodem rege Caserte comes ef-
 fectus et magnus regni Sicilie camerarius, Sergius vero frater eius
 Aliphe comes promulgatus, qui cum fratre postea Roberti regis

iussu potentatibus abdicati sunt. A Roberto deinde rege Sicilie Thomasius Marcianus Scyllacei, diaconus Rocchensis Catalanus Caserte, Nicolaus Iamvillensis Sancti Angeli, Iordanes Rufus Synopolis, Philippus Sancti Severini Altimontis, Rogerius Severinas Melite, Nicolaus Ebulanus Capuanusque princeps Treverensis, Robertus Capuanus Alleville, Ioannes Sanguivetensis Coriliani, Nicolaus Iamvillensis Terre Nove, que quidem terra uxoris olim sue fuerat Rogerii Lauriensis filie; Nicolaus Pipinus Minerbini, Gaspar Niciensis Trilicij, Ricardus de Agno Loreti, Nicolaus Aquaviva Sancti Valentini, Ricardus Lussanus Sutriani, Robertus Visontius Mirabelle, Petrus Pipinus Vici, Petrus Salvacossa Vellantis, Thomasius Agnus Belcastri; ii omnes comites creati sunt. Ioannes Pipinus Nicolai comitis Minerbini filius palatinus Altimurensis cognominatus est. A Ioanna vero regina ab initio regni sui comites isti constituti Carolus Artus Sancte Agathe et magnus regni Sicilie camerarius, Robertus Campanus Ebuli et magnus regni senescalcus, qui mortis Andree crimine non caruit ac demum turpiter interfectus; Carolus Gammatesa Montorii, qui Sancie Cabane vir fuit, que mortis eiusdem insimulata capite quoque multata est. Alios autem comites Ludovicus declaravit Franciscum Baucium Montis Scabiosi, qui dux etiam Andrie factus est; Raymundum Baucium Soleti ac magnum regni camerarium, Nauplium Manupelli et logothetam protonotariumque regni, Canzolum Melphie magnumque senescalcum, Lodovicum Eugunium Supersani, Guilielmum Sabranum Agnioni, Carlettum Artum Montis Odorisii, Lodovicum Severinatem Laurie, Thomasium Samphramundum Cerreti, Lallum Camponescum Aquilanum Montorii. Sed post Lodovici regis mortem Otho Ursinus princeps Tarentinus, Gothfredus Marzanus Aliphe comes fuit. Robertus Severinas Terre Nove, Raynaldus Ursinus Tagliacotii, Iacobus Ceper Minerbini et magnus quoque camerarius, Carolus Gammatesa, qui comes Montorii erat, Murrani etiam factus est. Istis quoque per Carolum tertium regem Sicilie comitatus tituli tributum sunt. Antonio Aquevive sancti Fabiani, Ioanni Protoiodici Acerrarum, Marsilio Confalonerio Brixienti Murrani, Iacobo Filangerio Avellini. De Celani comite nulla fit mentio, quando ante regum adventum ii comites extitere, et nulla originis memoria perhibetur. Roberta Sambrana Asculi comitatu polita est matris iure hereditatis, quandoquidem Maria Marzana mater eius iure Margarite Aquinatis parentis sue, que Tristani Aquinatis Asculani comitis filia fuerat, dominatum illum fuerat assecuta. Ladislaus denique hos honores istorum esse iussit: Raymundi Baucii ex Ursina gente nati principatum Tarentinum, Frederici Monfortis Vigiliarum comitatum, Ioannis Carazoli Giracianum, Cicchi Burgensis Odorisanum, Perette Troianum, Ungari Monfortensis Sarnensem, Corradi Martiani, cui de Taberna cognomen erat, Neocastrensem, Pauli denique Brachati Nuceriensem.

Sed iam post longum et alioquin utile diverticulum multarum sane rerum spectaculum catalogumque prosapie Carolorum nunc

ad Carolum Martellum redeamus et resarta scriptorum veritate, unde digressi aliquamdiu fuimus, redeamus. Is, postquam suffragantibus multis optimatibus et regnante adhuc Andrea Veneto regnum ingressus est, aliquot annos apud Ungaros cum Carolo filio fuit, antequam rerum potiri posset. Insuper accessere plerique pontificis legati, qui, ut puerum apostolica auctoritate munitum regem efficerent, summo studio, opera diligentiaque curarunt, verum nihil profecere, quando conatus omnes eos frustati sunt et ne facile quidem Andree regis auctoritas conculcari poterat. Sed, cum haud multo post regis mors intercederet, non modo hec regni litem diremit, verum etiam, quando ita factiosorum procerum iudicia merebantur, multo magis auxit et competitores adiecit. Anno dominice salutis trecentesimo primo supra millesimum in Budensi arce diem obiisse aiunt circiter divi Felicis sollempnia; celebratis mox exequiis corpus in divi Ioannis ede reconditum. Nomen eius nemo quidem iure damnare potuisset, nisi optimatum dissensio, qui diversa petebant, id voluntatis mutatione sugillasset.

Circa hec tempora, quibus Veneti ob occupatam Ferrariam a Clemente pontifice hostes ecclesie pronunciati sunt et severissimo interdicto affecti ac Tepulana coniuratio adversus patricos Venetiis intercessit, Iadrenses temporum novitate freti eiecto Michaelae Mauroceno comite sexto rebellarunt defeceruntque ad Ungaros. Classis ad id continuo comparatur, preficitur ei Belletus Iustinianus classemque cum equitibus mille, cui Dalmasium Hispanum Veneti prefece- rant spectate fortitudinis et experientie virum, in continentem exponit haud procul ab Iadra ad mille passus pro Iadre menibus. Prefectus Dalmatie, quem banum appellant, cum validissimis copiis prope metatur, vallo et fossa utrinque castra muniuntur. Tota estas sine preclaro facinore transacta; iam ingruerat autumnus et nulla adhuc potiunde urbis spes erat. Banus ad astum conversus Dalmasium a Venetorum fide subducit, duo aureorum milia cum perpetuo stipendio pollicetur, si ad prestitutum diem ad Iadrenses transfugerit; varia adiicit emolumenta. Quibus adductus Dalmasius ex composito cum universo equitatu sub pretextu oppugnande civitatis urbem ingreditur; ex pacto promissa prestantur. Hic post menses aliquot ad tegendam perfidie notam inter Venetos et cives de pace agit, quare utrinque suspectus esse ceperat; desperata tandem pace naufragium perpessus in Italiam traiecit. Civitas deinde a Ioanne Superantio duce mitis ingenii in fidem recepta et cum remisse condicionis mira indulgentia Iadrensi- um animos sibi promeretur atque hinc septime rebellionis causam plerique promanasse crediderunt.

Secundum Andree regis obitum, qui annos fere undecim re- gnavit, inter optimates dissensio maxima oritur atque bipartito potentatus omnis plane dividitur. Nam, cum pars maxima iniquo animo ferret ob Caroli ingressum, qui pontificia auctoritate sibi regnum exposcebat, Ungaros eligendi potestate privari eamque preter equum et fas a pontifice usurpari, ne suo iure cederet, alium inducendum

esse decrevit. Ceteri mitiore ingenio prediti Carolo favebant, quorum 153
 princeps Mattheus Omodeus et Ugrinus cum magna optimatum
 manu fuisse referuntur. His refragabantur Dominicus Stephani 154
 filius magister tavernicorum, ut aiunt, Demetrius Henricus, item
 Ioannes metropolita Colociensis, Andreas Agriensis, Emericus Va-
 radiensis, Haaba Vaciensis, Antonius Canadiensis, Nicolaus Bosse-
 nensis et Iacobus denique Scepusiensis antistes, qui quidem om-
 nes ad Vinceslaum Bohemie regem et Othocari quondam filium
 concessere, ut ab eo filium impetrarent, quem regno Ungarie se
 prefecturos pollicebantur. Atque ne temere quidem se id consilii 155
 cepisse fatebantur, partim ne se eligendi potestate ob arrogantiam
 pontificis defraudari viderentur, partim quia ius regni ad neminem
 magis quam Vinceslaum Vinceslai filium pertinere videbatur. Otho- 156
 carus enim, qui, veluti supra diximus, a Ladislao rege fuerat inter-
 lectus, Bele quarti neptem uxorem duxit ex Anna eius filia natam;
 ex hac Vinceslaum genuit. Qui inito regno Pragam familiari incen- 157
 dio absumptam pulcherrime instaurasse, undecentena equitum mi-
 lia coronationis sue tempore proprio sumptu pavisse, domuisse
 Polonos et clarissima gesta edidisse fertur. Exorantibus tandem 158
 Ungaris filium dedit, qui vix tertiumdecimum natus erat annum,
 cum ad capessendum regnum invitatur; hunc pater ex Rodolphi
 imperatoris filia uxore sua susceperat mire indolis adolescentem.

Quare Ungarorum precibus adactus ad pagum Godin Vinces- 159
 laum regem pontificibus Pannonie assignavit, quem illi sollemni-
 bus rite peractis haud sine hymnorum concentibus honorificentis-
 sime acceperere, iuravere in eius manus perpetuam fidem ac fida
 semper obsequia prestituros; mox Albam venere, ubi eum rite co-
 ronarunt ac Ungarie regem consalutarunt. Ioannem archiepiscopum 160
 Colociensem, cum Strigoniensis paulo ante humanis excesserit,
 hunc coronasse perhibent. Verum Colociensis Scepusiensisque anti- 161
 stes, ubi Budam perventum est, humane necessitati concessere et
 in divi Ioannis ede sepulti sunt. Coronato Vinceslao, quem Ungari 162
 Ladislaum appellarunt, neque ius regium nec potestas a proceribus
 oppidorum neque ullum ab aliis obsequium redditur, immo hi La-
 dislaum, Carolum alii regem clamabant. Seditio gravisque discordia 163
 inter proceres redintegratur et multa hunc multa quoque illum ho-
 minum studia sectantur. Hec omnia ad patris aures continuo de- 164
 feruntur; dum ab Ungaris gnato timet, ne illorum dolis circum-
 ventus occumbat, ingentem cogit exercitum et anno trecentesimo
 tertio supra millesimum in Ungariam ulteriorem descendit. Venit 165
 Pestum et e Budensi arce filium regem cum corona evocat, item
 Ladislaum Vernerii gnatum preforem urbanum, quos pariter ab-
 ductus in Bohemiam quadrato agmine retulit. Hic autem post, ubi 166
 a patre in Bohemiam relatus est, pre mansuetudine et clementia
 ita Bohemorum gratiam promeruit, ut, cum tertio ac trigesimo etatis
 anno phthisi contabefactus obierit, diu ab illis fuerit deploratus.
 Accedebat admiranda vite sanctitas, que sat hominibus explorata 167
 statuum Prage in sacrario sibi merito comparavit. Secundum Vin- 168

ceslai egressum, qui competitoris more timidi ultro cesserat, Carolus eo magis fautores suos adurgebat, ne in ipso successu eum desererent. Bonifatius octavus pontifex maximus alterum ab urbe 169
legatum mittit, cardinalem Ostiensem, cui Nicolao nomen erat, ut Ungaros Carolum pertinacius recusantes anathematis severitate corripere, ecclesiastica censura serviret, animadverteret in gentis asperitatem et pertinaciam, nisi pontificio obsequeretur imperio. Nam 170
suffragantibus Caroli amicis sperabat haud difficulter hac ope ipsum regnum impetratum. Legatus Budam profectus nil aliud per 171
dies aliquot diligentissime curavit, quam antistitum et optimatum dissidentes animos ad concordiam revocare, quos ita discordes offenderat, ut rem continuo desperarit. Multi, etsi se Carolo infestos 172
dissimulabant et pontificis mandata observaturos pollicebantur, tamen re acerrimos adversarios se prestabant. Tam varias hominum 173
mentes mirabatur, ex quibus tandem, quid intra sentirent, nunquam intelligere poterat; quo magis eorum animos percontabatur, eo plus verborum sibi dari noverat. Suam demum operam frustratus non 174
prius abire voluit, quam Budensibus templis et sacris omnibus opera et auctoritate sua foret interdictum. Quod ubi factum est, 175
Romam revertitur, ubi pontifice vita defuncto pontificatum sortitur et Benedictus appellatus. Verum hinc pre indignatione longe maius 176
facinus est exortum, nam cum sacerdotes interdicta sacra servarent, parerent pontificie censure, tunc plerique insurrexere pseudopresbyteri, qui, ut pontifici parem vicem redderent ceterosque a vero pastore diverterent, profano execrabilique edicto summum pontificem cum ceteris antistitibus Ungarie non modo sacris, verum etiam aqua et igni publice interdixere atque alta voce hos omnes profanos et humana consuetudine indignos esse predicabant. Edictum 177
rite in solemni celebritate promulgatum et eo quidem tempore, quo Budensem arcem Petermanus cum presidio tenebat, quem, ut aiunt, Ladislai captivi custodie Vineslaus olim rex ipse prefecerat.

Dum hec ita geruntur, adhuc Carolus rerum potiri non poterat 178
neque optimates, qui, ei suffragabantur, adhuc tantum sibi virium compararant, ut hunc regem efficerent. Ad hoc enim res Ungarica 179
ipsa devenerat, ut pre intestina discordia nullum adhuc regem solidum haberent. Quin etiam illud magis Ungarorum animos exacerbabat, quod creandi regis potestatem, quam olim nunquam amiserant, nunc pontificem eripere velle conspicerentur; quod cum hactenus impetrare non potuerit, nunc, ut extorqueat ac tale ius sibi, vendicet, extremam etiam vim censure pontificie veluti Iovis fulmen adiecerit et maioribus quotidie iniuriis Pannoniam afficere contendat, quod ab omni pontifice vel imprimis maximo alienum esse debet. Quicumque igitur pontificie voluntati et imperio adversabantur pueroque Carolo infesti erant, cum magna nobilium manu 182
coniurarunt et Othonem Bavarie ducem loco regis in Ungariam duxerunt.

Hic, ubi regnum ingressus est, coronam, quam a Vineslao 183
datam et hac electione precario impetratam secum attulerat, Albe

populis ac pontificibus ostendit, quam ubi omnes conspexere, veluti eius numine adacti in Othonis partes concessere. Quod ut facerent, partim novitate rerum, qua vulgus mirifice semper oblectatur, partim pontificis infestatione ac odio sunt impulsī, proinde anno a dominica salute trecentesimo quinto supra millesimum a Benedicto Vesprimiensi et Antonio Canadiensi antistite regiis insignibus initiatus et coronatus est. Mox Budam veniens ac sacrum diadema gestans cum equitatu maximo se per plateas et compita populo spectandum exhibuit, se regem etiam per vicos et suburbia passim ostentavit vir usquequaque gloriosus, futilis et consilii parum compos. Transylvaniam ac ceteros appendices regni lustrare constituit, ut se legitimum principem sua etiam presentia testaretur, quare Belam quendam Thome filium sibi comitem cum maximo adiecit equitatu. In Transylvaniam proficiscitur, ubi Ladislaus dux preerat, quem illi vaivodam dicunt. Post, ubi eo perventum est, rex translaticius confestim a Ladislao haud citra dolum capitur. Coniicitur in vincula et solio deturbatus misere captivitatis iura subivit, qua se expedire nequivit, donec potestati regie renunciavit regnumque deseruit. Inde turpiter eiectus in Bavariam reversus est ac exemplo suo didicit neminem temere se magnis ceptis et illegitimis committere oportere. Ne illud quidem pretermittendum est, quod in corone casu obtigisse affirmant, ne quis hanc divina tutela carere arbitretur. Othonem aiunt, cum regnum aditurus esset, ne quo fortasse dolo corona surriperetur, eam tornata inclusisse lagenam, fidelissimo commisisse cubiculario neque, quid intus esset conditum, significasse. Dum iter omnes faciunt, lagena tanti momenti, que ex equestri sella pendebat, soluto loro inscioque famulo decidit neque nisi ad serum usque tempus iam viginti milia passuum emensus is, quam iacturam fecerit, adverterat. Sed, ubi iam amisisse intellexit, relato mox pede postero die in media hanc via repperit, retulit ad Othonem vasculum ab eo tantopere commendatum. Multi eadem via quamvis fecere iter, a nemine tamen visam fuisse ferunt. Prodigium mox haruspices interpretati Othonem brevi regno potiturum, mox vero repertam ideo dixere, quia Ungaris abalienari sanctum ac pene divinum diadema non posset.

Interea Ladislaus Vernerii filius, quem a Vincenslao una cum filio ductum esse diximus, captivitate liberatus cum Ioanne Kaace filio tertio fere captivitatis anno in dive Petronelle sollempnibus Budensem clam arcem ingreditur et ea quidem parte, que synagoge Iudeorum est proxima. Mox arce potitus complures cives inimicos, qui eum prodiderant, ex insidiis adortus obruncavit. Petermanus pretor urbanus vix evasit. Item duos ex decemviris, quos sibi infestissimos esse noverat, quorum alterum Martunhermam, Martinum alterum appellabant, equorum caudis alligari iussit, per plateas et vicos trahi, deinde crudeliter discerpi discerptosque rogo imponi precepit, fortunas demum eorum omnes occupavit. Paulo minore sevitia in profanos sacerdotes animadvertit, qui contra fas et equum execrabili interdicto pontificiam maiestatem. leserant,

manicis pedicisque vinctos Thome Strigoniensi metropolitae puniendos tradidit, qui, ut in eos ex lege animadverteret, omnes et inedia et perpetuo carcere confecit. Graviter in hos Ladislaus seivendum esse statuit, ut hac seivitia ab impedienda Caroli dignitate ceteros deterreret. Quamquam hac crudelitate Ladislaus regis inimicos haud parum absterruerat, nequaquam tamen adhuc Carolus rerum potiri poterat, spes maior tantum accesserat.

Interea legatus alius apostolicus advenit cardinalis profecto gravissimus et consilii ac virtutis compos non mediocris, cui Gentili nomen erat. Hic anno trecentesimo octavo supra millesimum Pannoniam adiit, annum ibi unum diversatur, dum optimatum rimatur et penitus inspicit animos, antequam severius aliquid adoratur. Post, ubi diversos nonnullorum animos in pontificis obsequium direxit et optimatum principes in sententiam suam traxit, ratus iam instare tempus, quo tutius aliquid ad transigendam rem audere posset, severum anathematis edictum in pertinaces Caroli adversarios promulgavit: Quicumque potens nobilisque Ungarus, antistes pariter sacerve quivis Carolo legitimo regi aut iustum obsequium aut ius regium non reddiderit aut regem appellare recusarit aut quid negotii fecerit aut super ea re apostolici senatus consultum auctoritatemve interpellarit, ei sacris omnibus consuetudine fidelium, item honore sepulture ac aqua et igni interdictum esto, inimicus Christiane reipublice haud aliter, de si aris ac focus ignem iniecerit, ubique gentium habetor. Carolus Caroli regis Sicilie filius hereditario iure matris universe Ungarie legitimus rex esto. Orthodoxam fidem propugnato, pontifici senatuique Romano usquequaque pareto, Romanam ecclesiam, ut fas est, defendito. In Ladislaum vaivodam, ut aiunt, Transylvanum severa est lata rogatio, quando coronam, quam ab Othone rege, quem ceperat in Transylvania, eripuerat, Carolo reddere recusabat neque donis neque minis et vi aliqua, ut restitueret, hactenus poterat adduci. Quin etiam filiam Stephani regis Macedonie filio, quam Serviam nunc appellant, quamvis schismaticum esse intelligeret, nulla tamen vere fidei habita ratione legitimo matrimonio collocarat. Hunc igitur legatus duplicem hanc causatus ansam gravissimo anathemate multavit.

Spectantes hec sibi interdicta commoda Ungari, sine quibus nemo fidelium vitam recte sancteque transigere potest, et cadaveribus passim sepulcra inibi equae commoti omnes regalia in campo comitia, quem Racon circa Pestum appellant, uno consensu haberi oportere censuerunt. Quo postquam omnes optimates nobilesque convenere cum decuriis conventuum, quos comitatus appellant, cunctis suffragiis ac mira concordia Carolum regem creant et octavo post divi Stephani sollemnia die in Alba Regali sacro diademate, quod Ladislaus vaivoda paulo ante reddiderat, anno trecentesimo decimo supra millesimum ex more coronant. Eodem anno pontificio diplomate ac edicto integra delictorum remissio et solida animorum expiatio hominibus indulta fidelibus Rhodianorum militum gratia, qui sub Hierosolymitane expeditionis pretextu Clementis

auctoritate pontificis multum pecuniarum, etiam quam supra credi posset, undique corrogarunt, demum haud sine pontificis infamia res exitum frustrata.

Secundo post hec anno novum Carolo bellum exoritur. Mattheus Petri Trincini filius regale castellum occuparat, cui Demetrium Nicolai filium cum presidio imposuerat. Princeps hic erat opibus et armis eque pollens; aspernabatur regis imperia et occupatum oppidulum ac sepe repetitum invito rege pertinacius retinebat. Rex, ne immodica indulgentia illius audaciam auget, coactis quibusdam copiis castellum obsidet, ut Demetrium ad deditionem reducat. Mille ac septingentos cataphractus equites cum magna peditum manu preter alios Mattheus opinione celerius coegit. Solvende obsidionis gratia adversus regem hunc cum cohorte mittit equitatum, cui Demetrius et Abas ex cognomento Magnus forte preerant. Carolus reformidato hostium adventu, quando se illis imparem fore sentiebat, in Sepusium se continuo recipit; oppidani, veluti par erat, ipsum admisere, obtulere auxilia et equitem cum milite ne paucos quidem numero convocarunt. Nam Sepusium haud parum copiarum ea sibi tempestate coegerat, quibus Cassam civitatem, ubi cives Saxonia oriundi Omodeum palatinum interfecerant, ulciscendi sceleris causa oppugnare iam occeperat. Nunciato regis adventu Saxones obviam ei prodire, proximum utrique locum gerendo bello nimis idoneum utrique certatim occupare properabant; illi monticulum, rex vallem capit et non procul ab Harnado castello metatur. Aderant Rhodianorum militum auxilia bello assiduo exercitissima, quibus haud parum rex ipse confidebat. Instante prelio ad pugnam omnes hortatur; imprimis iura regni ac regiam maiestatem omni studio ac enixu tuendam esse suadet. Ad extirpandos regni hostes omnis excitat, prius moriendum quam perniciosam horum insolentiam tolerandam esse asseverat. Confirmatis legionum animis aciem educit. Interim hostes e montis latere descendunt, in castra impetum faciunt. Carolus subsidia properat ac simul imperatoris militisque officium subit; prout tempus et res postulat, vires mutat. Tanta utrinque ferocia dimicatur, ut multi in primo congressu ceciderint, sed a parte regia aliquanto plures. In Viti et Modesti sollemnibus hoc prelium initum affirmant, quo post Tartaricum bellum nullum crudelius fuisse dicunt. Hic, quamvis rex victor evaserit, plures tamen quam hostis amisit. Nam ex proceribus regis Cacas Stephani Porchi, Stephanus Bageri, Ladislaus Thome, Iacobus Aladarii, Michael Petri, Petrus Bereges et Gurcia Michaelque Gurcie filii oppetiere. Gurcia vexillarius prius in frustra discerptus abscissa dextra quam vexillum deseruit. Ex altera parte Demetrius et Abas hostium prefecti ac duo Omodei filii et ceterorum non pauca multitudine desiderata. Pugna usque adeo atrox et truculenta fuit, ut res ad triaros redacta fuerit; regia signa ceso vexillario conculcata. Carolus ad Rhodianorum se vexilla recepit; cum ad extremum usque pari fere virtute ac sepe utrinque pugnetur, Carolus tandem haud incruenta victoria potitus est.

Plures Carolus uxores duxit imprimis Mariam Polona gente 229
 natam Casimiri ducis filiam non minus pudicitia quam pulchritu-
 dine prestantem. Que ad Demes oppidum postridie dive Lucie sol- 230
 lemnium vita excessit; Albe funus elatum; in ede virginis sepultum
 ferunt ab anno salutis trecentesimo quinto supra millesimum. Vir 231
 tribus annis alteris nuptiis abstinuit, deinde Beatricem Henrici sep-
 timi Romanorum imperatoris comitisque Luceburgensis filiam ux-
 orem sibi copulavit et Bohemorum regis sororem, que vix cum viro
 annum claudere potuit; sepulcrum eius in Varadina basilica spec-
 tare licet. Carolus nequaquam religionis immemor eodem ferme 232
 anno basilicam Albensem frequenti incendio iam collabantem et
 columnis fulcire et tegulis munire plumbeis occeperat; testudinem
 quoque conspicuam adiecerat. Et eodem tempore Mattheus palati- 233
 nus humanis excessit. Anno vigesimo ac trecentesimo supra mil-
 lesimum amicorum suasu Elisabetham Ladislai Polonorum regis
 filiam sibi legitime coniugavit. Quamvis in aliis uxoribus parum 234
 prosper fuisse videretur, ex hac in sequenti anno puerum susce-
 pit, cui paternum nomen est inditum; sed perquam immatura morte
 preceptus vix annum spem patris alere potuit. Infantis Albe funus 235
 celebratum corpusculumque in regum sacellum relatum est. Exin
 tertio post anno Ladislaum regina in Vicegradu genuit.

Post hec peculiaris quedam religio regem incessit, cuius in- 236
 stinctu usque adeo vexatus est, ut nusquam quiescere potuerit, do-
 nec susceptis votis ei satisfecerit. Lodovicus quondam sibi patruus 237
 erat natu maior et divina pietate longe prestantior, qui, cum hu-
 mane ab ineunte etate vanitati renunciasset, sacerdotio se alligavit
 et sua usque adeo sanctitate profecit, ut Tolosani hunc pontificem
 cives efflagitarint. Non solum post mortem, sed, antequam vita de- 238
 cederet, miracula complura edidit, relatus mox inter divos suum
 plane numen ostendit. Proinde, ut domesticorum numinum patro- 239
 cinia sibi perpetuo conciliaret, in Lipa divo Lodovico sumptu re-
 gio edem fundavit, adiecit sacrum Francisci collegium, quod haud
 ab re factum est. Lodovicus enim Marie filius Stephani quinti nep- 240
 pos proneposque Bele quarti se ex voto inter Francisci collegia
 insinuavit, ubi cum mire profecerit, Carolus quoque illi edem ad-
 iecto eorundem sacerdotum ordine dicavit. Nunquam pia veraque 241
 religio cuiquam obfuit neque iusta legitimaque vota frustratur. Lo-
 dovico Carolus quotannis vota defixerat neque impos voti ab eo
 unquam dimissus est. Nam, cum pro futura prole vota susciperet, 242
 vigesimo sexto ac trecentesimo anno supra millesimum tertio No-
 nas Martias Lodovicus natus est. Quem pater a Layo prima nomi- 243
 nis initia, ut faustissima queque forent infanti, sumere iussit; geni-
 ture prodigia ad gravissimum laborem hunc natum esse porten-
 debant. Quanquam infantis aspectus dexterrima multa pollicebatur, 244
 cetera tamen signa deterrebant, que hunc veluti Herculem ad su-
 dorem editum hariolabantur. Absterritum signis aiunt fuisse pa- 245
 rentem, nisi liberalis indoles gravissima queque superaturam se
 ultro polliceretur. Inter cetera, que accidere prodigia, illud ne pre-

termittendum esse quidem censuimus. In sequenti enim anno pridie 246
 eius diei, quo Palmarum festa celebrantur, divi Stephani regis ba-
 silica, quam a Carolo plumbo munitam esse diximus, miserabili
 incendio conflagravit, conflata pre flammis tegule continuo de-
 fluxere, campanaria tantum turris, que sacrario superest, ubi sanc-
 tissimorum regum reliquie recondite fuerant, divina, ut aiunt, ope
 servata. Sed Carolus exitium miseratus instaurata ede iacturam 247
 quam primum resarsit incendii iterumque plumbeo tecto basilicam
 excoluit. Quin etiam eodem anno, ne religio Carolum redderet 248
 infecundum, in Andree apostoli sollempnibus sibi filius natus est, cui
 ab apostolo nomen est inditum. Hic et Lodovicus diu fuere super- 249
 stites. Verum Ladislaus quintum vix annum claudere potuit intem-
 pestiva morte surreptus.

Admirabilia profecto sunt in rebus humanis divina iudicia, 250
 quippe que severiora quandoque bonis quam malis viris visa sunt.
 Quare, nisi illud nobis occurreret Christum optimum maximum sal- 251
 vatorem nostrum calicem passionis nobis quocumque communicare vo-
 luisse, ut eadem tolerantia patientie premio mereremur, neque hanc
 vitam par esse sine angustiis et labore transigere, ut veluti aurum
 igni ita nos adversitate probaremur, profecto a virtutis quandoque
 itinere nimis absterreremur. Carolus ingenti pietate iustitiaeque 252
 pollens una cum liberis et uxore horribilem et formidolosam usque
 adeo fortunam divino fortasse permissu subire coactus est, ut non
 modo opinionem, sed humanam fidem exuperet. Quidam sibi vir 253
 erat, quem Felicianum dixere, e Zaachorum familia natus; apud
 Mattheum Trincinum olim palatinum hic opibus et dignitate cre-
 verat et ab illo dimissus inter servilia regis continuo se insinuarat,
 ut eo facilius supra fortune sue condicionem dignitatem adauge- 254
 ret. Dissimulata huic iniquitas et ambitio, animus ad facinus quod-
 que maximum preceptus ac promptus rapinis et quovis scelere sibi
 rem auxerat. Unicum erat immanitatis, perfidie ac infidelitatis exem- 255
 plar, sed gravissima hec vitia pre liberali quadam audacia et sub-
 ornato semper officio ita contegebat, ut regis gratiam admodum
 promeruerit. Facilem sibi aditum regis ficta quadam mandatorum 256
 observantia et sedulitate ita pararat, ut die noctuque fores paterent.
 In tanta potestate indigni sceleris hunc inaudita incessit audacia.
 Ex improvise regem, liberos et reginam inter discumbendum decer- 257
 nit adoriri, ut cesa cum eo prole tyrannidem invadat omniaque
 pro libidine sua disponat. Videbat enim pacato regno se quiete ac 258
 otio parum posse proficere, contra perturbatis rebus varias facino-
 rosis occasiones offerri. Alii illatum a fratre regine uxori stuprum 259
 ad tantum facinus incitasse dicunt. Quare ex consulto accubantem
 cum uxore liberisque regem in Vicegradus suburbio quintodecimo
 Kalendas Maias sub officii specie ingressus adoritur, stricto mox
 ense regem petit, frustratus ictum eius dexteram levi vulnere lesit.
 In sanctissimam repente matronam conversus dextere quattuor 260
 digitos abscidit, quos femineorum munium et profuse liberalitatis
 ministros vere possumus appellare, cum illa dies ac noctes sa-

cras his vestes contexeret et pararet. Ne adstantibus etiam pueris 261
 pepercit, in quos dum vibrato ense grassatur, pedagogi continuo
 intercessere, quippe qui priorum corporum oppositu commissos
 sibi liberos laudabili fide protexere; pueri interea diffugere. Ped- 262
 agogus alter Chenesichus Gyule filius, alter Nicolaus e Ioanne
 palatino natus fuit. In medio tumultu consternatis dominorum ani- 263
 mis Ioannes Alexandri Potoci filius regine minister spectate indo-
 lis adolescens occurrit, in Felicianum hinc et inde furentem irruit,
 eius collum pugione transfodit humique invertit. Ad suscitatum in 264
 aula clamorem ex pretoriana cohorte milites plerique concurrunt,
 cum nefario parricida digladiantur et pro mensa in triclinio reluc-
 tantem dissecant dissectumque membratim distrahunt. Respirante 265
 cum universa regia paulo post rege rato, quecunque acciderant, vel-
 uti in somniis se vidisse neque adhuc credere vera esse caput
 eius Budam mittitur, manus ac pedes absterrendi sceleris gratia ad
 varias Pannonie urbes evecti. Feliciani filius cum fido cliente, dum 266
 se fuga surripere sperant, illico capti ac equinis caudis disiracti
 animas efflarunt, frustra in foro canibus exposita, corrosa ossa a
 canibus et porcis diu circumlata. Due Feliciano fuere filie; unam in- 267
 ter servitia regine insinuarat, cui Clare nomen fuit, alteram Copai
 coniugarat Seben appellatam, que regine famulabatur. Succisis la- 268
 biis naribusque et octo digitis amputatis per plateas et compita
 circumducta ubique hec exclamare coacta est: Quicunque regem 269
 suum produnt aut in eum exitium moliantur, has talionis penas
 expendant. Sebe vero pro Leva arce Emerici Bechei iussu, qui cas- 270
 tellum cum presidio tenebat, capite multata; vir eius Copais con-
 iectus in carcerem inedia vitam interceptit. Filii a crucigeris militibus
 Rhodon translati ibique perpetuo relegati sunt. Preterea, quicunque 271
 e Feliciani gente nobiles usquam deprehensi sunt, omnes extremo
 supplicio sunt affecti. Hic igitur fuit Feliciani exitus, qui pre ma- 272
 gnitudine sceleris ne debitas adhuc penas exolvit. His autem periculis 273
 Caroli probitas circumventa pacatis rebus aliquantisper requi-
 evit; in chiragram et podagram paulo post incidisse ferunt, eadem
 tamen equanimitate cuncta pertulit.

Verum, ne a sua religione deficeret neve quid spectate sancti- 274
 tatis omitteret, ut sancta peregrinatione errata sua omnia expiaret,
 ex inauspicato Hierosolymam proficiscitur, ut salvatoris nostri sep-
 ulcrum invisat. Parum navigando processerat, cum nova pleros- 275
 que in ipsum bella moliri amicorum litteris edocetur, admonetur
 quoque pergrave Valacchorum instare bellum, quod haudquaquam
 prospere sine regis presentia geri posse credebant. Accedebat haud 276
 modica Felicianorum suspicio, qui, quamvis deleto fere genere ad
 interitum rediissent, si qui tamen superfuerant, nec non formido-
 losi videbantur. Rex igitur his omnibus remoratus invitatus tandem 277
 ab instituta peregrinatione in Pannoniam se retraxit, invenit secun-
 dum reditum non parva misceri, otium iri interceptum et finitimos
 plerosque in se bella moliri. Eius reditu multa continuo pacata 278
 sunt, quievere nonnulli, qui absente rege nova moliri cupiebant.

Transalpini tantum Valacchi Bazarado duce aliquid temere audere visi sunt.

Eodem, quo Felicianus cum universa prole cesus est, anno a 279
 Carolo in Valacchos est suscepta expeditio. Quanquam in Ungaria 280
 magnus delectus est habitus, in diversis tamen locis, prout res ac
 rerum suspicio postulabat, copie in regni finibus distribute; ipse
 cum reliquis legionibus in Valacchos, qui Getarum sedes nunc in-
 colunt, proficiscitur. Hunc Thomas Transylvanie vaivoda, ut aiunt, 281
 et Dionysius Nicolai filius e lanche sanguine natus ad suscipien-
 dum hoc bellum impulere rati exacto vel superato Bazarado se
 permissu regio patentissima Getarum regione facile potituros. In- 282
 dicendi belli causa nulla legitima fuerat, quando quotannis Baza-
 radus stata regi stipendia solverat, immo ne minimam quidem annui
 tributum partem omiserat nulliusque potuerat hactenus infidelitatis
 argui, sed illorum, quos diximus, suasu hinc otium ex inauspicato
 intercipitur. Quare coacto in Transylvania exercitu in Valacchos castra 283
 mota. Inprimis Zeurim, nam oppidum sic appellant, rex obsidet,
 paucorum dierum obsidione capit, mox in eius appendices effusus
 pagos diripit, ne minus quidem igni quam ferro sevit. Captum vi 284
 oppidum Dionysio spem suam non frustato dono datur, reliqua regio
 versus Pontum in immensum effusa et aquarum indiga regi late
 patebat. Hec ubi Bazarado nunciata sunt, ne quid e sue modestie 285
 partibus remitteret, legatos prius, quam aliquid auderet, ad regem
 mittit, quibus hec mandata dedit, Carolo significant hoc sibi ne
 satis quidem iuste bellum indictum, quando fidem debitam us-
 quequaque servarat, imperata prestiterat et annua quoque tributa
 persolverat; sed, quando regibus longe maior quam inferioribus 286
 licentia suo iure tribuitur, quorum iniuria pro iustitia sepe haberi
 solet, Bazaradam, ne a suo rege desciscat, omnem in se culpam
 ultro transferre; se non Carolum incusare, item polliceri captum 287
 cum appendicibus oppidum sponte regi permissurum ac super ea
 re ius omne concessurum, quin etiam pro rependendis belli sump-
 tibus septies mille argenti pondo soluturum; annua expensurum 288
 vectigalia et obsequia queque prestiturum, daturum vadis loco fi-
 lium, qui in aula regi perpetuo ministret; ad postremum hac et
 multa alia facturum, si data pace rex abierit; contra, si abnegato 289
 contemptoque servitio hostili animo ultra processerit, ex hoc tem-
 pore commonefacere imminentia precavere pericula et non modo
 iniuriarum penitentiam, verum etiam gravissimum iustare suppli-
 cium. Cum hec mandata Carolus accepisset, adnitentibus amicis, 290
 qui eum ad bella ista coniecerant, parum probe respondit Baza-
 radum usque adeo insolentem, ut suo etiam regi intermineret,
 cuius ovium se pastorem esse non ignorat; his adicere demissa
 se barba Valacchum e feralibus lustris extracturum. Talia respon- 291
 dentem unus e proceribus, quem Donchum appellabant Zolii ac
 Lipthe comitem, libera quadam fiducia fretus amice corripuit Baza-
 radum recte ac perhumane loquentem his responsis non esse di-
 gnum; parentis amici officia nequaquam contemnenda, pacem po- 292

stulanti nunquam abnegandam ac his vel maxime, qui obsequia
 semper fida prestiterint; nulla in eos insolentia procedendum, qui 293
 fida obsequia deferunt et iusta petunt; postremo a maiestate regia
 nil magis insolentia et iniuria alienum. Exacerbatus his monitis 294
 Carolus pertinacius responsa confirmavit et Doncho parum auscultans
 postero die in Bazaradum castra movit. Cum inter montes et 295
 sylvas iter faceret neque equis pabula neque militibus commeatu
 invenire poterat, pagos a rustica manu destitutos offendebat, in
 quibus, ut rerum omnium inopia hostem perderent, ex debita nihil
 industria deseruerat. Redacto ad magnam inedia exercitu Carolus 296
 necessitudine summa coactus accepta parendi sibi fide cum Valaccho
 pacem facit ac luto redeundi potestatem exposcit impetratque. Et 297
 relato pede a perfido sibi hoste nihil timet nescius spe sua se fal-
 sum iri; inter redeundum insidias hostis regi collocat; nam, cum 298
 per angustias montium iter faceret, viarum diverticula et iuga mon-
 tium ille preoccupat. Ungarorum agmina inter angustias redacta, 299
 dum progrediuntur, demissis lapidibus ac telis obruit ceditque et,
 dum hinc vertere nituntur, anticipata cuncta diverticula conspiciuntur,
 commiscuntur pre timore invicem neque procedere neque reverti
 licet. A praeruptis avisiisque locis hostem deturbare nequeunt, omni- 300
 bus una mors ac exitus instabat, desperata salute irritisque cona-
 tibus multi cadere occipiunt. Proceres cum egregiis gregariisque 301
 militibus promiscue cadunt, quadriduum in angustis versati ad in-
 terneccionem fere ceduntur omnes, quin et effugere conati inter sese
 mutuo collisi miserabiliter obruebantur. Incredibilis ibi legionum 302
 facta iactura et ingens patrata strages, quam circiter divi Martini
 sollempnia accidisse memorant. Hic Andreas Albane basilice antistes 303
 eximius, qui regi serviebat ab epistolis, et Michael Poseganus ac
 Nicolaus Albe Transylvane sacerdos, item Andreas Sarubensis edis
 antistes e sacro Dominici collegio editus singulari quadam probi-
 tate pollens cum sociis plerisque defixis in capite clavis, cum in
 hostis potestatem venissent, omnes crudeli morte expirarunt. Re- 304
 galis etiam edicule sacerdotes ad unum omnes, qui in hostis po-
 testatem venire, immani supplicio affecti sunt. Insuper immensa 305
 Cumanorum multitudo cecidit, novissima vero manus, que super-
 fuit, partim saucia partim integra in Valacchi potestatem pervenit.
 Immensus cesorum numerus, qui in angustis montium et conval- 306
 libus oppetere, sepulcri honore caruit, quando barbari sevitia mor-
 tuis etiam nihil indulisit. Carolum ita evasisse ferunt mulasse arma 307
 eaque Deseum Dionysii filium induisse, qui Getici belli auctor fu-
 erat; regem vix stipantium pauca veteranorum caterva evasisse;
 Deseum regalibus armis subornatum, quando paterna scelera ita
 postularant, pro rege ab hostibus interfectum. Ex his, qui regem 308
 fortissime protexere, Donchum Ladislaumque filium, item Marti-
 num Bereudi filium cum aliqua parte pretoriane cohortis potissime
 numerant. Innumera quidem multitudo subeuntium erumpentiumve 309
 Ungarorum telis hostium occidit. Utriusque partis numerus deside-
 ratorum definiri non potest, sed insignem ibi cedem utrinque pa-

tratam, quamvis Ungaros ad interneccionem cesos annales non referant, nemo tamen ignorat. Ad postremum rex divina potius quam humana ope tanto discrimine liberatus cum filio ac saucio comitatu Themesvarum primo, deinde Vicegradum pervenit. Iesu Christo liberatori imprimis, deinde ceteris numinibus soteria rite persolvit. Fidelitatem comitum perpetuis muneribus beneficiisque excoluit, donavit plerosque civitatibus et salutis auctores quotidianis honoribus exornavit. Post hanc stragem et pericula infeste fortune lenimen, dum divi regis Stephani festa celebrantur, scitus Carolo puer natus est, quem Stephanum quoque appellari iussit et hunc anno trigesimo secundo super terdecies centenum natum esse voluit.

Succurrit deinde spes ingens Neapolitani regni, quam insequenti anno assequi curavit. Verum res hec aliquanto altius repetenda. Carolo secundo regi quondam Apulo pre ceteris duo prestantiores fuere filii, Carolus, inquam, Martellus, qui filium Carolum Ungarie regem statuit, et Robertus Calabrie dux, qui defuncto patre Neapolitanum regnum haud sine Romani pontificis auctoritate ac hereditario iure consecutus est. Et pontificie dicionis imperium assecutus, ne tanti beneficii videretur immemor, fluctuante diu Guelforum Gibellinorumque factionibus Italia pontificias partis omni semper studio et labore tutatus est. Cum in tutelam Florentinos accepisset, Carolum illis filium prefecit. In Etruria diu bella gessit et in Florentino late agro dominatus est, sed post eius obitum vivente adhuc Roberto rege in Atheniensium ducum tyrannidem Florentia deinde concidit. His temporibus Europa et imprimis Italia plus solito fluctuavit. Clemente nanque pontifice decedente, qui Celestinum in divorum numerum retulerat, Romana diu sedes vacasse dicitur. Germanie tunc principes, quibus est imperatoris eligendi potestas, per secessionem duos Cesares creavere; alteri Lodovicum Bavarie, Fredericum Austrie ducem alteri, quare armis litem dirimere placuit. Conserto prelio Fredericus superatur capiturque. Lodovicus fortune dexteritate elatus citra pontificis auctoritatem imperatoris et Augusti nomen usurpat. Inita cum vicecomitibus nonnullisque Italie regulis amicitia, cum a Ioanne pontifice approbari non posset, in Italiam contendit. Romam profectus Ioannem pontificatu abdicat et a Sarra Columnensi coronatur. Petrum Corbaniensem Ioanni surrogat, quem se mox iterum coronare iubet. Pisani, qui post Castrulii tyranni mortem in Lodovici imperatoris potestatem venerant seque in libertatem vendicarant, falsum pontificem, ubi Lodovicus in Germaniam se receperat, capiunt captumque ad Ioannem pontificem Avinione tunc agentem (nam in ea urbe Romanum collegium annos circiter quattuor et LXX hec tempora retinere) continuo miserunt, qui suum facinus ingenue fassus vitaeque donatus tertio post anno honesto carcere remoratus obiit. Dum hec a Pisanis aguntur, in sequenti anno Ioannes rex Bohemie Henrici septimi imperatoris filius et Caroli imperatoris pater Italiam ingressus Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Regium et Mutinam in potestatem accepit. In omnibus his procellis Robertus ec-

clesie partibus semper favit, sed ob Ioannis regis amicitiam, qui cum pontificio legato se coniunxerat, mutatis factionibus cum Scaligeris, Gonzagis, Carrariensibus et Hestensibus fedus inivit; iniquo nanque animo imperatorem aliquem adire Italiam et ius aliquod in ea retinere olim ferre videbatur.

Sed, cum paucis ante mensibus Carolum Florentie regulum ³²⁵ intempesta morte surreptum amisisset, remorata ambitione ac imperandi aliquantisper cupiditate de regni successore cogitare cepit. Extemplo filii mortem fratri nepotique Carolo nunciavit, qui longe ³²⁶ lateque in Ungaria dominabantur et quem leta liberorum fecunditate prepollere noverat; ex eo successionis adminiculum querit. Carolus Roberti casum miseratus in Italiam Andream filium, qui ³²⁷ annum vix sextum agebat, mittere decernit, ne filii fortunam interturbet regnumque avitum alienis manibus occupari patiat. Plerique ³²⁸ que Carolum Martellum eius avum cum Andrea in Italiam profectum fuisse scribunt, sed nondum hoc satis exploratum. Ut secum ³²⁹ pro dignitate delectum comitatum ducat, imprimis archiepiscopum Strigoniensem, cui Canadino nomen erat, et Andream Varadinum antistitem, Iacobum Longobardorum gente natum, Canadiensem episcopum ac Donchum, de quo supra diximus, numerosamque nobilitatis manum cogit et anno CCCXXXIII. ultra millesimum pater et Andreas ex Vicegradu proficiscuntur decimoque die Zagrabiam perveniunt. Et, cum per Dalmatiam iter facere statuerint, superatis ³³⁰ lapidie montibus Seniam descendunt, unde comparata classe quatuor dierum navigatione in Apuliam traiciunt. Hac spe nimium ³³¹ ductus est pater, ut filium Roberti regis precibus electum, perbrevis quoque Ioannis XXII. pontificis auctoritate coronatum in Italia relinqueret et Ungarie regnum Lodovico primigenio, ut par erat, addiceret, quare se fortunatissimum patrem futurum esse confidebat. Adventanti ³³² Robertus gratulabundus occurrit, nepotem Carolum puerumque Andream amplexatur, horum adventu se sue prolis iacturam resarsisse profitetur. Is enim iam gravi etate confectus, qui non minus ³³³ probe quam docte vitam duxerat, hoc reliquum, quod supererat, annorum sanctissime contemplationi delegato nepoti regno dicare statuerat; sed amicorum instantissimis precibus adactus consilium mutavit. Quare ad extremum usque diem sibi regnare ³³⁴ placitum est et Andream cum Ioanna nepte pariter adoptare, qui post eius mortem legatum sibi regnum paribus gererent auspiciis. Robertum regem Franciscus Petrarca non minus materne quam ³³⁵ Latine lingue numeris excellens ceteris tempestatis illius principibus anteponit, nam litterarum studiis eque ac studiosis viris deditissimus mira probitate ac rerum omnium doctrina claruit. Defuncto ³³⁶ filio Carolo Florentinorum duce due Roberto neptes superfuere, Ioanna, quam Andree destinaverat, et altera, que parum celebrata est. Verum illud haudquaquam silentio pretermittendum, quod ³³⁷ Ungaricorum scriptor annalium aut negligentia aut inscitia subticuit. Carolus Martellus Roberti regis frater cum Carolo filio in Ungariam ³³⁸ venit, ubi diu versatus, antequam regno potiretur, tandem

eo potitus gnatum coronandum esse studuit. Hic, ubi regis insi- 339
 gnia assecutus est, cum patre pariter imperavit et, ut supra dictum
 est, Lodovicum et Andream genuit ac immaturo fato surreptus diem
 obiit. Carolus Martellus pater interea regnum administravit. Rerum 340
 Ungaricarum scriptor utrunque Carolum confundit. Blondus ac ce- 341
 teri Lodovicum et Andream Caroli Martelli Ungarie regis nepotes
 esse scribit, nam Robertus Carolusque Martellus suo uterque filio
 pariter orbatu nepotes adoptare coacti sunt. Martellus Lodovicum 342
 Ungarie, Robertus Ioannam neptem et Andream Apulie post mor-
 fem ex testamento prefecere. Aliquantisper evagati sumus, ut res 343
 Italicas ac temporum condicionem contemplaturi facilius historiam
 animo complectamur. Pannonici Carolum annales relicto in Italia 344
 Andrea, quem Robertus usque ad mortem coronare recusarat, quam-
 vis extemplo in filium adoptarit, eodem, quo profectus fuerat, anno
 in Ungariam rediisse perhibent hac firmissima spe a Roberto fratre
 dimissum Andree omnino nepoti ac Ioanne, quam ei desponsarat,
 regnum procul dubio legaturum, quod paulo post tempore ex com-
 posito speratoque successit.

Postquam Carolus in Ungariam reversus est, in sequenti anno 345
 Ioannes rex Bohemie filiusque Carolus, qui non multo post imperium
 Romanum sortitus est, item Casimirus rex Polonie Vicegradum ad
 Carolum circa Martini sollempnia convenere, ut de componenda pace
 agerent. Ioannes, cuius aliqua superius habita est mentio, Lucebur- 346
 gensium comitum genere natus Bohemos dissidentes acriter casti-
 gavit, Australes gravi bello corripuit. Multas in Italia urbes sibi 347
 domuit, occupato Polonie regno, cum quiete retinere non posset,
 Casimiro, qui bis dena milia pondo argenti pependerit, ius ultro
 suum cessit. Graccovie obsidionem commeatum defectu plane de- 348
 seruit a rege Gallorum adversus Britannos iure necessitudinis in-
 vitatus. Cum annis quinque ac triginta regnasset, in truculentissimo 349
 prelio inter confertissimos hostes cesus est. Carolum eius filium 350
 patri haudquaquam inferiorem fuisse memorant, quippe qui vivente
 adhuc patre Tartaros forti animo fudit. Cisalpine Gallie civitates 351
 a patre olim acceptas acerrime tutatus est. Veronenses audacter
 profligavit; bis in eo bello equo cecidit, tertium conscendit haud
 veritus fortissima queque militis prestare facinora. Parme alienos 352
 sepissime toros incestavit; nequaquam abstinuit a patre increpitus.
 Regnum Bohemie religione ac optimis disciplinis iuxta illustravit.
 Introduxit Pragam liberalium studia litterarum. Novam Civitatem 353
 muro cinxit, fundavit cenobia multa, arcem erexit admirabilem, re-
 giam conspicuam statuit, universum denique regnum pacavit. Eiectus 354
 ad imperium Italiam rursus ingreditur, Longobardos in potestatem
 suam accepit, eiectis Guelfis Gibellinos extorres Florentie restituit,
 reliquis Etrurie partibus pro arbitrato suo leges dedit. Coronatus 355
 est Rome magnificentissimo apparatu, quare, ne a Romano collegio
 dissentiret, omnes novitatis auctores summo pontifici multandos
 tradidit. Fratri, cui Ioanni noinen erat, Moraviam concessit. Pra- 356
 gensensem basilicam metropolitana dignitate decoravit. Ut Vinceslaum 357

gnatum se adhuc vivente Romanum regem crearent, ab electoribus imperii et precario et ingenti largitione impetravit. Sigismundus alter Caroli filius a Lodovico rege Ungarie in spem regni adoptatus multo post tempore fuit. De his hactenus. Hec de Ioanne Caroloque diximus et de Casimiro aliquid adiecimus, ut, quanti momenti principes fuerint, qui ad Carolum Pannonie regem pro componenda pace venerunt, liquido diiudicaretur. Cum igitur inter hos reges de ineunda concordia perpetuaque societate in Vicegradu ageretur, paucis post diebus pax confecta. Hi tanta rerum omnium copia et tantis apparatus tractati sunt, ut nemo e Bohemis Polonisque fuerit, qui vini et obsoniorum omnium abundantiam satis admirari posset. Res victui necessarie omnibus profusissime erogate, accessere dona regibus pro dignitate distributa, que Pannonici regis magnificentiam cum eterna laude testantur. Ioannes rex Bohemie pre ceteris vasis argenteis quinquaginta duabus pharetris totidemque balteis, insuper latrunculorum tabula mira arte auroque multo elaborata, ubi angulares pyrgos, instructas utrinque peditum acies, cataphractos equites et reges collatis signis pugne vere simulacrum referentes cernere erat, quos omnes aurata et gemmata arma campique pavementum iaspidibus et smaragdis tessellatum ad certamen irritabat, item duobus ephippiis non tam auro quam ordine lapillorum excultis a Carolo donatus est. Adiecta sunt his pocula gemmata duo, alterum CC argenti pondo appensum, alterum e solido auro confectum in conche speciem et arte et gemmarum multitudine sane conspicuum. Ne minore quidem magnificentia in Casimirum usus est, qui, cum statuta Bohemie regi tributa penderet, quippe cui Polonie ius omne paulo ante, ut supra retulimus, ille concesserat, hac beneficentia dimissus est; quingentis enim auri pondo ab Ungarie rege donatus est, ut debita ad assem Ioanni stipendia persolveret. Demum illic confecta pace perpetuaque societate convenit inter eos, ut, quicumque ex his regibus primus vi armisve ab aliis lederetur, ceteri continuo auxilia pacta conferrent. Fedus gravissimo a cunctis iuramento percussum et confirmatum est.

Cum hec omnia, que dicta sunt, anno salutis trigesimo quinto ac terdecies centeno gesta forent, tertio post anno Vicegradum Locha dux Ruthenorum advenit, delectum secum equitatum adduxit, postulavit perpetuam pacem ac fidissime amicitie officia cuncta promisit. Annuit postulationi Carolus virumque icto federe honorifice donatum dimisit. In sequenti anno Casimirus Polonorum rex ac Lodovici avunculus ad Carolum rediit, honorificentissimum secum et procerum et antistitum comitatum adduxit. Rex hunc in frequentissimo optimatum pontificumque suorum concilio excepit, ut affinem suum pro dignitate reciperet. In celeberrimo utrorumque principum conventu Casimirus publice Lodovico ex sorore nepoti et Caroli filio primigenio orbitatem causatus Polonie regnum legavit, adoptavit in filium et omnes, qui aderant, pontifices optimatesque novissime voluntatis sue testes esse iussit; id ipsum ceteri, qui aderant, Poloni ultro confirmarunt ac super ea

re sollemne privilegium factum est. Carolus tanta beneficentia preter opinionem affectus nullum gratiarum ac liberalitatis officium in Casimirum et ceteros Polonorum principes pretermisit.

Secundo post anno locustarum pestis a Sirmio Pannoniam incessit usque adeo gravis, ut e segetibus arboribusque et graminibus nihil dimiserint; vineis preter omnium opinionem pepercisse aiunt. Tertio anno Poloniam, Austriam et Bohemiam invasere, mox bipartito divise in Italiam et Gallias effuse populatis agris communi exitio passim absumpte. Eadem quoque tempestate cometes in celo visus ac in Etruria imprimisque Florentie pestilentia magna deseivit. Sexdecim hominum milia sunt lue hac absumpta, cum agitato in urbe censu conditoque lustro nonaginta hominum milia superiore anno censa forent.

Postero anno et cometes et prodigia multa, que principibus interminantur, maximorum regum fata traxere. Anno nanque quadragesimo secundo supra tredecies centenum Roberti et Caroli obitus intercessit, quorum morte Italia eque ac Ungaria animo consternata est; prestantissimum utrunque regem illa secula protulere, qui domi pariter ac foris prepolluisse referuntur. Robertus Andream nepotem suum et Caroli fratris Ungarie regis filium, cui Ioannam neptem uxorem dederat, post se regnare iubet, qui, ut deinceps referetur, cum annos tris in Italia regnasset, agnatorum insidiis uxorisque consensu, qui regnum anhelabant, laqueo enectus est. Carolus eius pater, cum annos duos et quadraginta regnasset, ingravescente febris estu in Vicegradu non sine perpetua nominis sui gloria XVII. Kalendas Augustas diem obiit. Quem ita longe lateque dominatum esse ferunt, ut Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Ungariam et adiecto Gargano monte Salernum ei paruisse ac vectigalia quotannis stata pependisse predicent. Promulgata regis morte tantus omnes meror incessit, ut publico planctu quateretur Ungaria; antistites, proceres, populos ac nobiles iuxta hic dolor omnes afflixit, nemo fuit ex Ungaris finitimisque, ad cuius animum meror iste non penetrarit. Presertim Elisabetha, Lodovicus ac Stephanus, ad quos propius dolor attinebat, eius obitum afflictim deplorarunt. Coactis undique pontificibus, regulis, optimatibus et collegiis sacerdotum corpus editiore thalamo resupinatum, cui trabea coccinea, gemmatum diadema, item ensis aureaque calcaria ac cetera regis insignia aderant. Ad prestitutum exequiarum diem ex urbibus et pagis innumera multitudo convenit, profuso tot gentium ululatu omnia resonabant; funus in dive virginis edem elatum; omnes ordines pulla veste funus honestarunt. Peractis rite sacris postridie bucentauro imposuere ac secundo amne Budam cum maxima comitum classe delabitur. Instaurate ibi exequie; postero die Albam effertur; quoscunque vicos et oppida tangebatur, viri cum mulieribus fuis crinibus occurrere, redintegrare funus et ad continuandum luctum fessam multitudinem irritare. In itinere Laurentius unus e proceribus Sclavonica gente natus vir spectate virtutis ac roboris

eius quondam vexillarius signa ante funus regia passim prefulit, precessere tris equites cataphracti purpura, gemmis auroque conspicui, qui eius arma preferebant. Struthione pro aquila Carolus 390
 usus est. Hi dominum extinctum passim ingeminare, pia ceteros
 nenia ad luctum provocare. Demum in divi Stephani basilica cor- 391
 pus palam reconditum, ubi satis superque conclamatum est. Gem-
 mata arma, vestes, vasa aurea ac ingens donativum templo af-
 fixum. In sequenti mense Casimirus e Polonia ac Ioannes Moravie 392
 regulus et Caroli imperatoris frater Vicegradum cum honestissima
 nobilium pontificumque turba convenere, funus pientissime instaura-
 runt et Albam deinde profecti Carolo rite parentarunt ac se regi
 iusta persolvisse rati reginam, item Lodovicum ac Stephanum dili-
 gentissime consolati sunt. In Caroli funere Chanadinum Strigoni- 393
 ensem metropolitam ornatissimam de laudibus eius orationem ha-
 buisse ferunt, qua maximum lacrimarum profluvium auditoribus
 exhausisse dicitur.

His temporibus Franciscus Petrarca poeta clarissimus ab 394
 Urso tribuno plebis Stephani Columnensis collega in Capitolio lau-
 rea corona donatus est. Ciccus quoque Asculanus concivis meus, 395
 qui Roberto regnante claruerat ac tempestate illa inter astronomos
 et magos excellentissimus habebatur, quia Ioanne Caroli Florentie
 reguli filie fata predixerat, Accursii inquisitoris criminibus insimula-
 tus aliquot ante annis extremo supplicio affectus excesserat, quem
 iniqua morte multatum omnes censuere. Quin etiam quattuor ante 396
 annis cometes menses quattuor apparuit et, antequam occideret,
 alter duos menses emicuit, ex quibus facile erat duorum regum
 fata predicere. Eodem quoque tempore decem Sarracenorum milia ab 397
 Hispanis cesa totidemque capta. Item Galli congressi cum Britan- 398
 nis fusi ac fugati sunt et decem eorum milia in eo conflictu desiderata.

LIBER X.

Celebratis rite Caroli exequiis Carolum Martellum Ludovici 1
 avum filio superfuisse plerique volunt. Uter ex his prius diem obie- 2
 rit, Ungarici annales nil sane definiunt, sed neutrum funeris ho-
 nore defraudatum pro utriusque gestarum rerum gloria reputemus.
 Secundum amborum secessum Ludovicus adolescens avitis moribus 3
 imbutus omnium acclamationibus populorum optimatumque suffra-
 giis rex Ungarie declaratur. E generosa huius indole ac studiosis- 4
 sima patris et avi educatione faustissima queque vulgus hariola-
 batur. Pollicebatur spem optimam ingenuus adolescentis aspectus, 5
 cui tantum inerat maiestatis, ut spectatorem quenque sibi facile con-
 ciliaret, adduceret in admirationem ac tacitam sibi quandam reve- 6
 rentiam postularet. Liberalis eius facies non tam libera responsa
 quam facilem gratiam et officia indicabat. Quamvis ingentem animi 6
 magnitudinem pre se ferret, pudore tamen summaque modestia non
 carebat. Ferventis etatis impetus gravitate ac moderatione quadam 7
 ita coercebat, ut uno eodemque tempore ineodem homine et iu-

ventutis alacritatem et gravitatem senectutis liceret intueri. Exorna- 8
 bat hec omnia magna religio, inaudita pietas, iustitia singularis,
 ingenita clementia maturaque consilia cum summa magnanimitate
 coniuncta. Augebat gratiam et decorum popularitas incredibilis et 9
 affabilitas indefessa; ingenium eius et mores ad regnandum na-
 tum esse portendebant. Optimas quasque dotes Gallici Pannonici- 10
 que sanguinis in hunc omnes convenisse facile dixeris. Nil indi- 11
 gnus molestiusque tulit, quam beneficentia et liberalitate vinci aut
 sui regni iura ab aliis usurpari; domi forisque eque prestans fore
 videbatur. Dolorem publicum e patris avique interitu conflatum 12
 spe omnium officiorum lenivit resarsitque neque parum etiam con-
 solationis pientissime parentis probitas afferebat cum maxima sanc-
 titate coniuncta, que omnium antistitum procerumque spem quotidie
 confirmabat. Quare in regalibus comitiis rex ab omnibus declara- 13
 tus Albe continuo in frequentissimo Pannonum conventu rite coro-
 natus est. Nemo unquam tot favoribus ac tam propitio populorum 14
 ac ordinum omnium consensu rex unquam creatus esse dicitur.

In faustis hominum salutationibus nil aliud retulisse memorant 15
 quam iubere omnes de se bene sperare, se pro salute regni om-
 nia pericula et labores perpessurum; proinde omnes passim ex-
 orare, arma sumant, accingant se bello seque duce ac milite, qui-
 cunque regni appendices leserint, occuparint, in eos irruant Pan-
 noniamque ac Illyricum Daciamque pacent; in perfidos et infideles 16
 vi ac armis animadvertendum, pro patria, pro liberis, pro aris ac
 focus fortissime pugnandum. Consternati iam principum interitu 17
 Ungarorum animi Lodovici regis hortatu usque adeo suscitati et
 confirmati sunt, ut nil Marte vindice ducerent antiquius. Delectum 18
 continuo habendum postulant, ultro per acclamationes cuncti dant
 nomina, quin et senes et sarcri homines ad expeditionem saluta-
 rem incenduntur. Item vulgo mulieres succenturiaturas pollicentur. 19
 Tantum hinc animi Ungaris adcrevit, ut bellum indici nuncupatis
 votis exposcerent. Ne minus quidem immortalitatis amor ac regni 20
 caritas Lodovicum in dies plane sollicitabat. Quare, antequam coro-
 nationis ille conventus solveretur, coacto senatu illatas omnis in-
 iurias, perfidiam suorum, lesa regni iura et quecunque vi occupata
 fuerant, ad patres referri iussit. Imprimis contumacia Saxonum- 21
 que rebellio venit in medium, qui Transylvaniam incolunt, quippe
 qui audita principum morte contempta successoris indulgentia ac
 rerum novitate freti debita regi vectigalia interceperant, detrecta-
 bant obsequia, a regia fide sane defecerant. Senatui primo placuit 22
 absterrendorum aliorum causa, qui rebellionis clandestine argueban-
 tur, hanc in Saxones expeditionem suscipi. Itaque summo studio
 hanc omnes militiam appetivere, magnus quamprimum cogitur 23
 exercitus, patres fere omnes regem iuvenem comitantur. In Tran-
 sylvaniam ubi descensus est, correptis plerisque oppidis ceteri
 Saxones levitatis et insolentie pertesi ad Ungaricam dicionem red- 24
 iere. In omnes eos, quos matura corripuit penitentia, se beni- 25
 gnum exhibuit, quicumque in fide permansere, indulgentia et libe-

ralitate sua confirmavit. Nonnulli populi nobilesque, quorum animi 26
dudum nutare ceperant aut temere defecerant, antequam in se
publice animadversum iri sentirent, veniam in tempore postulatam
implorarunt. Ad pacandum profecto regnum haud parum quidem 27
contulit Alexandri Transalpine Valacchie ducis exemplum. A Carolo 28
quondam hic rege defecerat, cuius potestati parere ex antiquorum
instituto consueverat, pertinacius in rebellione permanserat, nulla
vi, precibus ac monitis ad prestandum, quod debebat, obsequium
reduci poterat. Secundum illius obitum post, ubi Lodovicum rerum 29
potitum accepit, audita iuvenis faustissima magnanimitate optimaque
fortuna, cum suis finibus appropinquare sensit, continuo supplex
Lodovicum adivit genuaque amplexatus veniam exoravit, munera pre-
tiosissima obtulit ac, ne debitus vectigalibus defraudasse videretur, decies
centena auri pondo dedit pollicitus se posthac imperata cuncta
facturum eique perpetuo pariturum. Contra Lodovicus data pace non 30
tam errorum impunitate quam pari liberalitate donatum dimisit.
Quare Alexander tanta iuvenis clementia et beneficentia devinctus 31
redintegratam cum eo societatem fidelitatemque perpetuo servavit.

Elisabetha vero mater pientissima matronarum decus unicum 32
et prudentie ac sanctitatis exemplar post viri fatum et initum Lo-
dovici regnum et Andree gnati absentis gratia, qui nondum in
Apulia regnare ceperat, et invisende urbis Rome desiderio eque
impulsa, quando humano pariter et divino trahebatur affectu, im-
petrato ab altero filio comitatu in Italiam traicere contendit. Com- 33
itatum sibi et procerum et matronarum honestissimum delegit, optavit
plerosque pontifices doctrina et probitate prestantes. Ne quid 34
viatico deesset, multum secum pecuniarum attulit; septem et XX
milia pustulati argenti pondo, obruse vero, quod purissimum au-
rum appellant, septemdecim milia secum tulisse ferunt, post hec ne
mediocre quidem aureorum denariorumque his adiecit. Addidit his 35
quoque Lodovicus quater mille auri pondo, ut eam pro sua matris-
que dignitate dimitteret. Geminas Veneti triremes gratis compararunt, 36
quibus eam cum universo comitatu dexterrima navigatione anno
quadragesimo tertio supra terdecies centenum in Apuliam traiecere.
Vix hec Siponti litus attigerat, cum occurrentem sibi Andream et 37
Ioannam cum ornatissima principum turba conspexit. In primo con- 38
gressu tantus utrinque hilaritatis et letitie plausus est editus, ut
lacrimas congratulationibus mutuis admixtas cernere esset. Elisa- 39
betha in filii ac nurus amplexus effusa pre longo ac ingenti desi-
derio pene defecit, mox eorum osculis levato desiderio subinde
respiravit. Dehinc Neapolim versus iter ineunt; oppidatim eximii
honores exhibiti. Post, ubi Neapolim perventum est, cum paucis 40
ante diebus Robertus vita decesserit, iam coronandi Andree et
Ioanne uxoris tempus instabat et aliam coronam quam a pontifice
Romano impetratam gestare non licebat. Convocatis principibus eo 41
senatus consulto Nicolaus palatinus, Paulus aule prefectus, Tho-
mas Rufus, Vitus Nitriensis episcopus, Thomas Petri filius, item
metropolitani Beneventanus cum magna nobilitatis manu legati pro-

nunciantur honestissima profecto legatio, que rem tanti momenti haudquaquam dedeceret. Ne inferior quidem huic accedebat apparatus. Destinantur Avinionem, ut a Clemente sexto pontifice maximo, cuius imperio Neapolitanum regnum parere debet, Andree ac uxori diadema impetrent, ut pontificia auctoritate utrique regno potiri liceat, quod difficulter, ut infra patebit, consecuti sunt.

Elisabetha autem in sollemnibus sancte crucis Neapoli egressa cum delecta optimatum et antistitum manu Romam contendit, ut apostolorum basilicas invisat. Neapolitanus eam archiepiscopus proprius comitatur. Dum per Campaniam iter faciunt, ex vicis ac oppidis spectatum omnes passim occurrunt; non tam ornatissimum comitatum quam pientissime regine sanctitatem admirantur Religiosam matronam intuentur, que nunquam orando cessabat et cunctis rogatoribus miserabilibusque hominibus inter eundem profusas eleemosynas erogabat. Augebat decorem coniuncta cum venustate sanctitas, quod ardentissimam a cunctis spectatoribus reverentiam exigebat. Iam omnium in se ora converterat ac de loco prevenerari cepta; alteram Sabam reginam hanc esse omnes predicabant. Totum illud iter orando transegit; cum ad tertium lapidem urbi appropinquasset, universus populus et senatorum et sacerdotum ordo in eius occursum effunditur, optimates urbis et imprimis Ursini et Columnenses certatim ad officium properantur. Urbem ingressa faustissimis passim acclamationibus a Romanis mulieribus consalutata, a plebe ubique regine Ungarie feliciter, Andree regis Italie pientissime parenti feliciter, matrone sanctissime feliciter exclamatur; non sacra peregrinatio, sed ornatissimus sanctitatis ille triumphus visus est. Cum ad divi Petri basilicam pervenisset, pontifex confestim cum frequentissimo collegio sacerdotum eam excepit, ad magnam salvatoris aram ab eo ducta ingens numini donativum obtulit, sacras vestes margaritis exultas, item vasa candelabraque aurea gemmataque ac cetera tale genus, quater insuper mille sestertium aiunt addidisse. Lustravit cetera templa sacraque collegia, quorum nullum sine regalibus donis pretermisit; sacra virginum cenobia incredibili beneficentia prosecuta est. Sudarium salvatoris, ubi desudatam numinis imaginem intueri fas est, facta sepe conscendendi potestate reverentissime visitavit; ad excolendum eius tabernaculum nullum auri argentique obtulisse dicitur, ubi tam pie collacrimasse memorant, ut omnium ibidem delictorum impunitate donatam plerique scripserint, suusque confessor sacerdos profecto gravissimus post eius obitum id vulgo predicasse et asseverasse perhibetur. Post, ubi votis et religioni se satisfacisse reputavit, post festum divi Francisci diem hinc proficiscitur.

Cum aliquantis per Neapoli apud filium subsedisset, Ioanne sue nurus insolentiam, temeritatem indomitamque libidinem continuo intellexit; nihil in ea pensi nihil pudoris et religionis intuebatur. Aspernabatur hec Andream et imperare potius quam parere viro contendebat, preferebat impudicam levitatem et preter fastum intolerabilem dominantemque libidinem nil aliud in ea cernere erat.

Improbi illius mores continentissimam socrum usque adeo cruciabant, ut in Pannoniam reicerent. Quod antequam pateretur, ne quid optime parentis officii pretermitteret, mitibus nurum monitis et hortationibus primum adoritur, quibus cum nihil se proficere intelligeret, severioribus quandoque verbis increpuit; ponebat ante oculos regie potestatis dignitatem, turpitudinis, infamie et profane mentis incommoda, presentanea scelerum supplicia, quibus improba haudquam movebatur. Quam ubi deperdite audacie ac impudentissimi fore ingenii in dies intellexit, desperata eius salute ac dimisso non sine magno dolore filio, quem male coniugatum noverat, quamvis legati, qui Avinionem in Galliam ad Clementem contenderant, nondum rediissent, quia difficilem in coronando aliquantisper Andrea pontificem offenderant, in sequenti tamen anno Neapoli profecta circiter divi Mathie sollemnia Barum divertit, ut divi Nicolai edem inviseret, ubi magnificentissima munera dicavit. Sipontum deinde cum universo comitatu pervenit, aliquot ibi dies morata navium defectu secundum Pasche sollemnia missas ab Andrea quattuor triremes extemplo conscendit, trium dierum navigatione Seniam appulit. Mox regnum ingressa, ubi de regine reditu significatum est, veluti publice et Magne Matri ex oppidis ac pagis omnes congratulatum occurrunt, cum incredibili ubique plausu hec recipitur, soteria ob incolmem eius reditum apud omnes aras fiunt. Nondum Dravum annem plane traiecerat, cum duo gnati congratulabundi obviam venere, idem ceteri fecere proceres antistitesque; dies publice hilaritati dicatus. Cum universa demum plaudentium turba ad Vicegradum pervenit ibique cunctis numinibus mater ac filii certatim rem sacram fecere, illi, quod reducem prestiterint parentem, hec, quod filios incolumes ac omnia tuta integraque repperit.

Nondum legati a pontifice redierant neque mandata ex sententia expedire potuerant, res enim pre aulicorum avaritia prorogabatur in dies et, quamvis hereditaria regni iura exposuerant, iudicia tamen longa sperata largitione sane prestabant. Delegati iudices cuncta differre, opulentissimam causam sortiri neque id etiam invito pontifice fieri, qui quidem exostulantes quandoque legatos obaudivit et, quando sui iuris hoc regnum erat, largitionem quoque maximam se addecere reputabat. Res coronationis ad apostolicum senatum sepe relata nullum sine ingenti pecunie vi finem habere posse videbatur. Legati, quanquam, ne rex Andreas ambitus infamia notaretur neve largitione magis quam iure suo regnum impetrasse videretur, admodum vererentur, tamen intellecto presbyterorum morbo pacta pontificiam confirmationem pecunia mercati sunt. Et, quamvis paciscende mercedis mandata non haberent, tamen, ne re tante molis infecta redirent, inconsultis regibus quatuor et quadraginta marcarum, ut aiunt, milia pontifici pollicentur. Compositis in Gallia rebus ad Lodovicum Andreamque rescribunt, quantum pro regni Neapolitani confirmatione promiserint, item rogant, ut ad prestitutum tempus mercedem mittant. Lodovicus ingenita probitate ac fraterna caritate commotus, ne in disci-

men amittendi regni adduceretur, Andree universum onus plane subitum se recepit, pontificis avaritiam et mercati bene regni infamiam egerrime tulit. Illud rei exaggerabat indignitatem, quod ius hereditarie possessionis tanti licitari cogeretur, tandem, ne fraterne dignitati deesset, extraordinaria regno tributa imposuit ac perbrevis exacta in fiscum pontificium misit. Legati confirmationis mercede e compacto soluta re confecta rediere. Andreas delegato diademate pontificis auctoritate coronatur.

Verum ante legatorum reditum anno dominice salutis quadragesimo quarto terdeciesque centeno Lodovicus, ne per ingratum otium vitam silentio duceret, in Poloniam contendit, ut regi Polonorum et Casimiro eius filio, cuius filiam uxorem duxerat, cui Margarite nomen erat, auxilium afferret. Expeditionis huiusce Litvania Christiane religionis expers causa fuerat, quam quidem regionem, ni fallor, Liboniam plerique nominarunt; hec vere religionis iura pertinacius subire recusabat. Rex Polonie, ut gens illa sibi finitima ac pene patria recte saperet, postquam ne quovis alio pacto fieri poterat, armis cogere statuerat. Ad salutare bellum Lodovicum acciverat, qui cum validissimo equitatu in soceri auxilium et propugnande fidei spem eo contenderat. Paratis omnibus, que bello usui fuerant, in Litvaniam cum innumera copiarum multitudine per glaciem concessere et, cum obstinatam gentem ad salutem monitis ac precibus redigere non possent, ferro et igni seviendum esse censuere, sed ingruentibus Austris, quibus glacies omnis solvi ceperat, pedem illico re infecta et frustratis viribus referre coacti sunt. Quanta Lodovicus in suos pietate prepolluerit, nemo quidem satis admiretur.

Paulo post aliud Casimiro bellum exoritur, quippe quod a Ioanne Bohemie rege, de quo paulo supra diximus, haud parvum suscitatum est. Ioannes enim princeps nimirum prepotens propagandi regni cupiditate ductus in Poloniam iterum erupit, vicos et oppida multa populatur, nonnullas in deditionem civitates accipit, Graccoviam demum Polonorum metropolim obsidet oppugnatque. A Lodovico socer affinitatis iure debita auxilia exposcit; habito repente delectu numerosus exercitus ab eo mittitur, in quo egregios equitum prefectos Nicolaum Zeech et Petrum Paharon memorant. Is, ubi Graccoviam pervenit, et urbem obsidione et Poloniam Bohemico hoste liberavit, quare Lodovici copie re feliciter gesta ovantes in Ungariam rediere. Quod quidem preclarum facinus ita Polonorum animos perpetuo beneficio erga Ungaros obstrinxit, ut in hodiernum usque diem immortales gratias se his debere fateantur ingenue.

Tartaricum post hec bellum exarsit, quod non minus grave quam formidolosum videbatur. Lodovicus, ne maiorum fortuna laborare videretur neve per contemptum, ut illi quondam fecere, res Ungaricas in discrimen adduceret, legiones omnes late diffusas et hibernantes illico acciri iussit, coactum perbrevis exercitum in Transylvaniam misit, quando eius provincie Tartari fines invaserant Siculosque, ut aiunt, Valacchis finitimos gravissime infestabant. An-

dreas Ladislai filius vir bello strenuus, qui provinciam cum imperio tenebat, quem vaivodam dicunt, Lodovici regis edicto omnibus copiis repente proficitur. Is, ubi magister equitum a Lodovico declaratus est, in Tartaros continuo profectus ad regni fines immanem hostem offendit; collocatis e conspectu castris postero die collatis signis pugna conseritur. Andreas in dextro, in sinistro cornu Stephanus fortissime dimicant. Ab initio Tartari sagittis Ungaros obruere contendunt, eo vehementius obstant illi, quibus, ut veterem conflictum ulciscerentur, aut vincere aut mori certum erat. Ii ex instituto gentis, cum illatum impetum sustinere non possent, pedetentim terga vertunt rati paulo minus fugiendo quam instando se telis hostem confossuros. Quod ubi factum est, tanta vi a tergo instare Ungari occpere, ut fedam mox gentem palantem insequerentur. Maxima eorum pars in fuga ceditur. Intercipitur Athlamus Tartarorum dux, qui, postquam receptui canere ceptum est, in castra relatus confestim obruncatur. Hostium castra direpta et signa cum innumera multitudo capta, que concatenata omnis Vicegradum ad regem ducta. Celebrata victoria Lodovici auspiciis parta et gratie triduo diis vindicibus acte. Siculi deinde Tartarorum reliquas in Transalpinis sepius invasere, que, ne ad interitum redigerentur, dimissa hac Valacchorum parte ad immensam suorum multitudinem, que in maritimam Ponti oram effundebatur, se continuo recepere. Ita unum post aliud Lodovico semper bellum redintegrabatur, ut ad arma tantum perpetuosque labores natus esse videretur.

Plerique enim reguli cum ingenti nobilium manu in Croatia et Dalmatia rebellarunt, nonnulli Venetorum factionibus id factum esse rebantur. Horum principes Gregorium Curiaci filium et Niliptium Croatos esse rumor erat, quorum perfidiam et audaciam vi coercendam cuncti proceres habito sepe senatu censuere. Id ipsum rex quoque asseverabat, quandoquidem neque litteris neque legatis ad prestandum fidelitatis officium rebelles illos revocare quiverat; quare his bellum veluti hostibus publicis indici placuit. Succurrebat illud, quod, cum ii multa oppida et castella in Croatia longe lateque occupassent, quanto res cunctatius agebatur, tanto maior periculorum fiebat accessio. Ad hoc bellum Stephanum Bossonensium principem societatis iure precepit acciri, cuius Elisabetham deinde filiam legitimo sibi matrimonio coniugavit. Bessi veteres, ut a principio diximus, fuere populi, quos Greci Bossos sepe appellarunt; ii a Bulgaris ex inferiore Mysia eiecti in superiorem submigrarunt et proximam Savo regionem incolere, quam intercepta littera Bosnam a Bossis vocavere. Huic igitur regioni Stephanus rex Mysorum late dominabatur, qui quidem ea tempestate in Illyricum et Macedoniam usque regnum propagarat; ad hoc bellum evocatus ultro convenit, auxiliares copias numero ac robore prestantes duxit, cum Lodovico ad Savum amnem sacra castra coniunxit. Croatiam ingressi ad oppidum pervenere, quod Bihegum appellant, ibique ad caput rivuli castra metati sunt, quem Calcoth-

pheon vocant, ubi, cum aliquamdiu stativa habuissent, ita rebel-
 lium animos igni ac ferro consternarunt, ut omnes ad veniam im-
 plorandam venire cogerentur. Imprimis duo reguli defectionis auc-
 tores advenere Gregorius et Ivan Niliptii filius, cui paucis ante
 diebus pater obierat; eos haud paucus nobilium numerus secutus
 est; impetrata venia et accepta pace omnes in Lodovici manus
 iurarunt se legitima tributa quotannis pensuros, facturos imperata
 et fidem Ungarici regni perpetuo servaturos. Hec ubi gesta sunt,
 pacata Croatia Dalmatiaque hi a rege dimissi et soluta castra. Non
 multo post Lodovico nunciatur Gregorium in Croatia iterum nova
 moliri, defecisse a data fide et prestitutum contempsisse iusiurandum.
 Indoluit reguli perfidiam Lodovicus et, quantum pro tempore fieri
 potuit, exercitum instauravit et magistrum equitum cum duabus
 legionibus in Croatiam properare iussit. Quo ubi ventum est, brevi
 prelio Gregorii proteritur audacia, oppida, que defecere, continuo
 recipiuntur, confirmantur nutantia Venetorum factione vexata. Et pa-
 cata provincia Gregorioque perpetuum obsequium promittente, quod
 etiam sacramento asseveravit, magister equitum in Pannoniam rediit
 et haud parum ob rem bene gestam a rege laudatus et donatus est.

Compositis in Croatia rebus, ne quid otii a fortuna Lodovico
 largiatur, aliud in Dalmatia cum Venetis bellum exoritur, quod
 ladre gratia sumptum est, cuius ut notitia clarior habeatur, res est
 altiuscule repetenda. Iadrenses, ut Veneti quoque testantur annales,
 cum sub Ungari tutela vivere consuevissent et a Venetis sepius
 intercepti eorum iugum diu tolerassent, Pannonice libertatis salu-
 berrimeque societatis memores imperante Lodovico discutere co-
 gitarant rati se assertorem in ea re optimum fortissimumque pro-
 pugnatorem habituros. Quare septimo a Venetis defecere, eiecere
 Venetos magistratus et rebellionem hanc obstinatissimis omnes ani-
 mis commisere. Misere legatos ad Lodovicum extemplo, quibus
 mandarant et regi sane pollicentur, si in Dalmatiam cum exercitu
 venerit, non modo antiquum obsequium prestituros, verum etiam
 urbem, portum et agrum, fortunas denique omnis ultro dedituros.
 Studiosissimam Iadrensi fidem Lodovicus haudquaquam asper-
 nandam ratus universas vires in eorum tutela statuit experiri, in-
 gentem comparat exercitum, quando cum validissimo sibi hoste
 rem fore intelligebat. Interea Veneti audita ladre defectione admo-
 dum perturbati maximum delectum habent, classem comparant pene
 tumultuariam, quia celeritate ad hanc rem ingenti opus esse iam
 diu noverant. Proinde triremes quinque subito instructas Petro Ca-
 nali prefecto in Dalmatiam mittunt; hic cum parva classe Iadram
 navigavit, Marcum Cornarium cum liberis et uxore, item ceteros
 Venetos, qui in ea novitate fuere, in classem accepit. Mox ad Pa-
 gum insulam rediit, civitatem ingressus oppidanos in fide retinuit,
 magistratum a Iadrensis missum cum ceteris Iadrensis, qui
 eo tempore ibi reperti sunt, haud invitis Paganis in vincula con-
 iecit, misit eos extemplo Venetias. Imposuit Pago presidium et circa
 proximas insulas navigia Iadrensis multa corripuit, omnia circum

infesta reddidit. Postquam Marcum Iustinianum cum terrestri ad
 Iadram exercitu pervenisse et ad proximum urbi fontem consedis- 116
 se novit, ipse quoque classem Iadre appulit. Ad fontem Iustinianus 117
 militari opere castellum erexit veritus, ne Lodovici regis adventu,
 quem propediem affuturum intelligebat, e continente soluta obsi-
 dione amoveretur. Prefectus Dalmatie a mari, terra Iustinianus die 118
 noctuque Iadram oppugnare adoriuntur, ut, antequam Lodovicus
 adveniat, fortunam experiantur; videbant enim secundum eius ad-
 ventum non sine multo sanguine obstinatam urbem expugnari posse.
 Quare mari ac terra muros pertinacius oppugnant; menibus vineas, 119
 arietes testudinesque ac cetera tale genus admovent, classarii contra
 admotis proxime navibus a malorum altitudine pontes substaurant,
 quibus urbem irrumpant; tanta utrinque vi certamen initum, ut
 feda cedes oriretur. Veneti a menibus assiduo reiecti abstulere Da- 120
 manium oppidum, quod ubi factum est, nunc classis instare, nunc
 abire, mox profecta maiore quam dudum impetu redire, infestare
 portum et cum protensa catena ferrea, que portum et navalia tu-
 ebatur, in dies colluctari. Supervenere legati a senatu missi, quos 121
 provisores appellant, quorum Andreas Maurocenus alter, alter Simon
 Dandulus fuisse dicitur; ii eo magis urbis oppugnationem adur-
 gent curantque, quo celerius Lodovicum in horam cum incredibili
 exercitu affuturum affirmant. Redintegratur prelium et a continente 122
 ac mari urbs miserrime oppugnatur; par utrisque pertinacia inerat,
 hos defectio septima, extremum illos exitium imminens irritabat.
 Multi, qui a menibus in urbem desilierant, continuo discerpti, alii 123
 horum periculo remorati, ne temere caderent, retro cessere; irriti
 tandem hactenus Venetorum conatus extitere.

Deinde Lodovicus cum centum ac viginti hominum milibus 124
 advenit, ut Dalmatiam, que Ungarici iuris esse consueverat, a Ve-
 netorum servitute vendicaret; alii viginti milia tantum adduxisse
 perhibent. Postridie, quam advenerat, castellum a Venetis ante 125
 urbem erectum validissimo Italorum Germanorumque presidio
 ac omni machinarum genere munitissimum tanto impetu adoritur,
 ut intra vallum multi prosilientes occubuerint, vi tamen tormen-
 torum reiectus Ungarus et post magnam cedem Lodovicus dato
 receptui signo prelium diremit. Castellum illud Ungari Scechac 126
 appellant. In sequenti die munitionem repetit; ne minore quidem
 vi pro sociorum liberatione quam pro se dimicare iubet. Classarii 127
 terrestribus copiis timentes prospecta acerrima suorum oppugna-
 tione in litus prosiliere, ut laborantibus subsidium afferrent. Rex 128
 bipartita acie et classarios in classem reiecit et castellum oppugnat.
 Ad hec Iadrenses partim in classarios, partim in munitionem continuo
 erupere, in hostes, ut res ipsa postulabat, seviunt; cadunt utrinque multi.
 Ungari fortissimo civium prelio eo vehementius provocantur ad pu- 129
 gnam. Pro vallo munitionis erum pentibus Venetis ita ultro citroque ob-
 stinatis pectoribus dimicatur, ut maxima in medio strages ederetur;
 prelium ad serum usque prolatum. Interim castelli presidium acer- 130
 rima oppugnatione admodum imminutum Iustinianus accepto a

classe supplemento instaurat, munit pro virili sua et, cum hactenus
 non cesserit, maiores imposterum animos concipit. Quamvis a me- 131
 nibus multi deturbati fuerint, ne classem exhauriat, e proximis in-
 sulis supplementa capit, quin et nove quotidie a patribus copie
 mittebantur, ut laboranti exercitui subvenirent. Item illud semper 132
 ante oculos versabatur, si amissam ladram non receperint, cetera,
 que in ora maritima supersunt, sibi oppida continuo defectura ;
 contra Lodovicus, si nunc Venetis cesserit, universos simul Dal-
 matas desperata liberatione in perpetuam servitatem recasuros.
 Quare iterum atque iterum extremas vires tentare decernit, in se- 133
 quenti die e castris aciem educit et repetitum castellum obsidet,
 deirde quavis arte oppugnationem adortur, neminem cedere, sed
 ad mortem usque, donec munitione hostili potiatur, dimicare iubet
 et ita assidua subsidia substruit, ut, etiamsi ad noctem usque
 pugnaretur, ne ordo quidem longissimus subsidentium defieri pos-
 set ; mox signum pugne dari iubet ; vallum sine mora protinus 134
 attingunt. Contra hostes telis, saxis et quavis belli machina detur-
 bare contendunt, conflata sepe picem, item sulphur et ignem ac
 cetera tale genus in subeuntes demittunt, multi glutinoso aspersi
 incendio cum igni dimisso hoste colluctantur. Plerique vallum agge- 135
 remque conscendunt et per infestos gladios penetrare conantur,
 successu destituti intra septa trucidantur, instaurantur edicto regis
 sepe acies et oppugnatio pertinacissima redintegratur, qui castellum
 tuebantur, invili et necessitudine adacti, quando circumventi egredi
 non poterant, fortissime pugnare cogebantur ; ad noctem usque sine
 intermissione dimicatum. Lodovicus suorum cedem miseratus, 136
 quamvis propter noctem dirimere prelium cogebatur, tamen haud
 invitus legiones ab oppugnatione revocavit. Vires et conatus suos 137
 eludi quam egerrime ferebat, sed equitum salutis rationem etiam
 habere cogebatur ; obsidione longa castellum defatigare cogitabat,
 sed illud adversabatur, quod maximus exercitus in ladrensi agro
 ob inopiam commeatum diutius versari non poterat et parvo hos-
 tis illinc eiici nequibat. Necessitati demum cedendum esse statuit, 138
 proinde urbem presidio commeatibusque munivit, ipse alia oppu-
 gnatione incassum tentata ladrensi agro multis amissis excessit ratus
 alia hinc hostem arte se avocaturum.

Venetorum annales fusum et fugatum inde regem produnt, quod 139
 ab historie veritate longe alienum est, cum depravato potius studio
 quam diligenti disquisitione id retulerint. Innumeram ac validissi- 140
 mam multitudinem et vite prodigam a paucis et imbecillioribus
 fuisse fusam quis facile crediderit ? Secundum Lodovici conflictum 141
 et fugam ii adiciunt ex tabescentium fetore cadaverum suscitatum
 pestilentiam milites in Venetis castris incessisse, instaurasse obsi-
 dionem et in ea nihil laboris et vigilie pretermisisse, refregisse ca-
 tenam portui pretensam et ladrenses desperatis auxiliis propriisque
 viribus iam effectis mittendi legatos potestatem Venetias a Iustiniano
 petiisse, qui implorata venia urbem patribus dederent, idque non
 gravate ab eo impetrasse. Eos tandem impetrata venia civitatem 142

Iustiniano tradidisse, qui ubi eam in Venetorum dicionem recepit, Iadrenses septime defectionis principes procul a patria relegasse, ceteris animadversionem remisisse et urbi ac Dalmatie aliquamdiu pefuisse dicitur. Annales Ungarici, qui nihil a simplici veritate 143 dissentiunt, aliter atque illi hec gesta referunt; haudquaquam diffitentur Lodovicum non sine magna suorum hostiumque cede re infecta in Pannoniam rediisse, Bartholomeum Laurentii filium Tothorum genere natum et Harsandorpherum Teutonem prefectos equitum pre ceteris in eo bello occubuisse. Continuasse Venetos obsidionem et quo- 144 rundam factione civium urbem per deditionem acceperisse addunt, in quamplurimos cives ac nobiles inhumaniter sevitum plerosque defectionis huius auctores variis cruciatibus fuisse multatos, multos relegatos in perpetuum et ingentem virorum mulierumque manum in captivitatem abductam, in omnem sexum et etatem crudeliter actum, partem inedia absumptam, ceteros carcere perpetuo fuisse maceratos. Utri propius accesserint veritati, nulli magis quam Iadrenses norint.

Quam laboriosa fuerit Lodovici regis vita, hinc intelligi potest, 145 cum post initum regnum nullum in otio annum degisse videatur. Post Dalmaticum Neapolitanum bellum ingruit, cuius Andree regis 146 interitus auctor extitit. Andreas enim rex Apulus tertio post initum 147 regnum anno cognatorum factione, qui regiam potestatem anhela- bant, et consentiente uxore Ioanna Averse serico laqueo facinoro- sissime necatur. Coniurationis huiusce principem Corradum Ca- 148 thancium et Chensam militem tradunt fuisse carnificem. Comes 149 autem Novellus Andree necessarius regie mortis indignitatem eger- rime ferens, ne per impunitatem nefarii parricide elaborentur, tumul- tuaria manu eos cepit. Comperto facinore ne minus quidem ac illi 150 in eos immaniter animadvertendum esse censuit, ut uno eodemque tempore sui principis indignum fatum ulcisceretur et hoc severita- tis exemplo ceterorum audaciam a diris sceleribus absterret. Per omnes nanque comitatus sui vicos parricidas circumferri, can- 151 dentibus frustillatim forcipibus discerpi, demum quadripartito di- scindi iussit. Infandam Andree mortem rumor velox celerius 152 quam in Pannoniam nuncii detulere; rumori parum fidei datum. Ad nunciorum vocem omnium animi pre dolore consternati im- 153 primisque Lodovicus multo plus opinione pius et pientissima pa- rens nullum in tanto merore modum inveniebant; non sine Ioanne 154 conscientia patratum facinus existimabant et id multo magis regina asseverabat, que intellecta nurus improbitate ac audacia ex eo tem- pore filio semper timuisse fatebatur; universa hinc ultro sibi Pan- 155 nonia planctum et diuturnum luctum indixerat. Paucis post diebus Ioanne littere ad Lodovicum delate, quibus se omni suspicione purgare nititur, se sceleris indigni insciam fatetur, dolorem simulat eiusque magnitudinem ostendit. Hec alteri consobрино nupserat Ta- 156 rentino principi Philippi filio, quem Roberti regis fratrem fuisse docuimus. Hic Lodovicus dictus est, qui regnandi cupiditate tractus 157 una cum Ioanna, quam uxorem duxit, in Andree cedem pariter coniuravit. Huic talia Lodovicum respondisse ferunt: Impetrata fides 158

preterita, ambitiosa continuatio potestatis regie, neglecta vindicta et excusatio subsecuta te viri tui necis arguunt consciam et fuisse participem, neminem tamen humani divinive iudicii penas nefando sceleri debitas evasurum. Itali regia morte indignati et que, unde minime debuit, profecta est, Ioannam omnes in invidiam adduxere. Mirabantur enim e Roberto rege omni sapientia et optimarum artium doctrina prestante unico illius temporis ornamento tam facinorosam neptem promanare potuisse. Ulciscendam innocentissimi ac probi regis mortem omnes exclamare, iubere bellum indici, predicare vulgo totius esse Italie tantum nefas ulcisci; Lodovicum ad vindictam e Pannonia evocandum. Multi ad eum principes ac reguli ex Italia scripsere orantes, ut cum universo in Apuliam traiceret exercitu, regnum sibi debitum vendicaret, non pateretur a nefariis parricidis indigne possideri, ipsi in Italia neque auxilia neque com meatus neque opem neque supplementa unquam defutura. Lodovicus quoque, quamvis multorum litteris sollicitatus esset, sua tamen sponte ulciscendi fratris gratia ad sumendum hoc bellum sat animatus erat. Ne quid e prudentia sua remitteret, preterandos Apulorum animos censuit, misit Nicolaum Laurentii Tothi filium, qui postea Conthus cognominatus est, ut procerum et optimatum studia sentiret, inspiceret hominum sententias et ut intelligeret, quid dicto ac facto opus esset; tempus, res, personas rite consuleret, subduceret in Lodovici partes, quoscunque liceret, et principum in se studia pro virili converteret, conspiracyem potentum conflaret ingentem ac nihil ex industria ac diligentia pretermitteret. Venit hic Aquilam haud parum ea tempestate pollentem; ibi Lallum offendit Andree regis familiarem olim studiosissimum et prefectum Nove Urbis, quem pretorem urbanum iure dicimus. Nactus virum integrum ac fidum prospecta eius voluntate sensim se aperit, patefacit mandata et, quid venerit, rite enarrat omnia. Cum Aquila Marsis, Precutinis, Samnitibus, item Apulis et Campanis immineat, potentatu haudquaquam mediocri polleat, hortatur et exorat, ut urbem faustis preditam auspiciis in Lodovici regis Pannonie fidem redigat, suadet id quoque multis aliis, qui Aquilanorum exemplo ac infelicis Andree commiseratione ducti una cum his, quos diximus, conspirarunt. Mox, quecunque gesta sunt, rite cuncta Lodovico significat.

Rex interea in dies, dum clam hec in Italia agebantur, exercitum cogebat, evocabat undique auxiliares copias et nihil ex his, que bello sunt usui, remiserat. Cum legiones duodeviginti cum validissimo comparasset equitatu, per Istrios et Foroivulianos circumacto Adriatico sinu in Italiam contendit. Ingressus Italiam honorificentissime vicatimque accipitur; officio nobiles proceresque certabant. Cum in Venetiam penetrasset, grato a cunctis hospitio susceptus est; tyranni fere omnes Cisalpine Gallie, ad honestandum principem occurrere, plerique per legatos persolvere officium. Luchinus vicecomes, Mascinus Scaliger, Philippus Gonzaga, Albertinus Carraria, Opizo Hestensis, Guido Poletensis Ravennas, qui quidem tyranni paulo ante a pontifice, qui Avinione adhuc age-

bat, vicariorum nomine in usurpatis dominatibus confirmati fuerant, omnia hospitalitatis officia prestitere. At, ubi in Flaminiam ventum est, Galeoctus Malatesta fratresque in occursum cum magnifico equitatu occurrere; horum quoque socius Franciscus Foroli-
viensis fuisse dicitur et Ioannes Manfredus Faventinus. In Piceno agro Antonius Feretranus Urbinas, Alegretus Clavellus Fabrianensis, Bulgaritius Matelicensis, Ismeducius Severinas, Gentilis Varanus, Michael Milonianus, Pangonus Cingulanus Picentium tyranni, quacun-
que potuerunt, gratitudine, item com meatibus ac donis regem adiuverunt. Multi ex his Neapolim usque cum honorifico comitatu eum secuti, quorum principes Franciscum Ordellaffum, Philippum Gonzagam cum multis Picentibus Precutinisque nobilibus fuisse
perhibent. Cum ad Truentum amnem pervenissent, ab Asculanis honorifice ac summis omnium studiis exceptus est. Regni fines ingressus Interamnam, Adriam, Theatum, Pinuenses obsequentis-
simos invenit, qui omni studio imperata fecere.

Primo Sulmonenses offendit infestos, qui Ioanne partes palam sectabantur, impositoque ab ea presidio Ungaris obstare sunt ausi; acerrima urbem rex obsidione circumvenit, ut futuram hinc victoriam auspicaretur. Petrarcha noster obsessis amicis a tribuno plebis auxilia promisit et in epistola ad Barbatum Sulmonensem, cuius gratia tribuniciam opem pollicebatur, a Lodovico fuisse captos fatetur. Verum novi tribuni dignum memoria facinus altiuscule repetendum. Romani Clemente pontifice sexto ab institutis e nobilitate senatoribus Romani pontificis auspiciis regebantur. Stephanus Columna quinquennio senatoria potestate functus, item Raynaldus Ursinus et Iordanis Petrusque Columna, post hec Nicolaus Laurentii filius civis Romanus et scriba publicus quadam animi celsitudine ductus fretus populari aura facta seditione Capitolium invasit, eiicit senatores et in priscam libertatem Romam vindicat. Ob preclarum facinus populum Romanum usque adeo suo nutui obtemperantem nactus est, ut pro arbitrio duceret et imperaret. In titulo hac modestia usum affirmant: Nicolaus severus et clemens libertatis, pacis iustitiaeque tribunus ac sacre Romane reipublice liberator illustris. Hunc virum adeo ceteri Italiae populi admirati sunt, ut pauci fuerint, qui hunc maxima queque gesturum non hariolarentur, immo priscam urbi Rome maiestatem redditurum esse confidebant. Huic ceteri Italiae principes et tyranni veluti antiquam populi Romani potestatem et imperium requirentes certatim legatos misere, quibus ad fausta cepta hortabantur, pollicebantur auxilia ac fortunas et vires universas pro restitutione Romane reipublice ultro offerebant, quin etiam ad hanc famam omnes externe populi Romani provincie pre nimia letitia exultasse dicuntur. Mense demum septimo hic Romane libertatis vindex nulla vi pontificis Romanorumve compulsus ab urbe clam mutata veste ad Carolum Luceburgensem imperatorem declaratum in Bohemiam proficiscitur, ut cum illo federa percuteret, at ille pusilli, ut exitus ostendit, animi tribunum pontifici vincium dono misit.

Capta Sulmone Lodovicus superatis Appenninis montibus uni- 188
 verso facile regno potitur. Ioanna hostis adventu perterrita una cum 189
 Lodovico Tarentino viro suo imposito presidio Neapolim deseruit
 et cum tribus, ut aiunt, trirēibus Avinionem in Narbonensem Gal-
 liam navigavit. Prefecerat regno propugnando Dyrachinum ducem 190
 comitis Graviensis filium, quem Roberti regis fratrem fuisse af-
 firmant; hic, ubi Ungarum Neapolim recta contendere intellexit, cum
 plerisque cohortibus et universo equitatu eo properavit, ne occu-
 pata metropoli ac regia ceteris continuo potiretur hostis. Cum eo 191
 rex pervenisset, rebellem non sponte urbem offendit, urbis aditu a
 duce prohibetur ac eum plus equo pertinacem infestumque cognov-
 it, quare hunc repugnare ausum facto impetu urbem ingressus
 extemplo cum universo presidio cepit captumque capitali supplicio
 mox affecit, reliquis ignovit. Cum magno plausu ab optimatibus 192
 populoque Neapolitano susceptus est, quin etiam refragante nemine
 ab omnibus rex Sicilie ac Hierosolyme salutatus. Mox de parricid-
 is questionem haberi iussit. Multi deferuntur, quorum memoria 193
 digni hi potissimum nominantur imprimis dux Dyrachii ac duo
 eius fratres Lodovicus et Robertus, item Lodovicus princeps Ta-
 rentinus et Philippus nepos eius. Dux Dyrachii Averse in arce, 194
 ubi Andreas laqueo interceptus erat, regis edicto veluti parricidii
 auctor a publico lictore trucidatus est. Reliqui vero reguli, qui ex
 comitatu Caroli pueri fuere, quem Andree regis filium fuisse mem-
 orant, cum facinus nequaquam inhibuissent neque reos criminis
 lese maiestatis, ut equum et fas erat, et querere et convictos extremo
 multare supplicio perrexissent, veluti dire factionis conscii cum
 pretorianis cohortibus custodie loco in Ungariam relegati. Asser- 196
 vati adhibitibus custodibus in Vicegradensi arce tractati laute honorif-
 iceque haud aliter, atque regie consanguinitatis necessitudo postu-
 labat, quare non mediocris in animadversione hac Lodovici regis
 clementia commendatur, quippe que paucorum sanguine placata
 ceteros huiusce parricidii insimulatos perhumane pieque tractavit.

Pestis interim dira per universum orbem et imprimis per Ita- 197
 liam late bacchatur nec erat usquam visa remissio varietasque morbi
 tam seve ubique gentium grassabatur, ut novissima hac humanum
 genus lue divina ira deletura videretur. Quamobrem Lodovicus, ut 198
 communi saluti consuleret, relicto fidelissimo Ungarorum in Apu-
 lia equitatu et presidiis ubique, veluti opus erat, rite dispositis, ad
 postremum pacato regno, ut dire pestilentie cederet, cum ceteris in
 Ungariam copiis tertio post mense, quam advenerat, se recepit.
 Annales Stephanum vaivodam Transylvanum Ladislai filium expe- 199
 rientia rei militaris et animi fortitudine prepollentem exercitui pre-
 fecisse, summam tradidisse potestatem et Volfardum Teutonem cum
 valido presidio Neapolitane urbi imposuisse ferunt.

Eodem pene tempore Luchino vicecomite vita defuncto Ioan- 200
 nes frater eius metropolita urbis vir summa prudentia et probitate
 singulari dominatum accepit. Item Genuenses ac Veneti gravissimum
 inter se navale bellum gesserant mutisque cladibus sese affecerant.

Paulo ante Genuenses sedente Gregorio nono felici usque adeo 201
 Marte cum Venetis dimicarunt, ut eorum iniussu nemo per universa
 maria navigare auderet; variante deinde fortuna nunc Veneti nunc
 Genuenses superiores evaserunt. Tribunal plebis, de quo paulo 202
 supra diximus, apud Clementem Avinione asserende libertatis af-
 fectum ingenue profitentem, cum ex his, qui pontifici gratificari
 cupiebant, multi carcere perpetuo nonnulli extremo supplicio affi-
 ciendum esse censerent, mitiori iudicio ob poetice artis opinionem
 adiudicatum carceri Petrarcha fuisse refert. Sed ad rem ipsam re-
 vocetur oratio.

Postquam Lodovicus rex in Ungariam redierat, Neapoli Ioanne 203
 factionibus continuo suscitata seditio. Neapolitani quidem optima- 204
 tes et Campani simul coniurarunt, ut prefectum Neapolitane arcis,
 quem Volfardum dictum esse retulimus, eiicerent et recepta arce
 Ioannam cum adultero restituerent. A principio coniuratis haud 205
 parum aspiravit ipsa fortuna, eiicitur Volfardus et mox in Step-
 hanum regni prefectum itum est. Inter Aversam et Neapolim conve- 206
 nere omnes Neapolitani cum Campanis; Ungarum fere obclusum
 inter utranque urbem haud difficulter superari posse confidebant.
 Ungaro ad proterendam coniuratorum audaciam animus non de- 207
 erat, educit aciem in utrosque; cruentum prelium initur. Optimates, 208
 ne cederent, obstinatissime instant, cadunt in primo congressu ut-
 rinque multi et pari hactenus fortuna pugnatur. Ungari tante au- 209
 dacie ac infidelitatis indignitate succensi aut vincere aut mori de-
 cernunt; cum animis pugnam instaurant adaugentque, quare com-
 plures ex Italis proceribus oppetiere, ceteri sensim inclinari ocepere.
 Instantibus mox Ungaris aliquanto vehementius palantes dedere terga, 210
 capiuntur ex optimatibus, nobilibus regnique proceribus multi. In 211
 Neapolitanos rebellionis auctores plus sevitum; populata illorum
 castra ac ingens ibi comperta preda; ex horum spoliis exercitus 212
 admodum ditatus, quandoquidem coniuratos multi reguli et eminenti-
 oris fortune viri sectati sunt; ingens etiam captivorum numerus,
 qui gravi pecunia multati sunt. Hoc victoriae successu multi, qui 213
 adhuc nutabant, populi ac proceres ultro in Ungarorum partes
 concessere publice Ioanne imperium et facinus execrantes. Re bene 214
 gesta regnum extemplo pacatum est. Insuper Stephanum paucis
 ante diebus Vernerium ducem cum equitibus quingentis ad Cori-
 tum cepisse memorant. Hic enim Lodovici Tarentini copiis preerat 215
 et ad sollicitandos in Ioanne regine auxilium populos advenerat;
 quare adversariorum animi admodum his rebus preter sententiam
 accidentibus consternantur.

Parem quoque in ceteris, que gessit paulo post, preliis succes- 216
 sum invenit Stephani vaivode fides, quippe qui redintegrato a Lo-
 dovici Tarentini partibus bello ne minora quidem pericula subire
 cogitur; maximus enim eius exercitus Neapolim concessit, ut Ste- 217
 phanum regali arce eiicerent, urbem reciperent, qua recepta de ho-
 stibus plane actum existimabant, quare pro menibus de urbe ac
 regno dimicare opus erat. Lodovici et Ioanne exercitus numero 218

multo superior, hic robore ac fide validior; ad prestitutum utrinque diem acies educi, iniri pugna non tumultuaria, sed stataria. Collatis pari impetu signis congregiuntur, aliquamdiu equis utrinque viribus dimicant, cecidere complures ex his, qui fortuna nequam humili videbantur; inita cede utrique pariter ad bellum irritabantur; acre odium, ut obstinatius pugnarent, efficiebat. Egerrime ferebant Itali parere alienigenis ac vel maxime Ungaris, quorum asperitatem abominabantur. Contra illi pertinacius Andree fatum ulcisci, retinere obstinate regnum sibi debitum ac demum malle mori quam infense genti cedere. Cum ultro citroque diu certatum esset ac multi cecidissent, cessere tandem Itali et palantes in fugam conversi instantibus a tergo Ungaris partim cesi partim capti sunt; pars non mediocris anticipata fuga salutem invenit; ex magnatibus ac regulis plerique capti, quibus magne pecunie indicta multa. Parta victoria Stephanus in urbes et oppida, que Lodovico Tarentino favebant et in eo bello, commeatus et auxilia miserant, castra movit, multas per deditionem accepit, nonnullas vi ad obsequium redegit, in ceteros factionis huiusce homines severissime animadvertit; tali exemplo alii perfidia absterriti, ceteri omnes passim Ungaro parere. Rependere barbaro vicem Itali, quippe qui ex Ungaris, quencunque ceperant, si quam eorum annalibus fidem adhibemus, aut cute exuendos aut quavis gravissima afficiendos pena censuere. Proinde vendicandum utrique regnum non tam equo Marte quam diro supplicio et feritate iudicarunt. Stephani gesta privilegia a Lodovico rege data testantur et in ea castellorum donatione presertim, que inter Dravum et Muram, ut aiunt, sita sunt, quorum alterum Oztrogum, Cactorniam alterum appellarunt; multis nanque oppidis et pagis hunc ob rem in Italia bene gestam a rege donatum tradidere.

Regina Ioanna Lodovicusque Tarentinus, quem virum an adulterum appellemus, haud multum interesse veritas ipsa censet, cum obfirmatis a Pannonibus animis Apulie regnum retineri accepissent, ne per ignaviam tantum imperium deseruisse viderentur, e Narbonensi provincia et Avinione, quo a principio confugisse retulimus, profecti in Italiam non sine magnis copiis redire, sollicitaverant pro virili sua pontificem et in partes suas transferre perrexerant. Cum hos Calabrie Stephanus appropinquare cognovisset, quod e fluctuantibus populorum studiis haud difficulter intelligere poterat, ad Lodovicum in Ungariam repente nuncios mittit, quibus Ioanne reditum ac regni discrimen plane significat monetque regem sine rege regno facile eiici non posse. Lodovicus imminenti repente periculo suscitatus nondum comparato exercitu, quem se subsequi iusserat, cum magna procerum multitudinem in Italiam revertitur. E magnatum antistitumque ordinibus hos imprimis numerant Nicolaum Gileti filium palatinum tunc agentem, Ioannem et Dominicum eius filios et Ioannem fratrem Gileti quoque gnatum, item Nicolaum, qui Laurentii Thoti filius erat, quem Lucas et Bartholomeus fratres rite sequebantur, preterea Stephanum et Georgium

Bebeci filios, Nicolaum Seech, Coniam Thome vaivode filium et Andream alterum cum fratribus vaivodam, ut aiunt, insuper Nicolaum, Paulum et Michaellem Ladislai filios. Par quoque officium 231
antistites prestitero Nicolaus Zagabriensis episcopus, qui Averse sacris pontificiis initiatus erat, Stephanus basilice Budensis antistes et Ioannes frater eius magno robore prestans Laurentii Canisii filius. Qui quidem omnes regem secuti se traiecto Adriatico sinu in Apu- 232
liam appulere. Siponti rex portum occupavit et civitatem ultro se dedentem ingressus curatis corporibus postero die Theanum Barletumque oppidum vi recepit. Obsedit subinde Barium, quod paucorum 233
dierum obsidione captum est, in arce resedit, stipendia Teutonicis cohortibus exolvit, quorum prefectus Corradus erat Volfardi frater. Advenere deinde cetera ex Ungaria copie, quarum adventu 234
regia in dies castra complebantur. Cum Barii Teutones Ungarique milites agerent, non multo post gravis inter eos orta seditio; in causa Teutones fuere, qui pre ingenitis odiis in regem 235
preter equum et fas facinorosissime coniurarunt. Ad prestitutum diem ex composito arma capiunt, ut ceso rege fuisque Pannonibus urbem populentur et cuncta eorum spolia diripiant. Facto tumultu omnes arma rapiunt. Ungari fora, plateas et compita capiunt, 237
intentis passim catenis vicos intercipiunt, quare Teutones obclusi miserrime cesi, ceteri vero capti et, nisi portam quandam occupassent, qua fugam rapuerant, ad unum omnes trucidati fuissent. Qui vero hinc effugerant, ne per agros passim cederentur, hac a 238
rege condicione veniam implorarunt, ut sub hostium auspiciis nequaquam militarent, sed ex Italia continuo recederent ac iureiurando datam condicionem comprobarent; nonnullos ex his insontes ad pristina stipendia Lodovicus recepit.

Postquam sat completa milite castra rex esse intellexit, ultra 239
progressus Canusium ad Cannas plane situm castra movit, quod a fide sua defecisse senserat. Id autem ne minus quidem Lodovico 240
quam populo Romano infaustum fuisse perhibent, quando, dum obsessum oppidum expugnant, rex pene inter primos per admotas scalas subiens tot lapidibus deturbatus obruitur, ut ad necem usque contereretur, cui nisi pretoriana cohors succurrisset et ex oppidanorum periculo eruisset, eo profecto die de Lodovico fuisset actum, quare a militibus et prefectis graviter increpitus, quod 241
nulla habita sui ratione temere subiret vite discrimen. Motis hinc castris, dum Luceriam iter facit, multa in fidem oppida redegit. Cum Luceriam venisset, spoliata muro civitatem et ob id ipsum nequaquam obsequia detrectantem invenit. Ad tertium lapidem e 242
conspectu castellum erat natura simul et arte munitissimum, quod impositum Tarentini principis presidium protegebat. Dum in urbe 243
dies aliquot rex moram trahit, Nicolaus et Paulus e Ladislao geniti, cum locos explorarent, in hostium incidunt equitatum centum fere hominum et quinquaginta; puduit utrosque alteris cedere, acris 244
ex improvise pugna committitur; cum ex primoribus aliqui in primo congressu cecidissent, ceteri defectis animis Ungaro se ultro dedi-

dere. Hos Nicolaus revinctis post terga manibus ad regem trahit; 245
in divi Francisci collegio rex eos laute excipi et tractari iussit,
postero die exutos armis, ut mos militaris exposcit, omnes missos
fecit. Post hec Salernum castra mota, quod paucorum dierum ob- 246
sidione deditionem fecit; recepta quoque circum finitima oppida.
Deinde continue victorie successus ad obsidendam Neapolim re- 247
gem hortatur. Ad Vesuvium concessit, finitima urbi oppida recipit,
unde imposita Gallorum presidia passim deiicit. Contendit mox 248
Aversam nondum menibus obductam, quam, cum adversam inven-
nisset, acri obsidione circumvenit vallo munitissimoque aggere cir-
cumventam. Huic expugnationi abdicato Stephano vaivoda, ut aiunt, 249
Nicolaum Conthum virtute ac prudentia prepollentem prefecit, quod
quidem a multis improbatum Stephani animum nimis exacerbavit,
quippe qui ob rem bene gestam, cum dignitati sue haud iniuria
accessionem magnam in dies futuram speraret, preter suam ac ce-
terorum opinionem nunc eam inducto successore diminui perquam
egre ferebat; atque hinc Lodovici successus haud parum interceptus 250
est. Obsessa Aversa comparatisque cunctis ad expugnandum tor- 251
mentis, que usui esse solent, in sequenti die hora tertia prelium
indictum. Lodovicus, cui mos erat non minus imperatoris quam 252
militis in bello officium prestare, quamvis superiore periculo sat
sibi cautus esse debuerat, inita tamen urbis oppugnatione, ubi fra-
trem indigna morte surreptum esse recordabatur, fraterni casus
memoria in furorem conversus pugnam usque adeo formidolosam
inivit, ut, dum inter conferta tela se ingerit, pedem retulerit letali 253
sagitte vulnere confossum; adhibita extemplo medicorum admini-
cula, que sine evidentissima quadam divina ope parum proficere 254
videbantur. In tertium obsidio mensem prorogata, cum crebras dies
ac noctes oppidani presidiarii que milites eruptiones facerent; multi
utrinque cecidere; capiende urbis difficultatem annone ceterarum-
que rerum caritas, que ex insperato urbem incesserat, amovit. Iacobus 255
Pinatharius prefectus urbis arcisque munitissime cum Lodovico
clam agit ac spondet se arcem cum civitate redditurum, si cum
incolumitate militum ac rerum abundi potestas concedatur. Rex, 256
ut cum hoste mitius ageretur, quem ad extremam redegerat inedia,
ultro concessit; postero die ingressus cum exercitu civitate simul
et arce potitur, incolumitas hosti promissa prestat. Hic Lodovicus 257
inferias Andree operatus funebres ludos edidit, militibus missilia
sparsit, magnificentiam prefectis et equitibus bene merentibus ex-
imiam ostendit, multos ex his in Ungaria prediis, oppidis et pagis
magnifice donavit; donavorum magnitudinem privilegia illis tri- 258
buta testantur. Post hec dies aliquot Lodovicus curandi pedis gra-
tia in arce quievit, in qua quidem quiete, ne penitus cessare vi-
deretur, magistros precum quotidie exaudivit, rescripsit diplomata
prefecturasque disposuit, dixit alternis ius diebus ac aditum ne-
mini difficilem effecit. Andream vaivodam, ut aiunt, Ladislai filium 259
convalescente pede cum summa potestate magistrum equitum re-
gnique prefectum declaravit, ne virum expertissimum et in re bel-

lica fortem et circumspectum debita dignitate defraudaret. Nicolaum 260
 Drugechum Guilielmi palatini fratrem Salerno, eius quoque fratrem
 militaris discipline haud ignarum militem crucigerum et Aurane
 antistitem Averse prefecit, qui deinde Ioanne muneribus pollicitati-
 onibusque corruptus civitatem cum arce contempta infidelitatis nota
 regine tradidit.

Dispositis prefecturis ceterisque rebus, que magni momenti esse 261
 videbantur, cum gravis in Italia pestis ubique grasseretur et iu-
 bilei annus instaret, quo delectorum impunitas et animorum lu-
 stratio Rome a resipiscentibus facile comparatur, rex pientissimus
 ac religioni deditissimus preciosam humane salutis occasionem ne-
 quaquam pretermittendam esse ratus urbem Romam visere et mox
 in Ungariam redire decernit. Comprobant sententiam ceteri pro- 262
 ceres Ungarie, quippe qui orthodoxam fidem, quanto difficilium ad-
 miserunt, tanto pertinacius retinent et colunt. Iter per Campanum 263
 agrum cum honorificentissimo comitum equitatu facit, invisit Ca-
 puam et preter Cassini Montis menia progreditur, que paulo ante
 motu terre corruerant. Cum urbi appropinquare rumor esset, tri- 264
 bunus urbis, de quo paulo supra diximus (hoc enim tempore ponti-
 fex Avinione residebat), ne tantum principem legitimo honore de-
 fraudaret, cum ordinibus magistratuum et universa nobilitate ad
 decimum lapidem singulari apparatu obviam occurrit, ubi quad-
 ringentos fere patres pari purpuratoque habitu conspicuos, innu-
 meram pretextatorum multitudinem et togatum populum Romane
 antiquitatis haud parum referentem cernere erat. Haud temere a 265
 tribuno id factum arbitrantur, partim ut regem excellentissimum et
 prepotentem pro dignitate exciperet, partim ut hoc hospitii honore
 Lodovici gratiam promereretur, qua societatem ac fedus iniret ac
 huius ope libertatem urbis Rome facilius tueretur. Quin etiam vie 266
 strate floribus et mirifice excolte fuerant, nihil in prestando honore
 pretermisum. Hac igitur magnificentissima pompa rex a tribuno
 plebis et assertore libertatis excipitur. Tantum eo die populo Ro- 267
 mano indulsit, ut fere passim omnibus apprensandum amplexan-
 dumque concesserit, ipse quoque occurrentes omnis non regio, sed
 civili more comiter admisit. Affabilem popularemque principem, 268
 ubi Romam ingreditur, omnes admirari, faustis vulgo cognomina-
 tionibus salutare, ingeminare Christiane reipublice defensorem pa-
 rentemque pientissimum, hunc Italum regem, hunc unicum Chri-
 stiane fidei propugnatorem appellare, publicis hunc votis Romane
 libertatis assertorem et patronum nuncupare; non ut peregrinus
 princeps, sed ut Romanus imperator ovans cum summo plausu et
 letitia populi Romani in urbem admissus est. In palatium pontifi- 269
 cis, ut honestius, veluti par erat, acciperetur, introductus, sollici-
 tatus mox a tribuno plebis et a cunctis senatoribus, ut oblatam
 Romane reipublice summam ac tutelam acciperet, pertinacissime
 renuit, ne quod Romane ecclesie dignitati derogaret. Ne minore 270
 quidem a pontifice honore honestatum ferunt; tribunus cum or-
 dine senatorio quotidiana persolvebat officia. Ad lautissima fre- 271

quentissimaque convivia invitatus, ne ab inita rei sacre contemplatione abalienaretur, haud facile concessit, pedes, apostolorum basilicas sepe lustravit, in ede Petri quotidie ad magnam aram sacris interfuit. Salvatoris vultum sudario expressum affectatissime 272
 quotidie vidit ceterisque simul fidelibus spectandum se exhibuit; ad salvatoris aram pontificia auctoritate lustratus et omnium errorum impunitatem assecutus quater mille aureum aris obtulit; reliquit etiam alia donativa nullamque basilicam immunem reliquisse 273
 predicatur. Ex urbe profectus per Umbriam et Flaminiam iter fecit pari ubique honore susceptus. Cum Veronam venisset, gratisimo a Scaligeris hospitio recipitur, quattuor Teutonum peditum milia, quibus Volfardus Corradusque preerant, ibi reliquit et, quo usque stipendia e Pannonia mitterentur, moram trahere iussit. 274
 Pacato regno dispositisque prefecturis in Ungariam revertitur, deinde paucis post diebus debita militibus stipendia misit exauctoravitque. Cohortum prefectos ad se venire precipit, quibus, ubi in Pannoniam pervenere, stipendia cumulate persolvit; donavit utrunque 275
 agris oppidisque aliisque regalibus premiis, ut privilegia data testantur, admodum honestavit.

Post Lodovici regis abitum Ioanna cum viro Avinione agens 276
 regno exacta nil dies ac noctes aliud, quam ut in regiam potestatem restitueretur, curasse videbatur. Proinde Clementi Romano pontifici instantissime quotidie supplicabat, ut hereditarium sibi regnum addiceret, pontificia restitueret auctoritate neve paterne successionis iure vi aliqua barbarorum defraudari pateretur. Quod ut facilius 278
 assequeretur, pontificie haudquaquam immemor avaritiae Avinionem urbem in Narbonensi Gallia prestantissimam, urbem, inquam, patrimonii sui se ultro concessuram ecclesie pollicetur, si eius ope et auctoritate coronata in Neapolitanum regnum restituatur. Et, ne regnum 279
 mercari videretur, urbem dono datam se vendituram ostendit, contra pontifex minimum quid ex annuis vectigalibus pretii loco Ioanne penderet; hunc igitur ad tegendum et huius ambitum illius avaritiam honesti pretextum invenere. Convenit tandem inter eos 280
 et Clemens imprimis sub honesti specie regni curam suscepit, quod ut iure facere videretur, Guidonem Portuensem episcopum cardinalem ex Lenio vico sibi affinem sedis apostolice legatum in Italiam misit, ut inter Lodovicum regem et Ioannam pacem conficeret. Scribit insuper ad regem oratque, ut, quando satis superque 281
 inter cognatos lusum erat, pro ingenita probitate sua obsecrantis ecclesie apostolicique collegii gratia bellum cum suis componat, Ioanne sorori ius remittat, indulgeat aliquid sanguini et potius, quid ipsum deceat, quid Italie quies postulet, quid pontifex cum sacro senatu instantissime exposcat, quam quid mulieris ingenium et facinorosa quorundam audacia mereatur, secum reputet; satis ex 282
 illis penarum exactum, satis in Italia sevitum, nunc tempus esse fluctuantissimum pacare regnum, desiderare tempestatem et beneficio suo non modo regnum, sed Romanam sibi ecclesiam perpetuo obligare; quid Roberti manes, cuius beneficio regni ius in ipsum re- 283

cidit, quid Romane ecclesie dignitas postulet, a qua progenitores
 regnum hoc precario possidendum impetrarunt, secum cogitet; ex-
 istimet aliquid summo pontifici tribuendum, cuius est omne ius
 regni; ad hec etiam adiicere satis illi esse regnorum neque duobus
 284 regnis tanto locorum intervallo seiunctis utrisque suapte natura fluc-
 tuantissimis, item maxime molis et periculi unum regem sat pre-
 esse posse; neque legatos, magistros equitum et prefectos conten-
 285 tiosum regnum sine presentia regie maiestatis bene gubernare posse;
 iubere ad hec ipsum fluctuantis ecclesie reminisci in Galliis Petrum
 286 dei vicarium exulare, relegatum esse in provinciam Narbonensem
 necubi gentium quietem invenire; Romana sede eiectum plus pie-
 tatis apud barbaros quam Romanos et Italos invenisse; longe com-
 287 modiuorem Christiane reipublice in Pannoniis, Mysiis et Daciis Lo-
 dovicum fore, quam in brevi Apulie regno coniectum aut ingrato
 otio emarcescere aut Italicis factionibus implicitum nihil immorta-
 litate dignum agere; proinde etiam atque etiam Lodovicum obse-
 288 crare, ut pacande Italie gratia ius omne regni, quodcumque suum
 esse possit, Ioanne cedat, Lodovico Tarentino fratri ignoscat; regu-
 289 los Italicos, quos in Ungariam captivos duxerat, pontificio rogatu
 missos faciat, rem cum suis componat, suo patruales beneficio sibi
 obstringat, bello abstineat, illinc revocet exercitum et quod ponti-
 ficia voluntate, suasu, iussu preceque suo sanguini dimittat. Persu-
 290 suasum epistola Lodovicum intercedente legato Clementi morem
 gessisse ferunt, qui, cum pestilentie vesania Italia excesserit, cum
 Ioanna ex voluntate pontificis rem transegisse dicitur. Scriptor Un-
 291 garicarum rerum a ceteris annalibus in hoc aliquantulum dissen-
 tire videtur, quod ceteri sedente Clemente cum Ioanna et Lodo-
 vico concordiam transactam tradunt, iste vero Innocentii sexti ponti-
 ficatu, qui Clementi subrogatus est.

Postquam in Ungariam Lodovicus reversus est, tribus fere an-
 292 nis prefecti sui cum magistro equitum in Italia mansere; nam con-
 cordia per Guidonem legatum non ita cito confici potuit. Eo tem-
 293 pore illi cum Lodovico Tarentino assidua bella gessere, cum eius
 copiis conflixere sepius atque vires hostium usque adeo extenua-
 runt, ut ultra metari nequirent; redegere illi se in oppida eaque
 294 impositis presidiis tuebantur. Interea de pace et concordia sine in-
 termissione agebatur; legatus de labore suo nihil remittit, officio
 impensius incumbit, cum Andrea magistro equitum ceterisque pre-
 fectis, item cum Lodovico Tarentino et Ioanna ita agit, ut e sen-
 295 tentia mandata cuncta disposuerit. Rem haud parum adiuverant
 frequentes a pontifice nuncii et postremo Bartholomeus pontificii
 iuris consultissimus, qui quidem omnes Lodovicum in pontificis
 296 voluntatem assiduo trahere non cessabant. Rem demum ita com-
 positam fuisse ferunt, ut Lodovicus ius suum Ioanne concederet,
 ultro regnum illi resignaret eaque regni titulo, Lodovicus, sive ma-
 ritus sive adulter haberetur, Tarentini dumtaxat principatus nomine
 297 frueretur, Ioanna sola regina vocaretur. Pannonici in hoc regis magni-
 animitatem omnes admirantur, quippe qui pontificie tantum tri-

buerit, veluti par erat, auctoritati, ut Ioannem Vesprimiensem episcopum cum plerisque optimatibus ad Clementem quamprimum legaverit, qui urbes, oppida, munitiones et castella cuncta resignarent, restituerent Ioanne regnum et perpetuum observantissimi filii obsequium summo pontifici sacrisque patribus nomine suo pollicerentur. Regulos proceresque regni, quos in Vicegradu retinuerat, 298 magnifice donatos in Apuliam remisit et pro arbitratu pontificis cuique reddi proprium dominatum imperavit. Miris deinde laudibus a Clemente et universo collegio Lodovicus evectus est, quippe 299 qui magnanimitate, clementia et probitate sua perpetuam apostolici senatus gratiam promeruerit, inimicos, quos prius armis vicerat, singulari officio conciliarit et non minus denique belli quam se pacis artificem ostenderit.

Eodem inite pacis anno celestis flamma post Solis occasum 300 inter Zephyrum atque Austrum latissime excrescens horribileque preferens incendium murmure tandem ingenti per celum ruit. Postero quoque anno flamma non dissimilis longum post se litem 301 extinctum trahens a Septentrione in Austrum repente defluxit. Alio 302 vero infinitus locustarum numerus in Africa Cyproque apparuit, que populatis herbarum arborumque frondibus inauditam annone ceterarumque rerum caritatem allegarunt; ne Solis quidem defectus defuit. In sequenti anno Carolus quartus rex Bohemie Augustalem 303 sine controversia coronam assecutus est.

Revocatis igitur ex Apulia copiis rex Ungarie prefectos ac militem 304 quenque fortissimum magnifice donavit. Compositis Italie 305 rebus in otium redactus ingratum de occupatis regni regionibus et imprimis de usurpata a Venetis ora maritima sollicite cogitare cepit. Gravate ferebat in Itale gentis populos instaurare bellum; ne 306 imperandi potius amore quam recuperandi spe id indicere videretur, rem primo litteris et nunciis, mox oratoribus repetendam instantissime censuit. Ne tolerare quidem facile poterat nobilissimum 307 maris Adriatici tractum tot populi Romani coloniis insignem ab Atila primo in dicionem assertum, qui ante Venetorum urbem latissime in orbe imperarat, ab illis esse occupatum, qui Unnici belli 308 fuere reliquie. Res diu litteris et legatis agitata, sepe per oratores repetita Dalmatia, litterarum tandem et oratorum opera ludificata omnis. Ne minus quidem graviter illud patiebatur, quod primo 309 sibi verba dari, deinde propria impudenter abnegari sentiebat; armis dirimendam litem esse ratus, ne quid inconsultis proceribus ageret, senatum indixit. Ubi ad patres de occupata Dalmatia, de 310 sociis in servitutum assertis et de recuperando denique maritimo tractu retulit haud pauca consecutus, de suscipiendo in Venetos bello magno omnium assensu fit senatum consultum, deinde delectus habetur longe quam antea maior. Scriptores Venetorum annalium, 311 ut sibimet ipsi placeant faveantve, necdum satis aliquid exploratum habentes, dum comminiscendo gratificari student, duas huiusce belli causas prodidere et, utram potius affirmant, adhuc hesitant, alteram, quod Lodovico copias adversum Ioannam traicere cupi-

enti naves Veneti abnegarunt, alteram ob bellum ad Iadram gestum, unde victum Lodovicum abiisse referunt; adiciunt ad eum in Apulia agentem legatos fuisse missos, qui octo cum his plerique decem annorum indutias pepigisse tradidere; quin et sub initium Ligustici belli, quamvis indutiarum tempus nondum exierat, Lodovicum Venetos clam bello in Dalmatia sollicitare cepisse et, nisi Caroli quarti interventu se bello abstinuisset, qui expectandum indutiarum finem esse iubebat, iam diu bellum fuisset indictum; atque huiusce timoris gratia cum Genuensibus pacem maturasse ferunt. Illud tamen infitari non licet Venetos primo tempore, veluti et ipsi ingenue fatentur, cum in se bellum ab Ungaro moveri intellexissent, duos ad eum legatos misisse, quorum alteri Marco Cornario, Marino Grimano alteri nomen fuit. In Pannoniam profecti, cum nihil eque condicionis proponerent, sed pertinaciter usurpatum ius Dalmatie retinere pergerent, re infecta rediere. Quidam eorum annales referunt legatos cum eo pacem conficere potuisse, si pro Dalmatico regno equum album annui vectigalis loco publico nomine Lodovico militare pollicerentur. Ex quo facile intelligi potest Lodovicum non utilitatem, sed honorem, non tributum, sed ius regni fecisse magni.

Exacto indutiarum tempore Lodovicus inito cum Leopoldo Austriae duce et cum Francisco Carrario federe cum universo exercitu hinc Dalmatiam illinc Istriam et Foroiulianum agrum invasit. Cum quadraginta milibus hominum Pannonici, Venetici vero annales cum centum milibus in hoc bellum descendisse prodiderunt; innumerabilibus itaque copiis Adriaticum tractum inundavit; uno nanque tempore Iadram, Sicum, Spalatum, Tragurium Enonamque obsedit, mox inita clam cum Austriis, Aquileiensibus, Carrariis Patavinisque societate in Taurisinum agrum descendit, quo ubi perventum est, Collatini comites, plerique reguli nobilesque ad Ungarum defecere. Cunianum, ubi Zacharias Contarenus preerat, et Sacilium paucorum dierum obsidione per deditionem accepit. Dein Taurisium admotis castris obsessum, quod ad primum Pannonici belli rumorem Veneti summa diligentia, armis et comitatibus muniverant, presidium imposuerant validissimum, cui Marcum Iustinianum, Ioannem Delphinum et Paulum Lauretanum prefecere. Tunc a rege una cum Carrariorum societate promulgatum est edictum, ne quis populatum pabulatumve in Patavinum agrum excursaret aut vim aliquam inferret; qui contra facerent, capitales forent; ratam ac firmam Pannonici cum Patavino amicitiam esse hinc quisque noverit. Ab obsidionis initio Gradovicus Venetorum princeps vita decessit, Ioannes absens in demortui locum subrogatur, qui ad ineundum principatum Taurisio accersitus ab obsidente Lodovico tuto abeundi copiam impetrare non potuit, sed aversa urbis parte clam elapsus Venetias pervenit. Comparato omni machinarum genere et instructis aciebus circum urbem oppugnare adortur, admovet testudines, turres erigit, scalas adhibet ac tam atroci prelio oppugnat, ut multi ex nobilibus eo sub muro ceciderint;

quendam regi propinquitate coniunctum sub ipsis menibus occubuisse memorant. Sed urbs a Venetorum presidio bene defensa. Rex ad proxima oppida conversus multa vi cepit Asulum, Crispinicum, Gorgoniam, Forgoniam ac pleraque alia Taurisini agri castella capta sunt. Deinde, cum intempestivos conatus irritos esse reputaret, ne operam eluderet, cum sat copiarum, que obsidionem continuarent, et magistrum equitum Thomam reliquisset, quem Nicolai Strigoniensis archiepiscopi fratrem fuisse diximus, in Pannoniam ad hiberna concessit. Veneti Carrariorum ac regis amicitiam fedusque perquam gravate passi Patavinis salem deferri vetant, commercio interdicut, Marinum Maurocenum pretorem inde revocant. E Germania haud mediocrem copiarum numerum multo stipendio conduxerant, que, cum Medoacum amnem imbribus assiduis adauctum offendissent, in ripa dies aliquot subsidere coacte sunt; quod cum Ungari per exploratores a castris cognovissent, citato mox agmine incautas Germanorum cohortes adoriuntur brevique prelio maxima ex parte cedunt, reliquos fundunt fugantque.

Rex in Pannoniam reversus, ne per absentiam bellum remittere videretur, exemplo Nicolaum Conthum palatinum in Italiam cum imperio remisit. Hic, ne qua intermissione Venetos respirare pateretur, quo facilius Taurisium in Ungari potestatem veniret, Castellum Francum acri obsidione circumvenit, quamplurimos oppidum dies oppugnat, nihil tamen oppugnando proficit, quandoquidem castellum arte, natura et presidio munitissimum nactus erat, quod nequaquam facile capi poterat. Ne conatus suos eluderet, haud iniussu regis, cum Thomam copiarum prefectum in obsidione urbis reliquisset, in Ungariam rediit. Hic vir bellice discipline compos cum Venetis sepe prospereque confligit imprimis, cum pro civitatis porta facta eruptione cum presidiariis et oppidanis dimicatum est, ubi multis cesis captisque in urbem tandem hostem reiecit. Deinde cum Venetorum exercitu, qui ad solvendam obsidionem venerat; quo quidem tempore in conspectu urbis collatis signis dimicatum est et fusi fugatique Veneti, quod rei exitus approbavit. Post hec ad Brentam fluvium acerrime cum Teutonibus dimicatum, qui ad Venetorum stipendia plane descenderant, in quo quidem prelio magna pars capta, quam armis exutam ex Italice militie more dimisit; cesi ac fugati sunt ceteri et, cum ultro citroque flumen altum equo tranarent, multi demersi. Paulum Germanum Ioannis filium Chehelisque nepotem, qui sub Ungaro militabat vir profecto strenuus, cum plerisque Ungaris ibi demersum fuisse memorant. Deinde Thome Benedictus Hemi filius iussu regio surrogatus est, qui inito imperio re bellica expertissimus multa cum Venetis prelia prospere commisit. Sed exacio tempore Thomas in Italiam remissus haud levioere quam antea fortuna usus, quecunque regis auspiciis in Italia capta fuerant, pertinacissime tutatus est et Taurisinos artiore quam antea obsidione coercuit.

Dum hec, que diximus, ab Ungaris agebantur, Veneti interea quinque ac viginti viros creavere, quibus curanda belli summa

traditur ac senatus consulto admonentur, ne quid respublica de-
trimenti patiatur. Quin etiam extemplo legatos in Pannoniam ii³⁴¹
mittendos decernunt, qui cum Lodovico de pace agerent. Mittuntur³⁴²
Andreas Contarenus, Michael Phalerius et Bonitendus Scriba; ve-
rum ii in Pannonias profecti re infecta domum rediere. Desinenti-³⁴³
bus indutiis Seravallum hostes occuparunt ac multo maius de-
trimentum in Dalmatia Venetis illatum. Nam, cum ob ingentem belli³⁴⁴
molem e Dalmatia copias revocare cogerentur, ne, dum foris rem
impensius curarent, domi gravissime laborarent, destituta provin-
cia Spalatum, Sicum, Tragurium et finitima pleraque oppida ad
Ungarum defecere. Enona, cui Ioannes Iustinianus cum presidio³⁴⁵
prefuerat, quanquam tanta fame ac rerum omni inopia laboras-
set, ut vel obsceno miles cibo haudquaquam se abstineret, prefecti
tamen obstinatissimi prudentia et virtute defensa est. Dum Tauri-³⁴⁶
sium gravius obsidetur, Interim Iadra Elderbohi Teutonis virtute
astuque, qui cum Pannonica manu clam ingressus Venetorum pre-
fectum et presidium urbe deturbavit, ad Lodovici fidem potesta-
temque rediit; preclari facinoris auctor letali vulnere confossus
diem urbe capta obiit. Cetera, que in Dalmatia superfuere, certatim ad Ungarum defecerunt.

Desperatis Italie rebus et periclitantibus dudum Taurisinis³⁴⁷
iterum in Pannoniam legatos mittere Veneto senatui placuit, ut,
quibuscumque possent, condicionibus a Lodovico pacem, ut Veneti
referunt annales, impetrarent. Petrus Trivisanus, Ioannes Gradovicus³⁴⁸
et Bonitendus Scriba legati in Pannoniam contendere, apud
magnanimum principem de pace agentes equisque condicionibus
eam postulantes haud difficulter impetrarunt. Quando Lodovicus³⁴⁹
neque ab inimicis iniuria neque ab amicis beneficentia vinci facile
poterat, postulata pacem ultro concessit, quam his condicionibus
initam ferunt, ut, quicquid a Fanatico sinu Dyrachium usque Ve-
neti possedissent, Lodovicus rex haberet, Veneti Dalmatia cederent,
reliquum vero terrarum, quod circa sinum quodque citra esset,
dimidium Venete dicionis esset; contra Lodovicus, quicquid in³⁵⁰
Istria, Taurisino et Cenetensi agro Venetis ademisset, his ultro re-
stitueret; item polliceretur se neminem Dalmatici nominis piraticam
exercere passurum, clausurum externis latrociniiis portus insulasque
et operam denique daturum, ut omnia in Dalmatia Venetis
haud aliter tuta forent, quam antea fuissent. E contrario Veneti³⁵¹
exposcente id rege Lodovico receperunt se nullam in eos que-
stionem habituros animadversurosve, qui in Taurisino bello regi
faverint eiusve partes sectati fuerint, quin et perpetua impunitate
donarent neve a Lodovico restituti ultra relegarentur neve Dalma-
tie titulos posthac amplius usurparent.

His igitur condicionibus pax transacta, sed hanc Veneti a³⁵²
Lodovico prius violatam comminiscuntur, quod deductis e provin-
cia magistratibus res inde suas asportare negatum est, quod, anne
ita fuerit, nequaquam satis exploratum habeo. Illud vero sat omni-³⁵³
bus compertum est pacem a Venetis egre susceptam ab his im-

primis fuisse violatam, quippe qui contemptis condicionibus in omnis, qui in Taurisino bello Pannonibus favere, crudeliter animadvertendum esse censuere. Nanque omnium oppidorum, que Lodovico in eo bello deditionem fecerant, pretores, magistratus ac nobiles partim securi publicatis bonis trucidarunt, partim longius relegarunt. In Cuneianos potissimum sevitum est; multos minima quaque suspicione delatos perpetuo carcere confecerunt, in qua quidem animadversione nullam prestiti sacramenti rationem habuisse visi sunt. Id nimium Lodovici animum exacerbavit. Insuper fervente bello Marinum ducem Venetum regalis amicitie insimulatum suspensio interemere; animadversum quoque in plerosque pari sevitia senatores, qui eiusdem quoque criminis postulati sunt. Item in Taurisinos admodum sevitum, qui minima suspicione correpti partim capite, partim fortunis et exilio multati sunt. Qua crudelitate haud multo post tempore factum est, quemadmodum deinceps referetur, uti ad Leopoldum Austrie ducem Taurisini ultro deficerent, quos, cum aliquamdiu sub ditione sua protexisset, Francisco demum Carrario resignavit.

Compositis cum Veneto rebus in Lithvanos expeditionem rex deinde suscepit, quippe qui non modo finitimos Christianos, verum etiam Roxie regnum Lodovico subiectum assiduis excursionibus infestabant. Ipse non per legatos hoc bellum gerere voluit, sed in Sarmatiam profectus, universam provinciam occupavit spoliavitque, cepit tyrannum eumque paulo post fida obsequia et quotannis pacta stipendia solvere pollicentem ample donatum dimisit. Non multo post tempore Lithvanus infidelis a fide defecit, Roxiam Lodovici stipendiariam hostiliter invasit longe lateque igni ac ferro grassatus. Postulatis auxiliis rex presto affuit, eiectis barbaris provinciam pacavit. Reversus in Ungariam vix menses sex quievit, cum reintegratum in Sarmatia bellum rumor affertur. Quare missis legatis Roxiam sibi parentem tertio a Lithvanorum manibus vindicare coactus est, quamdiu per prefectos, legatos et magistratos equitum in obsequio ac fide retinuit. Neque in administratione provincie pontificibus pepercit, quippe qui ad gubernandos Roxanos, quos Ruthenos nunc appellant, Emericum Agriensem episcopum, item Georgium Zudarem cum fratribus, deinde Emericum Bebechum et Ioannem Capoleum cum imperio misit, quorum prudentia et virtute provincia Roxie optime sub Lodovici auspiciis gubernata est.

Ter pontificum Romanorum gratia in Italiam per legatos expeditionem suscepit, ut Innocentio, Gregorio et Urbano pontifici exoratus opem afferret. Nam, cum anno salutis quinquagesimo secundo supra tredecies centenum decedente Clemente Innocentius summum pontificatum invenisset, nihil purgata antistitibus ecclesia, quorum ad suam quenque basilicam redire iusserat, duxit antiquius, quam eum in Italiam legatum mittere, qui urbes provinciasque apostolice ditioni subiectas deturbatis illinc tyrannis ad pontificium revocare posset imperium. E ceteris antistitibus solus Egidius succurrebat Hispanus nobili Carolorum genere natus, qui

sapientia, magnanimitate et experientia rerum multarum prestans ad capessendum id negotii quam maxime videbatur idoneus, is accepta sacre reipublice summa cum imperio in Italiam venit. Acceptis quoque auxiliatoribus Lodovici copiis Flaminiam, Picenum, Umbriam et divi Petri patrimonium eiectis inde tyrannis, quandoquidem hec omnia instigante Bavaro multi tyranni quondam invaserant, in apostolicam dicionem revocavit paucis admodum exceptis, qui, cum imperata fecissent et vicariatus officia prestitissent, eius auctoritate comprobati sunt; ex his Galeotus Malatesta, Guido Spoletensis et Varana domus cum plerisque aliis fuere. In urbibus ecclesiasticis hic arces erexit, quo facilius eas in obsequio retineret. Cum primis copiis in cardinalis Egidii auxilium rex Nicolaum Ladislai filium in Italiam misit. Simon Mauricii filius post hunc a Lodovico missus, qui, cum haud impigre se gessisset, ab eo revocatus omnem regis gratiam amisit. Demum Urbano pontifice Petrus banus cum validissimo equitatu ad vendicandam e Barnabonis et Galeatii vicecomitis manu Bononiam missus optimam Egidio in Italiam nuperrime reverso in eo bello operam navavit. Nam, cum quinto legationis anno Arduinum Burgundionem abbatem Cisterciensem successorem sortitus provincia decessisset, vicecomites continuo caput extulerunt, Bononiam ab Aulegiano traditam acceperunt. Egidius in Italiam reversus Canem Grandem, Lodovicum Gonzagam, Nicolaum Hestensem et Franciscum Carrarium ad ecclesiasticum fedus adversus vicecomites contraxit Bononia Ungarorum auxiliis recepta. In eo bello Barnabonem superari fors tulit, in quo quidem conflictu multi suorum capti; Lodovicus vicecomes Barnabonis e pellice filius, Andreas Pepulus Bononia exactus, Sinibaldus Ordelaphus, Paulus Mirandulanus, Guido Polianeus, Azo Corigiensis, Guilielmus Cavalcabos Cremonensis in captivitatem concidere, Barnabos autem manu saucius per fugam elapsus est. Ad Egidium vero Cesene agentem Gallorum Britannie ac Cypri regum oratores convenere; pacem vicecomitibus postulant eaque convocatis belli sociis constituta est. Petrus igitur re bene gesta in Ungariam cum copiis se recepit.

Verum ad Lodovicum ac Venetos revocetur oratio, qui depositis armis ad artes conversi legatos tris ad imperatorem Carolum in Germaniam misere, ut aliquid inter eum et Lodovicum belli sererent, quo recuperande Dalmatie daretur occasio. M. Cornarius, Ioannes Gradovicus et Laurentius Celsus hi fuisse traduntur. Celsus apud Carolum relictus; ceteri, cum per Germaniam iter facerent, a quodam regulo intercepti et coniecti in carcerem fuere. Tergestinarum deinde defectio intercessit, qui Venetorum signa ex alto delecta non solum manibus discerpserunt, sed maximis etiam probris lacerata solo afflixere. Nunciata patribus defectione Dominicus Michael cum terrestribus copiis, cum navalibus Cressius Molinus presto adfuerunt. Tergestini Carnorum auxiliis urbem compleverant, se adversus hostes strenue tuebantur; eludebatur omnis oppugnantium Venetorum opera, nisi supplementa nova venissent. Oppidani, cum hostium vires in diem convalescere intellexissent, ad ducis Austrie opem con-

fugere, a quo dummodo fidem et auxilium implorarent, urbem, agrum et cetera divina humanaque tradidere. Dux impetratis a Lodovico auxiliis et comparato magno exercitu in tempore advenit; pro Tergesti menibus cum Veneto diu pugnatum, sed cum obsidionem solvere nequiret, hinc revocandas copias esse censuit. Quare Tergestinos in Venetorum servitutem pacis condicionibus recidisse illorum Annales prodidere, contra scriptor Ungaricorum Lodovici copiarum prefectum, cui Paulo nomen erat Ladislai filio, Australibus et Tergestinis opem attulisse, longa urbem obsidione recepisse memorat.

Mox Venetis cum Francisco Carrario bellum intercessit, quod ne iniuria ininitum esse videretur, finium causam commenti sunt. Ex multis Italiae locis, item e Pannonia venere legati, qui Carrarios in Lodovici regis tullela esse dicebant ac lites inter utrosque componere nitebantur. Duorum mensium facte indutiae, quinque viri utrinque decreti, qui fines pro communi arbitrato terminarent. Sed, cum ab his nihil diffiniri citra litem posset, Veneti subornatos quosdam a Carrariis in urbem suam missos querebantur, qui e senatorio multos ordine ex composito trucidarent; index in medium productus insidias aperuit. Senatus consulto in eos quesitum et pro lege animadversum est. Deprehensi quoque e senatoribus plerique, qui, cum per fidos internuncios Carrario tyranno, quaecumque in senatu agerentur, clam significassent, senatorio ordine ceterisque honoribus abdicati sunt. Quanquam multe ultro citroque legationes ad componendam controversiam venissent, nihil tamen obtineri potuit, quin ad Martis arbitrium res omnis redigeretur; quod cum Veneti prospexissent, omnes ingenii nervos ac reipublice vires in Patavinum bellum intendere. Raynerium Vascom, militaris discipline magistrum optimum Veneto senatui ex Etruria accersi placuit, ut hunc in Patavina expeditione imperatorem deligerent. Hic inuito imperio cum ingenti exercitu Patavinum agrum ingressus graviter infestat populaturque. Patavinus tyrannus Venetis se sine externa ope resistere non posse ratus a Lodovico Pannonie rege auxilia petit, quocum in Taurisino bello societatem iniverat, quam cum summa fide servasset, conciliati olim regis opem nequaquam impetrare diffidebat. Cum ingens Pannonum exercitus in Taurisinum agrum descendisset, omnia cede, rapinis et incendio vastare adoritur. Ad reprimendum Pannonum conatum Tydeus Iustinianus ad Anaxum fluvium occurrit. Tumultuaria ad flumen pugna dimicatum, ubi Venetos Ungarus usque adeo protrivit, ut pauci e media cede evaserint. Cesa maxima parte, ut eorum testatur historia, paucissimi capti sunt, in quibus Tydeus ipse ac Gerardus Caminensis fuisse dicuntur. Ungarus negata ulterius pugnandi potestate in Carnorum fines reversus, per Bellunnenses et Feltrinos facto itinere ad Bassanum Vincentini agri oppidum cum quadrato agmine pervenit. Bellunnum ac Feltrum Alberti ducis erant, quem Lodovicus in belli societatem veluti ante plane contraxerat; nonnulli a Carrariis hec Albertum, ut in Venetos arma caperet, recepisse memorant. Paulo post in sta-

gnis a Veneto parum prospere pugnatum; nam, cum locus quidam opportunissimus muniretur, ex improvise Carrarius adortus primo hostes turbat, mox fundit ac fugat, in quo prelio e patriciis multi cum magna sagittariorum manu cecidere, in naves confugere reliqui. At parum feliciter a Stephano Transylvano cum Venetis ibidem dimicatum, quippe qui, ut locum, quem inter utraque castra hostis erigere pergebat, inhiberet aut vi dirueret, inito prelio tanto ab hoste impetu profligatus esse dicitur, ut multis cesis ipse cum plerisque nobilibus in hostium potestatem venerit; capti quoque ex Italico nomine Bonifatius et Antonius Lupii. Lodovicus accepta suorum cede ac Transylvani captivitate, ne bellum in suum et amici periculum aleret, subinde rescripsit, de pace iam ageret. Pax ea condicione a Venetis cum Francisco Carrario transacta, ut eius opera Lodovicum regem reconciliatum haberent et auxiliares Ungarorum copias Carrarius dimitteret.

Hinc otium trium annorum tantum exortum, quod deinde a Leopoldo Austrie duce interceptum est; is enim cum quattuor milibus hominum in Taurisinum agrum effusus passim omnia diripit ac vastat, insultat Venetis et late populatur. At illi impetratis ab Hestensibus auxiliis et coacta tumultuaria manu Iacobo Gaballo duce ad Unigum castra ponunt, ubi facta pugnandi potestate nonnullis cesis Leopoldum fuderunt fugaruntque. Mox ad Victorias Pylas ire pergunt, obsident deinde Feltrum, succendunt suburbana et univsum agrum fede populantur, deinceps audito Leopoldi succurrentis adventu in Taurisinum se agrum recepere. Leopoldus Bellunnum progressus Venetorum digressu prereplam sibi dimicandi copiam gravate tulit, verum Lodovici regis interventu cum Leopoldo duum annorum indutiae transacte sunt. Interea, cum Lodovicum Venetorum ingenia minime laterent, cum Genuensibus antistite Aquileiensi et Carrariis Venetorum gratia fedus percussit. Contra Veneti clandestinum in se bellum parari iam rati, ne cum tot hostibus uno tempore certare cogantur, Leopoldi gratiam ineunt, quacunquē possunt, condicione cum eo pacem transigunt, per Leonardum Dandalum et Petrum Cornarium loca, quecunquē ademerant, ultro restituunt. Nec multo post cum Genuensibus bellum quarto renovatum est, quod dum geritur, Carrarius princeps et Aquileiensis antistes cum Lodovico ex composito Venetis bellum indicunt. Cum tot illi potentatus ad evertendum suum imperium coortos esse conspicarentur, Barnabonem vicecomitem et Petrinum Cypri regem sibi socios accipiunt. Mox hinc Patavini, hinc Carnorum exercitus in Taurisinum agrum effusi omnia populantur et vastant, Gerardus Caminensis a Venetis Meta oppido Riccardo fratri adempto descivit. Genuenses ob adempta sibi quedam in Liguria oppida Phamaugusta Cypri urbem occupant. Victor Pisanus cum duodeviginti triremibus Catarum Lodovici regis oppidum expugnat diripitque. Mox Ligustica classis Adriaticum sinum invecta cuncta maritime ore loca Venetis infesta reddere studet, contra Pisanus Venete prefectus omnia tueri. In continenti interea Carrarius et Aquileiensis antistes cum Ungaris

Mestram oppidum obsidione circumveniunt, sed Francisci Delphini opera et celi gravitate id servatum. Deinde, cum Pisanus classem Sicum, quod nunc Sibinicum appellant, convertisset, facto maximo impetu et admotis repente scalis incautum oppidum invasit. Multos intra menia ex oppidanis interfecit. Sed, cum arcem id munitissimam haberet, a Pannonico presidio reiectus Tragurium navigavit, ubi Genuensem classem esse noverat; inde frustrato conatu ad sollicitandam Iadram properavit. Misit ad explorandos Arbensium animos triremes decem, qui Catarensium Siciensiumque casu consternati ultro sese Venetis dedidere. Demum Tragurina et Iadrensi obsidione frustratus vesaniente bruma in Istriam se recepit.

In sequenti anno ad Polam a Genuensibus misere profligatus triremes quindecim cum classiariis amisit; paucissimi in litus effusi evasere; capta hominum duo milia; ceteri partim cesi, partim vulnerati. Pridie Nonas Martias ea clades accepta, qua martimi belli robur pene amissum est. Ligures adauctis animis et amplificata classe sexdecimque longis Iadra navibus eductis Humagum, Gradum et Crapulas uno tempore occuparunt, onerariam unam secuti in conspectu civitatis direptam combussere. Mox ad Parvam Clodiam festinarunt, quam quidem urbis partem primo impetu captam incendio absumpsere, erumpentes ex urbe presidarios milites ultra pontem reiecere, ingenti denique letitia elati erepta Venetorum ad Polam signa medio mari trahentes ac Iadram ovantes rediere. Veneti tot cladibus affecti pensitatis urbis viribus, cum, unde Liguribus resisterent, non haberent et plerique naves ad bellum instructe abessent, in summum discrimen rerum omnium Lodovici regis opera adducti de patria defensanda cogitare coacti sunt. Ad presidium portus quindecim triremium classis instructa; prefectus Tydeus Iustinianus senatus consulto creatur. Ad hanc etenim calamitatem et miseriam Venetorum audaciam rex Lodovicus plane redegerat, ut, qui occupandis alienis rebus animos semper intenderint, nunc pro suis et imprimis pro patria dimicare cogantur. Clodia deinde a Genuensibus mari, terra vero a Carrariis et Pannonibus capta. Occupata urbe Venetisque deiectis Lodovici regis et Liguris in edito loco signa repente prefixa; ex oppidanis et Venetis sex hominum milia cesa, mulieres victoris iussu in edem se recipere ac postero die domum queque suam repetere iussa est. Pro recuperanda Clodia omni arte Veneti obnituntur. Interea Carolus Lodovici, ut quidam credidere, filius vel, ut alii tradidere, ex eo Carolo natus, qui Manfredum Apulie regem superavit, quibus haud facile assentior, cum decem Pannonum milibus ad Taurisium consedit. Sub eius adventum Franciscus Carrarius, item Genuensium Aquileiensiumque legati congratulatum et ad decernendum de pace bellove, quecunque ad Lodovici regis et sociorum facerent dignitatem, convenere. Postridie Nicolaus Maurocenus, Ioannes Gradovicus, et Zacharias Contarenus legati advenere, qui iniquissimis etiam conditionibus conficiende pacis potestatem habebant. De pace cum dies aliquot incassum disceptatum foret, cum nihil Venetis preter vitam

dimittere placeret, illi re infecta et dolore in iram conversi abiere. Carolus, cum menses duos in Taurisino agro stativa habuisset vidissetque se stando nihil profecturum, soluta demum obsidione in Pannoniam se recepit.

Verum post varia bella respirante Venetorum fortuna Ligures demum apud Clodiam infeliciter pugnarunt, e quibus tria milia, ex Patavinis ducentos, ex Illyrico et Grecia ceteros in Venetorum potestatem venisse ferunt. Ne decidere quidem hac clade Liguribus animi, quippe qui instaurata classe multo quam antea vehementius Venetos impetunt. Tergestini Lodovici regis arte operaque iterum a Veneta fide deficiunt, Donatum Thronum pretorem urbis cum universa familia in vincla coniciunt, geminas in urbe arces deturbato utrinque presidio recipiunt. Pari quoque successu Pola capitur, deinde Arba. Taurisium vero acerrima Patavini principis obsidione vexatur. Seravallum Leopoldo duci Austrie a Veneto conceditur, quin etiam, ut tyrannum in suum auxilium traherent, eidem Taurisium, ne a Francisco Patavino caperetur, Veneti senatus consulto datum, quod anno post tertio et quadragesimo, quam Scalanis ademerant, factum esse perhibent. Carrarius princeps, quamquam sub Leopoldi adventum Taurisio abscesserat, haudquaquam tamen destitit illius urbis agrum infestare, capere pleraque loca ac palam dicere se Lodovici regis iussu adhuc ibi arma gerere. Leopoldus, cum nova affinitate Ungarie regi adiunctus esset, in media urbe regalia suis prelata signa statuisset. Lodovicus, ne affinis sui rebus parum probe consulere videretur, temperamento quodam usus, ne belli socios prodidisse putaretur, Leopoldum exoravit, ut equo Carrarii pertinaciam animo toleraret. Cum gravissimum diu bellum inter istos terra marique gereretur, misso Torcellano antistite Haimon dux Allobrogum intercessit, cuius quidem interventu anno sexto ac mense quarto, ex quo ultimo cum Genuensibus pugnatum est, his condicionibus pax Venetis cum Genuensibus Lodovico rege, Patavino principe ac Aquileiensi antistite transacta est. Imprimis, ut captivi utrinque restituerentur, Patavinus Caput Aggeris et Morentianum Veneto redderet, demoliretur in aquis et ad flumina iam erecta presidia, Veneti contra huic Curaniam turrinam plane relinquerent; controversia finium inter Patavinum et Venetum Alberti Hestensis arbitrio definiretur; Venetus Tenedo presidium abduceret, dux Allobrogum insulam suis armis biennio custodiret; Florentini pro ducentis milibus inter utrosque sponsores intercessere, quod Veneto et Liguri circa Tanaim negotiari non liceret, ne, quod totiens contulerat, veteri emulatione rursus ad arma redigerentur; insuper decimo quoque anno septem aureorum nummum milia Lodovico regi Venetus solveret, contra ille Dalmaticam oram Venetis negotiatoribus a piratis tutam redderet neve salem Dalmata Illyricusve conficeret. Eo die, quo pax promulgata est, editum aiunt infantem, cui quaterna bracchia, quaterna quoque crura erant. Hoc admodum bello Venetorum fastum attenuatum fuisse perhibent, quod quidem Lodovici regis arte ac vi factum esse nemo dubitat,

qui, ut occupatam e Venetorum faucibus Dalmatiam assereret, et suas et sociorum vires experiri voluit, ne a magnis ceptis magnanimus princeps, cui parem olim nunquam sortita est Ungaria, turpiter desinere videretur.

Sed ad alia quoque bella suo ductu auspiciisque gesta red- 443
eundum est. Quam in Bossenam quorundam nobilium factione re-
bellantem, que Ungarici imperii stipendiaria fuerat, expeditionem
suscepit, per magistrum equitum et legatos parum prospere gessisse
fertur. Nicolaus enim comes palatinus et Nicolaus Strigoniensis 444
metropolita cum magna procerum manu in provinciam proficiscun-
tur, Zerebnechum obsident, ut aiunt, quod cum oppugnare cepis-
sent, ne sine magna quidem hominum rerumque iactura obsidio-
nem solvere sunt adacti. Quin et aliud intercessit incommodum. 445
Dum essent in castris et metropolite tabernaculo regalia sigilla clam
subtracta, furti auctores Belialis filii arguuntur; hec in Bistricia
paucis post annis apud argentarium comminuta fabrum comperta
sunt. Sigillorum iactura a Lodovico minimi facta, quando regio re- 446
pente iussu alia instaurata, quibus omnia diplomata privilegiaque
superiora obsignari et confirmari iussit.

Deinde in Bulgariam dicioni Pannonice subiectam reluctantem 447
Stratimiro eorum principe exercitum rex eduxit, ubi bellum e sen-
tentia gestum est, siquidem Budonium eorum urbem primo impetu
obsessam perbrevis obsidione occupavit. Stratimirum cepit, qui se 448
vulgo imperatorem appellari iusserat; deinde vix trium mensium
spatio universam Bulgariam in suam potestatem redegit. Strati- 449
mirus in Ungariam ductus ad Gomlechum Zagabriensis episcopi
castellum aliquamdiu adhibitis custodibus relegatus est. Deinde, 450
cum in manus Lodovici iurasset se perpetuam fidem et obsequium
regi Pannonie prestiturum, magnifice donatus reddito regno dimis-
sus est, qui recepta Bulgaria, quoad vixit, pactas condiciones im-
perataque servavit.

Insuper adversus imperatorem Carolum est bellum initum; cause 451
non extant. Legati, de quibus diximus, Venetorum huiusce belli su-
spicione non caruere. Coacto exercitu ad Moravie fines processit, 452
litteris et chirographo imperatori bellum indixit, Trincinium intra-
vit, circumlocata sunt castra. Dum alias ibi copias opperitur, dux 453
Sidnicensis cum plerisque proceribus Caroli nomine advenere; ali-
quot dies de pace disceptatum est, que cum tam cito confici non
posset, indutie facte sunt. Nicolaus vero palatinus, et Stephanus 454
Bebechus iudex regius ad Carolum mittuntur, ut de pace agerent,
qui, cum imperatorem ad Brodam cum exercitu offendissent et de
pace disceptassent, re demum infecta rediere. Lodovicus indutiarum 455
gratia solutis castris in Pannoniam regreditur. Exacto indutiarum
tempore Ladislaum Apulie ducem et Petrum banum cum expedi-
tissimo equitatu in Moraviam misit, qui provinciam ingressi vicos
et castella quedam improbe munita populantur et incendunt, ab-
igunt pecora et multos captivos abducunt, mox incensis et vastatis
agris onusti preda abeunt. Res ita ex improvise gesta, ut inhiberi

nequiverit.

Successit his Casimiri Polonie regis obitus, quem Lodovici 456
avunculum fuisse diximus. Hic, cum Lodovico liberis orbatus re-
gnum Polonie legasset, quando neminem habebat, qui sanguine
propius eum attingeret, rex haudquaquam cunctandum ratus habito
ingenti delectu in Sarmatiam proficiscitur. Venit Graccoviam ibique 457
frequentissimum omnium regulorum antistitum et nobilium conven-
tum habet, testamenti tabulas aperiri iubet ac legi, in quibus cum
se heredem unicum ex legato legisset, perhumane prefatus princi-
pes populorumque legatos exoravit, ut se Casimiri nepotem regem
ultra declararent; quare ab omnibus uno ore dominus et rex Po-
lonie salutatus et coronatus est.

Pacato regno dispositisque prefectis in Pannoniam reversus 458
extemplo de Layci Transalpinarum partium vaivode, ut aiunt, de-
fectione commonefactus est, quod egre, cum utranque Valacchiam
sue dicionis esse noverit, tulisse ferunt; id suscepta mox expeditio
declaravit. Nam coactis celerrime duobus exercitibus in Transalpi- 459
nam Valacchiam proficiscitur, a duabus partibus provinciam ad-
oritur; a tergo nanque et qua Transylvaniam attingit, Nicolaum vai- 460
vodam Transylvanum et Simonem Mauricii filium cum ingenti no-
bilium manu irruere iubet, ipse a Bulgaria, quam Mysiam olim ap-
pallabant, a fronte in hostem impetum facit. Laycus Lodovici exer- 461
citus traicere contententem Danubii ripa prohibere conatur; in-
stat a tergo Nicolaus et cum omnibus copiis Valacchiam ingressus
ad Ilumsam fluvium castra movit. Ad inhibendum transitum 462
castella quedam presidio munita comperit, deturbatis illico presidiis
castella capit et transmisso confestim exercitu cum Layci equitatu,
cui Dragmerus Valacchus preerat, manum conserit; durante ali-
quantisper pugna hostis proteritur funditurque. Nicolaus victoria 463
potitus adauctis animis in provinciam penetrat interiorem, ubi, cum
inter sylvas ac montium anfractus se cum universis legionibus in-
sinuasset, irruentibus e iugis montium hostibus ita telis ac lapi-
dibus confectus est, ut ipse cum plerisque nobilibus dato tergo et
preclusa fuga miserime occubuerit; ceteri partim cesi, partim re- 464
lictis impedimentis ab hoste dimissi. Cum Nicolao Petrum provai-
vodam et Petrum Rossium Cicille oppidi prefectum, item Ladis-
laum et Petrum Siculos cum magno nobilium numero oppetiisse
memorant. Nicolai corpus Valacchorum manibus ereptum Strigo- 465
nium milites retulere et in ede dive virginis condidere. At cladis 466
huiusce iacturam Nicolaus Gara plane resarsit, qui mira virtute ac
singulari militaris artis disciplina regis exercitum instructis navi-
giis e Bulgaria in Valacchiam invito et adversante Layco ita trans-
misit, ut in Danubii ripa hostem fuderit, ceciderit multos et pro-
xima subinde oppida ceperit. Tunc Lodovicum regem, ut Valac- 467
chis tutius imperaret, Severinum oppidum a Severo olim imperatore
edificatum ac vetustate collapsum instauravit. Item ad Hierassum 468
amnem castellum erexit, quod Terchum nominant, et utrique pre-
sidium imposuit. Pacata demum provincia in Pannoniam abiit.

Mos ei fuit in rebelles et infensos suspectosve quotannis mo-
 vere bella, nullam respirandi copiam, nullam otii potestatem hosti
 facere, abstertere audacia et perpetuo defatigare bello, obstinatis
 ac perfidis variisque animis multo pertinacius instare neque ab
 hoste vindicta neque ab amico beneficio superari, supplicibus sese
 offerre exorabilem. Laudis preterea cupidissimum et immortalitati
 quam maxime studentem ferunt, Retianos et Moldavos, qui Daciam
 inferiorem habitant et in Valacchia montana permanent, assiduo
 bello affectisse et precipue Retianos, qui superiorem Mysiam inco-
 lunt, cum perfidie utrosque plus quam barbare esse intelligeret.
 Quare Dominicum Osi gnatum provincie Mysie cum Semero pre-
 fecit; post hos Nicolaus Gara suffectus est, cum hunc animi cor-
 porisque viribus Lodovicus prepollere intelligeret. Hi Mysos ac Da-
 ces in Pannonici regis fide summo studio retinere.

Item nil sibi prudentia, liberalitate, propagatione regni ac glo-
 ria fuit antiquius, omnia litterarum studia avidissime novit ac im-
 primis astronomiam, qua inconsulta nihil sibi placuit auspicari. Ius
 integerrime dixit, amplificavit cupidissime regnum, in divinum cul-
 tum et studiosos animos perquam magnificus et gratus semper est
 habitus. Ne plebs ac rustica multitudo gravioribus, quam par est,
 tributis et portoriis a questoribus et prefectis oneraretur neve in-
 iquis iudiciis gravaretur afficereturve rapinis, dissimulato sepe ha-
 bitu veluti callidissimus explorator vicos et oppida lustravit per-
 scrutaturus mores publicanorum et prefectorum et eorum iniurias
 ex plebis querimoniis recogniturus, quod idcirco a clementissimo
 principe factitatum aiunt, ut non minus optimatum quam plebis
 curam gessisse videretur. Quin etiam sepiissime subornatus de mo-
 ribus regis percontabatur et e simplicium responsis sese ipse quando-
 que castigavit.

Quam pius ac deo gratus fuerit, ex his, que subiicientur, in-
 telligi potest. Imprimis, ut Hebrei a dure cervicis pertinacia defi-
 cerent resipereque, tandem se hos pro Ungaris habiturum, per-
 petua donatum immunitate pollicebatur. Demum, cum neque suis
 neque sanctorum patrum contionibus ad orthodoxam fidem revo-
 care potuisset, publico omnes edicto Ungaria exegit, res ac fortu-
 nas impune exportasse permisit; hi vero exacti Austriam et Bo-
 hemiam inundarunt.

Cum heremitarum ordo divi Pauli principis in Ungariam ve-
 nisset corpusque eius Venetiis avectum in Laurentii edem, que ad
 tertium lapidem Bude proxima monti prominet, translatum esset,
 Carolus pater primus heremitarum collegia introduxit, qui Lauren-
 tii, Sancte Crucis, Spiritus Sancti et divi Ladislai sacras edes usur-
 parunt. Lodovicus autem in Noztre cenobium his excellentissimum
 dicavit et in Levelde aliud Carthusiensibus exedificavit magnifice-
 que donavit. Duas item ediculas regio sumptu constructas magne
 matri erexit ac ingenti donativo excoluit; in Aquisgrano alteram,
 alteram in Cellis. Exemplo quoque suo multos ex antistitibus, opti-
 matibus et nobiles ad hec divine pietatis officia invitavit, qui, ne

a sui regis magnificentia degenerarent, per se quisque templa dona-
que dicarunt. Quare preter omnium opinionem religio in Un- 482
garia nimis amplificata et usque adeo propagata, ut plus tertia regni
parte in divinum usum possideret.

Cumanos Tartarica feritate ac ritibus infectos ad veram fidem 483
impensissime revocare studuit et spem suam nequaquam frustra-
tus revocatos immissis eo sacris declamatoribus religionis magi-
stris, quantum in se fuit, diligentissime confirmavit. Ad rectam quo- 484
que fidem Paterinos in Bossena convertit, qui variis erroribus im-
pliciti in deperditam impietatem inciderant; qua quidem in re Per-
egrini Bossenensis episcopi viri profecto sanctissimi opera usus
est. Quin etiam in Scлавonia et in ea quidem regione, quam Lip- 485
nam nunc appellat, cum multos depravatis opinionibus esse in-
tellexisset, quibus sacerdotes ex divi quondam Hieronymi institu-
tione sacra ministrabant, ad veram sapientiam reduxit; verum hi 486
nunc in pristinum errorem recidisse dicun'ur. Eius etiam tempore
Bogdan Valacchorum princeps, qui destituta Tartarorum vicinitate
Moldavia, que interior Valacchia est, ad Marmarussiam habitabat,
coactis Valacchis in patriam regionem Lodovico regi subiectam
remigravit idque inconsulto rege fecit, quod is egre tulit; sed, cum 487
illorum fecunditate provinciam in dies compleri cepisse audisset,
eam pacta condicione ultro concessit, ut Moldavie vaivoda, ut aiunt,
grata obsequia et stata quotannis stipendia Pannonico regi persol-
veret. Imperante quoque Lodovico seva pestis et locustarum mu- 488
rumque incommoda, item calamitosi terre motus Ungariam inces-
sere. Preterea, cum in omnes esset liberalissimus, qui regalis aule 489
servitiis obnoxii ex more fuerant, eos in nobilium ordinem perhu-
mane asseruit ac eo servitutis genere liberavit.

Uxores ei fuere due. Altera Caroli filia, qui deinde ad imperii 490
Romani fastigium evectus est; huic Margarite nomen fuit, que in-
tempestiva morte subrepta sine liberis vita decessit. Elisabetha al- 491
tera Stephani Bossenensis bani, ut aiunt, filia, ex qua gnate tris
genite Catherina, Maria et Adiuga. Catherina pueritia non excessit.
Maria a teneris unguiculis Sigismundo Brandeburgensi Cesarea 492
stirpe edito desponsata Augustali potestate et corona potita est.
Adiuga defuncto patre regnum Polonie sortita optimatum consensu 493
Iagule principi Lithvanie coniugata, qui nondum orthodoxa fide
initiatu est; matrimonii federe ex compacto in regnum simul Chri- 494
stianamque professionem admisit atque Ladislaum appellari iussit,
qui uno eodemque tempore fortunam nomenque mutavit.

Lodovicum referunt pacem domi, foris bellum semper optasse, 495
quando alterum sine altero facile comparari non potest, domi ius-
titiam, pietatem et religionem, peregre fortitudinem, severitatem
animique magnitudinem, utrobique prudentiam coluisse; privilegia 496
populorum immunitatesque servasse, sacrarum edium iura lesisse
nunquam, provincias, quas in Christi fidem asseruit, omni libe-
ralitatis officio sibi conciliasse, in omnes demum vel maxime in 497
calamitosos ac miserabiles fuisse pientissimum. Tyranni notam di-

Mos ei fuit in rebelles et infensos suspectosve quotannis mo-⁴⁶⁹
 vere bella, nullam respirandi copiam, nullam otii potestatem hosti
 facere, abstertere audacia et perpetuo defatigare bello, obstinatis
 ac perfidis variisque animis multo pertinacius instare neque ab
 hoste vindicta neque ab amico beneficio superari, supplicibus sese
 offerre exorabilem. Laudis preterea cupidissimum et immortalitati⁴⁷⁰
 quam maxime studentem ferunt, Retianos et Moldavos, qui Daciam
 inferiorem habitant et in Valacchia montana permanent, assiduo
 bello affecisse et precipue Retianos, qui superiorem Mysiam inco-
 lunt, cum perfidie utrosque plus quam barbare esse intelligeret.
 Quare Dominicum Osi gnatum provincie Mysie cum Semero pre-⁴⁷¹
 fecit; post hos Nicolaus Gara suffectus est, cum hunc animi cor-
 porisque viribus Lodovicus prepollere intelligeret. Hi Mysos ac Da-
 ces in Pannonici regis fide summo studio retinere.

Item nil sibi prudentia, liberalitate, propagatione regni ac glo-⁴⁷²
 ria fuit antiquius, omnia litterarum studia avidissime novit ac im-
 primis astronomiam, qua inconsulta nihil sibi placuit auspiciari. Ius⁴⁷³
 integerrime dixit, amplificavit cupidissime regnum, in divinum cul-
 tum et studiosos animos perquam magnificus et gratus semper est
 habitus. Ne plebs ac rustica multitudo gravioribus, quam par est,⁴⁷⁴
 tributis et portoriis a questoribus et prefectis oneraretur neve in-
 iquis iudiciis gravaretur afficereturve rapinis, dissimulato sepe ha-
 bitu veluti callidissimus explorator vicos et oppida lustravit per-
 scrutaturus mores publicanorum et prefectorum et eorum iniurias
 ex plebis querimoniis recogniturus, quod idcirco a clementissimo
 principe factitatum aiunt, ut non minus optimatum quam plebis
 curam gessisse videretur. Quin etiam sepiissime subornatus de mo-⁴⁷⁵
 ribus regis percontabatur et e simplicium responsis sese ipse quando-
 que castigavit.

Quam pius ac deo gratus fuerit, ex his, que subiicientur, in-⁴⁷⁶
 telligi potest. Imprimis, ut Hebrei a dure cervicis pertinacia defi-
 cerent resiperentque, tandem se hos pro Ungaris habiturum, per-
 petua donatorum immunitate pollicebatur. Demum, cum neque suis⁴⁷⁷
 neque sanctorum patrum contionibus ad orthodoxam fidem revo-
 care potuisset, publico omnes edicto Ungaria exegit, res ac fortu-
 nas impune exportasse permisit; hi vero exacti Austriam et Bo-
 hemiam inundarunt.

Cum heremitarum ordo divi Pauli principis in Ungariam ve-⁴⁷⁸
 nisset corpusque eius Venetiis avectum in Laurentii edem, que ad
 tertium lapidem Bude proxima monti prominet, translatum esset,
 Carolus pater primus heremitarum collegia introduxit, qui Lauren-
 tii, Sancte Crucis, Spiritus Sancti et divi Ladislai sacras edes usur-
 parunt. Lodovicus autem in Noztre cenobium his excellentissimum⁴⁷⁹
 dicavit et in Levelde aliud Carthusiensibus exedificavit magnifice-
 que donavit. Duas item ediculas regio sumptu constructas magne⁴⁸⁰
 matri erexit ac ingenti donativo excoluit; in Aquisgrano alteram,
 alteram in Cellis. Exemplo quoque suo multos ex antistitibus, opti-⁴⁸¹
 matibus et nobiles ad hec divine pietatis officia invitavit, qui, ne

a sui regis magnificentia degenerarent, per se quisque templa dona-
que dicarunt. Quare preter omnium opinionem religio in Un- 482
garia nimis amplificata et usque adeo propagata, ut plus tertia regni
parte in divinum usum possideret.

Cumanos Tartarica feritate ac ritibus infectos ad veram fidem 483
impensissime revocare studuit et spem suam nequaquam frustra-
tus revocatos immissis eo sacris declamatoribus religionis magi-
stris, quantum in se fuit, diligentissime confirmavit. Ad rectam quo- 484
que fidem Paterinos in Bossena convertit, qui variis erroribus im-
pliciti in deperditam impietatem inciderant; qua quidem in re Per-
egrini Bossenensis episcopi viri profecto sanctissimi opera usus
est. Quin etiam in Scлавonia et in ea quidem regione, quam Lip- 485
nam nunc appellat, cum multis depravatis opinionibus esse in-
tellexisset, quibus sacerdotes ex divi quondam Hieronymi institu-
tione sacra ministrabant, ad veram sapientiam reduxit; verum hi
nunc in pristinum errorem recidisse dicun'ur. Eius etiam tempore 486
Bogdan Valacchorum princeps, qui destituta Tartarorum vicinitate
Moldavia, que interior Valacchia est, ad Marmarussiam habitabat,
coactis Valacchis in patriam regionem Lodovico regi subiectam
remigravit idque inconsulto rege fecit, quod is egre tulit; sed, cum 487
illorum fecunditate provinciam in dies compleri cepisse audisset,
eam pacta condicione ultro concessit, ut Moldavie vaivoda, ut aiunt,
grata obsequia et stata quotannis stipendia Pannonico regi persol-
veret. Imperante quoque Lodovico seva pestis et locustarum mur- 488
rumque incommoda, item calamitosi terre motus Ungarum inces-
sere. Preterea, cum in omnes esset liberalissimus, qui regalis aule 489
servitiis obnoxii ex more fuerant, eos in nobilium ordinem perhu-
mane asseruit ac eo servitutis genere liberavit.

Uxores ei fuere due. Altera Caroli filia, qui deinde ad imperii 490
Romani fastigium evector est; huic Margarite nomen fuit, que in-
tempestitiva morte subrepta sine liberis vita decessit. Elisabetha 491
altera Stephani Bossenensis bani, ut aiunt, filia, ex qua gnate tris
genite Catherina, Maria et Adiuga. Catherina pueritia non excessit.
Maria a teneris unguiculis Sigismundo Brandeburgensi Cesarea 492
stirpe edito desponsata Augustali potestate et corona potita est.
Adiuga defuncto patre regnum Polonie sortita optimatum consensu 493
Iagule principi Lithvanie coniugata, qui nondum orthodoxa fide
initiatum est; matrimonii federe ex compacto in regnum simul Chri- 494
stianamque professionem admisit atque Ladislaum appellari iussit,
qui uno eodemque tempore fortunam nomenque mutavit.

Lodovicum referunt pacem domi, foris bellum semper optasse, 495
quando alterum sine altero facile comparari non potest, domi ius-
titiam, pietatem et religionem, peregre fortitudinem, severitatem
animique magnitudinem, utrobique prudentiam coluisse; privilegia 496
populorum immunitatesque servasse, sacrarum edium iura lesisse
nunquam, provincias, quas in Christi fidem asseruit, omni libe-
ralitatis officio sibi conciliasse, in omnes demum vel maxime in 497
calamitosos ac miserabiles fuisse pientissimum. Tyranni notam di-

ligentius morte precavit, quare non modo tyrannus nunquam visus
 est, sed pre nimia comitate ac clementia ne rex quidem, publicus
 pater, vigilantissimus regni custos et propugnator invictus esse di-
 cebatur. Cum a pueritia venationes frequentaverit, etatem grandiorē 498
 militie assumpserit, ad extremum nactus otium a gerendarum
 rerum molestiis ad divinam contemplationem se revocavit. Quan- 499
 tum in se fuit, publicis tunc negotiis se subtrahere, sanctorum pa-
 trum consuetudine uti, perpetue salutis impensius incumbere, utri-
 que simul vite officia persolvere neque interim hostium insidias
 regnique tutelam animo eiicere, quod ut faceret, marium orbitas
 liberorum hortabatur. Ut regno consuleret, Sigismundum adoptasse 500
 dicitur, quem et Augustali genere et excellentissima indole esse in-
 telligebat; iacturam liberorum resarcire hoc modo placuit ne ab re 501
 quidem, quando princeps ille prudentissimus Pannonice salutis ne-
 que commodius neque honorificentius consulere potuit. Et, sicut 502
 exitus rerum approbavit, quis eius viri sapientiam non admiretur,
 qui longe ante mortem futura prospexit suorumque salutis multo
 ante, quam res ipsa postularet, ut in tempore consilia provisiva con-
 ferret, rite consuluit? Annum demum rex nactus sextum et quin- 503
 quagesimum validudine parum prospera laborare coepit; ne aliter
 quidem, ac obtigerat, id futurum prospici poterat, quando bellici
 labores, quotidiane cure, caloris ac frigoris incommoda, assidua
 itinera peregrinationesque corpus eius ita confecerat, ut in gravis-
 simum deinde morbum sane coniecissent. Postquam desperata sa- 504
 lute extremum sibi diem imminere intellexit, coactis optimatibus
 regnum disposuit in manus Marie filie. Ne iubente quidem ipso 505
 sponte sua omnes iurarunt se haud aliter ac patrem eam observa-
 turos et non modo fidem obsequiaque debita prestituros, sed pro
 eius nutu et imperio liberos, vires, corpora, fortunas ac divina si-
 mul et humana, cum res tulerit, ultro delaturos, pericula queque
 maxima lubentissime subituros. Explorata procerum studia cum 506
 promptissima inspiceret, admodum illacrimavit. Cum diem Lodovi-
 cum agere rumor esset, ita vulgo trepidari ceptum est, ut sue quis-
 que vite timere videretur, pro salute regia publica vota nuncupan-
 tur, ad omnes oppidatim et vicatim aras homines operantur, ne
 tanto defensore parenteque orbentur; haud aliter quidem omnis 507
 etas ac sexus formidare visus est, atque si hostes in mediis lari-
 bus habuissent. Ecce aliquantisper ante mortem eius cometes appa- 508
 ruit, quo regi fatum instare omnes augurabantur. Increscente
 igitur morbo Idibus Septembribus diem obiit tantumque sui desi-
 derium reliquit, ut pre ceteris hunc regibus Pannonia deploras-
 se videatur. Promulgata morte omnes ex oppidis et pagis in Vicegra- 509
 dum convenere, confluxere undique principes et antistites, item no-
 biles et provinciarum omnium legati, qui perpetuo exequiarum ho-
 nore Lodovici obitum honestarunt. Varie e cunctis populis audite 510
 voces, varii quoque matronarum ululatus, que regionatim cum li-
 beris haud secus ac ad complorandum suum quisque parentem
 ultro concurrere. Hi patrem pietissimum, regem clementissimum 511

illi ingeminare. Pars defensorem fortissimum et bellatorem invictissimum ali exclamare, nonnulli dominum indulgentissimum vociferari, assertorem regni et Dalmatie liberatorem multi dicere, domitatorem plerique hostium flere, nemo tamen pietatis officio se satisfacere posse videri. Quamvis certatim pro se quisque et ex corde ploraret, filiarum tamen ululatus in tantam acclamationem populos incendebant, ut ad moriem usque complorasse putarentur. E pontificibus et sacerdotibus, item e proceribus et ordine nobilitatis nemo siccis oculis spectari potuit, quin etiam in sacris multi sacerdotes e profluvio lacrimarum vix operari potuere. E prefectis equitum et militibus nonnulli, ne pre dolore indomito sibi manus iniicerent, adhibitis custodibus sunt inhibiti et, ni Marie consolatio succurrisset, quam pro rege habituros se omnes proclamabant, multi haud citra necem lacrimosum funus celebrassent. Quid plura? Quantum eius mors et Ungaris et sociis meroris attulerit, hinc facile considerari potest, quod annos tris universa Hungaria pulla veste incessit totidemque annis luctum regionatim celebravit. Nusquam risus, iocus, sonus, chorea aliquodve festivitatis genus spectatum est, iustitium triennio indictum. Item pueri veluti patre orbi gemebundi omnes incessisse dicuntur; socii omnes imprimisque Roxani, Mysii, Bulgari et Valacchi ab eo domiti in tristitie speciem barbam deposuisse feruntur. Omnes preter Venetos hunc principem deplorarunt, quippe qui ad primum mortis eius nuncium tanta letitia exultasse feruntur, ut nihil unquam felicius ac magis faustum exaudiverint; quod ne ab re quidem, quando hunc unicum Venete calamitatis auctorem Dalmatie gratia fore intelligebant. Corpus Albe ad basilicam divi Stephani in edicula, quam monumenti sui loco exedificaverat, sepultum est. Sex'no decimo post die regina Elisabetha honestissimo sacerdotum collegio sacellum magnificentissime donatum decorasse dicitur, qui Lodovici manibus quotidie operarentur. Diem rex anno salutis octogesimo secundo supra tredecies centenum obiit; annis quadraginta, mense uno, diebus autem duobus et viginti regnavit. Hunc statura mediocri, elatis oculis, crinibus et barba crispa, sereno vultu, prominentibus aliquantulum labris et humeris parum curvis ac regem ceteris longe preferendum fuisse memorant.

ANNOTATIONES CRITICAE.

corr.: correctum - *del.*: deletum - *om.*: omittit, -unt *omn.*: omnes (codex e et editiones) - *ras.*: rasura

e: codex Cracoviensis. h: editio a. 1606. Hanoviae.
 b: editio Brenneri a. 1543. Basileae. i: editio a. 1690. Coloniae Agrippinae.
 s: editio Sambuci a. 1568. Basileae. p: editio a. 1744. Posonii.
 f: editio Sambuci a. 1581. Francofurti. l: editio Caroli Andreae Bel a. 1771. Lipsiae.

o: b, s, f, h, i, p, l

u: b, s, f, h, i, p

k: b, f, h, i, p, l

De codice et editionibus, item de affinitatibus codicis et editionum v. Introductionem in tomo I.

Scripturam codicis v. pag. 226—27. tomi I. - E nominibus propriis ad Scripturam attinentibus haec sola tria in Annotationes Criticas non assumpsimus: Bohemus] Bohemus, Boemus; Christus] Christus, Cristus; Elisabetha] Elisabetha, Elizabetha, Elizabetha, Helisabeta, Helisabetha, Helisabetta, Helizabeta in codice inveniuntur.

DECAS II.

TIT. et PRAEF. Antonius—regem] Ad divum Vladislaum serenissimum (*sic*) Ungarie Bohemieque regem Antonii Bonfinis secunde decadis rerum Ungaricarum prefatio e, Antonii Bonfinii in secundam rerum Ungaricarum decadem ad divum Vladislaum serenissimum Ungariae Boemiaeque regem praefatio bs, Antonii (Ant. fh) Bonfinii rerum Ungaricarum decas secunda. Eiusdem ad divum Vladislaum serenissimum Ungariae Boemiaeque (Boemiaeque p) regem praefatio fhpl - 1. Vladislav o - superiori o - gentis] generis e - 2. Wandalorum e - 5. Ungaricae o

LIBER I.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber primus e, Antonii Bonfinii rerum Ungaricarum decadis secundae liber I. (primus spl) o - 1. Sthephano e - 2. infectos] infestos o - 3. et tutum] etiam tutum o - 5. revocatur e - 9. hunc] nunc e - 10. gratissimam] gravissimam e - 11. Christi *om.* o - 13. virum] verum e - 14. Rogari e - Slavicum el, Sclavicum u - Stresilavam eu, Stresilavae l - ac] a e - Lubico e, Lubeco o - Cidlina *omn.* - 15. Sudinam] Surinam *omn.* - Misam] Nisam *omn.* - flivium e - Teuthones u - Hercyne e, Herciniae o - Suitanam o - Glastum o - 18. exercizandum e - destitutum e - 20. Lubicum e, Lubecum o - omneis bsfhi - 22. hac] hanc e - ceteras] exteris o - 23. excipiendum] accipiendum k - honorifice pontificem] eum honorifice k - 26. Gentium—magnam] Vidit lucem magnam gentium populus, qui ambulabat in tenebris o - revocare e - 27. Giule] Gyulae o - Sthephanus e - gravis] grvida o - 29. Sthephanus e - Hiis e - portetendebantur e - 31. vexatur o - sexagesimo *om.* o - numina e - 32. hiis e - portetendebantur e - 33. Sthephanum e - 35. Appulia e - Sthephanum e - 38. electus] selectus o - 42. sue gentis *om.* e - 46. molestiaque] modestiaque e - 47. regni cunctis e - 52. androphophagos e - 55. fundaturum] *post* funda *ras.* e - nequeant o - 58. Sthephani e - 59. ita *om.* o - asseverarim k - 61. Comitem (= Comitem) e, Comem o - erogare e - 62. protendunt e - 64. Sthephanum e - dum curetis populi—faciendum] populi—faciendum curetis es - econtra] contra o - 66. hac] ha e - 67.

Sthephanum e - retinere e - 68. obstinacissime e - 70. Sthephanus e - 71. plebeii sfhil - 72. omneis bsfhi - 73. petuita e - 76. effungeret e - 77. ratus] rarus e - 78. Prusiam u - 81. Prusiam u - exueret] exuret e - et omnium] omnium e - 82. quare] quia e - ne apud nos mendum typogr. pro ni; in e - 83. nihil] nil o - posse om. bf - 85. Liboniam ebfi - 86. Liboniam ebfi - efferrarum e - somnis o - totum] eorum e - 87. poculum corr. ex populum e - 89. membra] umbra e - 90. fecisse] perfecisse o - deus om. o - 91. martiryo (sic) e - 94. pretereundum] praetermittendum o - Vindaum] Vandalum eu, om. l - 95. adactos] edoctos o - 97. sibi] saepe bf - 98. finitimarum provinciarum] finitimarum u, finitimorum l principesve] principes ut e - 99. mentes] nationes bf - 101. Vesprinium u - Pannonie] Balatonium u, Balatonem l - 102. Cupam o - Sthephani e - 105. erat] esset o - iussisset o - disiecisset o - fatuum—superstitionem] statuum—superstitione bf - niteretur o - enervaret o - indiceret o - 106. fere] ferre e - fere—totam] ita Pannoniam fere totam o - Vesprinium bhip, Vespertinium s - 107. Marcini e - 109. Goron] Garam o - 111. Hii e - Teuthones u - 112. Hii e - hii e - 113. Almanum e, Almanum bhip, Alemannum sl - Cupan corr. ex Cupam e, Cupam o - 114. abstinatius e - 115. cohortesque e - optimi om. bf - 116. dextero corr. ex dextro e, dextro o - dimicarer e - 118. Ihesu Christe te e - sistito] siscito e - 122. partibus bsfhi, partes pl - Transsilvaniam e - Herdel—kenchies] olim Ungari ab auri feracitate kenchies Herdel (Kintses Erdély l) o - kenchies] condam e - 124. vero] ex bf - Radus] Radii e - 128. prostratus] constratus e - perficeret k - 129. sepe] spe e - 130. Hungariam e - 131. Polianum e - Poloniam e - 135. Colocensem ipl - 137. consummari] confirmari o - 140. Miscam] Myscam e - dyodemate e - insigniter e - 141. diei e - 143. diei e - eiusque—subiecisset et] et || e - Gettas e - enatrasset e - 147. Sthephanus e - 148. adulteriis et homicidiis o - 152. Volphangi e, Volfgangi bf, Vuolfgangi s, Wolfgangi hipl - Sthephano e - 153. Saraceni o - Subaganum e, Buboganum bhip, Bobanum l - Saraceni o - Bubogano bhip, Bobano l - Appulosque e - 154. perccepit e - 157. Hildelsensi e, Hildensi u, Hildesiensi l - Mersenburgensi e, Mechelburgensi u - 158. Chunegundis o - hii e - inviolare e - 160. Cune Gundum e, Chunegundim o - 161. Sthephanus e - 162. Sthephani e - 163. Alamanos e, Alamannos k, Alemannos s - 166. ex eaque] et ex eaque e - 168. Sthephano e - 170. obrusaque e, obryzoque o - 172. Vespriniensem u - 173. nil] nihil a - adiudicasse] addixisse o - 175. et om. o - 176. cunctaque] cuncta k - cuiuscunque] cuiusque o - 177. sibi praecipue o - ubique om. bf - 178. metropolitana e - 180. cerrabat e - 181. olocaustum e - 182. quippe] quippe qui o - Daviricos e - 184. exciperet e, acciperet k - patres] prodentes patres o - 187. continente bf - 189. secessisse] decessisse o - 191. ut] ubi bf - 192. parere] patere o - Quinquecclesiensi bsfh, Quinque Ecclesiensi ipl - episcopatu] episcopo e - 193. Vesprinii u - 196. Amnuensem e - 197. patrandis] parandis u, procreandis l - ac] et o - 199. redigerat e - 202. gnati] gnari e - auspicator] conspicatur o - 206. publicatum e - 208. Conradus k - Theutonum bs, Teuthonum fhip - 211. reserarentur] referrentur e - compressi e - 212. Hierosolimam e - 213. Sthephani e - 217. omni e - 218. Ipse] Spem e - 222. omnis bhip - 225. impatientius] intemperantius bf - tolerabar e - 227. Sthephanus e - 230. diem] fidem e - 231. regium] reges o - 233. exculpte] exculte e - 238. liberalitate] liberare e - 241. Hierosolimis e - 243. templum—quoque om. e - 245. elemosinas e - 246. nummorum] numerorum es - 248. At] Ac bhip - ac—ingentes om. bf - 251. cui] qui i - 253. auspiciis bhip - declararetur bhip - 254. somniis o - Transsilvaniam e - acolunt e - limitibus] militibus e - 256. et, nisi] niso e, et ni se b - 257. Gyulan e, Gyulam o - 258. Scytica e - 259. proficere] perficere o - Transilvanie e - 260. tamen] tandem e - 261. Transilvaniam e - 262. Gyula omn. - 264. eum] cum e - 266. Gyula omn. - 267. Ponthum e - iidem] idem e - Transilvaniam e - 270. tantaque] tanta quoque e - illi] illis o - 271. Transilvaniam e, Transsylvaniam (sic) bhip - Zoltan o - 272. in vestimenta i - 273. obruse e, obryzi o - 279. illa] ille bhip - 280. perfici] profici e - 281. Sthephano e - institurum e - fundaret] - omneis bsfhi - 282. singulatim o - et] ex e - 283. loculos] ioculos e, loculos i - 284. lacera k - 286. Conradus k - Conradi k - Otonis e - 287.

adventumque Conradi (Corradi s) o - 288. Ex] Et e - equidem e - Otonisve e - Mo-
doetie] Moguntiae u - 291. diffudunt e - 293. Sthephanum e - 294. Conradus k -
est lingua o - 296. Bolislao e, Bolezlao bfhyp - 297. facile o - 298. Sthephanus
e - Conradum k - 299. nunquam] unquam o - 301. hoc tuo] tuo hoc o -
302. quid—culpa] quod regi bf - innocentibus] nocentibus il - 304. non tam]
tamen non e - dieii e - hostium] honestium e - 305—306. iubet—Corradus
om, e - 306. Conradus k - domum] demum e - 307. Conrado k - 309. conspexit
o - 310. regalibus] regibus e - omnes om, o - substractus ebs - 311.
in divinitatis] divinitatis il - ereptus] correptus o - 312. aera] aere il - per-
pendisse e, dependisse il - 314. plano i - 315. iter iniverant] venerant o -
316. praevererentur o - 327. quod] et bfh, quum il - 328. Emericus e -
XXXI-o e, trigesimo primo o - 329. verum—assecuturos om, bf - 330. vespera
o - tecto—ingreditur om, bf - 331. qua] quo bfhyp - 332. interrogabat (sic) e -
334. Rex] Res e - 335. quam—correpturam om, e - 339. Sthephanus e - pre-
optarat] optarat o - 340. coronam e - XXXVII-o e, trigesimo septimo o -
342. metropolitana e - 343. multitud] mutituolo e - 344. rege] novo rege o -
345. Sthephanus e - 346. quonam—regis in ras, e - Sthephani e - Aleman-
nico o - 349. Budam e - Vazalem e - ad—deformatum om, e - 351. Poloni-
am e - 354. Sthephanum e - Geyslae i - sanctissimi o - 355. Conradus k
- Corrado in ras, e, Conrado k - 357. iecerunt o - corpora eorum o - hinc]
hic k - 358. pronephos e - elemosinis e - 359. tumultum e - contenderunt
bfhip - 364. a acclamantibus e - 366. duodecim o - disiluit e, desiliit il - Sthep-
hanique e - 367. septenni e - 369. percrebruit b, percrebuit sfipl, - 370. im-
pense o - 373. deplorante e - subsiliret il - 374. et quantum] quot bf, et
quantus shipl - preter] propter il - preter—invaserit preter—invaserit e
- 378. vetus] verus e - 379. exanclari e - vi] ut e - 380. infundere e - neque
decrevisse om, bf - 381. redire] redigere e - 382. Cathinani il - propositi e -
tumultum e - 384. hoc donum o - donum] domum e - 386. Carpathii o -
Transilvaniam e, Transsylvaniam o - 390. Sthephani e - multisque—donavit om, e -
391. supra millesimum om, e - 393. dexteram il - 394. Quanam] Quam name - ele-
mosinam e - 396. esurire] exurire e - 397. Sthephanum e - 399. Sthephanique e
- Nortmannus o - Ferrabachus e, Ferrobrachus o - 399—400. ne—Etrurie—
Trancredus pater] ne—Etrurie—Trancredus ne—Etrurie—Trancredus pater e
- 399. Heturriae o - 400. undecim o - Gothphredus e, Gothofredus o - Gui-
chardus o - Gothofredus o - 401. motibus] moribus e - Appullie (sic) e -
Saracenis o - 402. exercitus il - 404. Appuliam e - 406. Merensium e - Sa-
raceni omn, - 407. Urseollo e - catipano] caripano e, capitano bs, capitano
fhipl - iam] tam e - 408. Hierosolimam e - 409. apud] apud e - Athesisque omn,
- 410. Guilelmo e, Guilelmo s - Appuliam e - catipano] capitano bs, capi-
taneo hipl - Saracenis o - 411. Conrado k - Normanni] Hormanni e, Nort-
manni k - Appuliam e - Ausidum e - Normanni] Hormanni e, Nortmanni k
- 412. XII-mo e, duodecimo o - Stolcheravensi e, Stockerauensi l - Ebe-
starensi e - 413. Hernestus bis e - Conradum k - Sthephanum e - Conrado
k - Alemannia omn, - 414. Conrado k - adisset hipl - 415. Virbinam ebsfhp,
Wirbenam l - 416. Conradus k - XXX-o VIII-o e, trigesimo nono o - Sthep-
hanum e

LIBER II.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber secundus e, Re-
rum Ungaricarum decadis secundae liber II. (secundus sl) o - 1. sanctissimum
e - Teuthonum u - 2. decoro ebsfhp - 3. Alemannis omn, - Teuthonum u -
4. intemperatissima] imperatissima e, intemperantissima sl - 5. satellibus e
- 6. peculantibus e - Teuthones u - 8. Teuthonica u - ut ne] et ne e - 10.
maluit e, mallent l - 14. Alba e - Albonius bf, Albuinus shipl - 15. creavit e
- 16. Videlitiam e, Vindelicam hip - 17. Ungaria bsfhip - cognomento om, e -
Barbarum apud nos mendum typogr. pro Barbatum - 19. Alba e - 21. Toizlan
e, Toizlan l - Peslucz u, Pezli l - 22. Alba e - Alamannorum ebf,
Alemannorum sil, Alamanorum hp - Conradi k - 23. Alemannis omn, -
XLII-o e, quadagesimo secundo o - 25. subiacer e - 27. Gothofredum u,
Adalbertum l - 31. efflagione (sic) e - 31. a] ab e - Gothofredo o - Lo-
tharingorum o - 34. Iarnensem e, Iauriensem o - Rabcham] Rabezam bsf,

Repezam hip, Rabczam l - Arabonam hip - Alemannos esl, Alamannos bfhyp - 36. Alemanniam *omn.* - Byzantium e, Byzantium o - 41. Chianadini bf, Chanadnii sh, Chanadini ipl - vincula bsfhip, vinculi i - 42. Gerhardus fhipl - Canadiensis] Tanadiensis bfh, Chanadiensis ipl - manticinatus] vaticinatus il - 44. commissari e, conversari o - 45. resarxerat e, resarcierat o - 46. exacturus e - 47. hii e - dissentionis e - sunt bfhyp - 49. remuneracio ne e - 51. Legatis] Largis e - Babuthi o - Rabtham e, Rabezam u, Rabczam l - 52. Rabthe e, Rabezae u, Rabczae l - 59. Iteara e - miserrimum e, iterum o - 61. Alemanni *omn.* - 67. vires] vices e - 69. Theutonibus e, Theuthonibus bsfhp - 70. itere e - 73. his] is e - 75. Ratisponam e - Alemannorum *omn.* 76. Conradi k - haudquaquam] haud quoque e - 77. Bolislao e - Caccoviam e, Gracoviam s, Cracoviam l - 80. li] Hi o - 80. Bolislai e - 81. Cochares e - 82. Ovoras bf, 84. carpere e - 85. Odelricus u, Othelricus l - 86. admissus bf - Dieviczo o - exin] exin e b, exinde bship - 88. Othelricus l - 90. alloquium] eloquium o - quibus is o - 91. Bizetizlaus e, Byzetissaus s, Vinceslaus bf, Bretislaus l - 92. Ratispone e - 94. Odalaricus e, Othelricus l - qui a] quam a o - 95. Craccovie e, Gracoviae s, Cracoviae l - Odalaricus e, Oldaricus i, Othelricus l - dicionem] diditionem i, deditionem l - 96. Spithgneus e, Spitigenus i - Vratislaus o - Conradus k - 97. Gracoviam s, Cracoviam l - Gnesenium *omn.* - regionibus i - 97. CCC-tis e, trecentorum o - Odalarico e, Odolrico s, Othelrico l - 98. XX-ti e, viginti o - postulati *apud nos mendum typogr. pro* pustulati - quinquaginta] quingenta e - 102. Odalticum e, Othelricum l - Bizetizlaus e, Bretislaus l - 103. Odaltrico e, Othelrico l - date] dare e - Sclesia ebf - triginta o - 104. Bizetizlaus e, Bretizlaus l - 105. primogenitum o - 108. tractati] tracti e - 109. hii e - 111. utriusque i - 112. Meseo e - Bella e - principe] principatu o - subibo] subito e - 113. Pomaranus e - 115. Pomarani e - 116. Pomoranorum e - 118. appulisset e - 119. testabatur] restabatur e - 120. Rusciam] Roxiam e - 121. Theutonas e, Teuthonas u, Teutonas l - preficere] perficere e - 122. Quonam] Quoniam i - 123. Buhna] Buna *omn.* - qua] quas e - hiis e - 124. delinita e - 126. ii] hi o - coniurationem] communitationem e - 128. in Ungariam e - ita sevitur] ita saeviter bfhi - 129. Cianadini bf, Cinadini hip, Chanadini l - 131. dirimere bf 132. Teuthones u - 134. cacademonibus e - tres u, tres l - 136. Rasdin] Varosolo bsfhp, Varosolo i, Rasdi l - 139. Teuthonici u - postulari e - hiis e - 140. tres o - 141. antiquas o - Teuthonem u - 142. dixerit] direxit e - 147. Beztertus *omn.* - Benctha e - prodiunt e - 148. Sabyne e - 150. superiori o - Bencthe e - 152. Pesthum o - 154. Vata ebsfhp - 157. transverberat e - 158. Chanadini *omn.* - 160. Budensij Beelensi e - Chanadiensem *omn.* - 161. Pesco e, Pestho o - 164. Eo] Ego e - 165. Alemannorum *omn.* - 167. invithus e - 170. quinque Ecclesiensi e, Quinquecclesiensi u - 171. effecta e - 173. Decembris shipl - 174. Hernestus e - 177. Saraceni o - Scunum ebf, Secundum ship, Senum l - Nortmannorum k - Appulo e - Hunfretus e - Gothofredus o - 178. Guaimmarus u - 179. Hormanni e, Nortmanni o - 183. mole sua] more suo ebf - 184. Appulia e - 185. Saracenus k - Guischaridi o - 186. Saracenus k - 187. ibi] ubi e - fuissent u - 190. Sthephano e - 192. magnis] magis i - 195. divum] divina o - 196. exuere] exure e - 198. Rutenam e - 202. Spithigneus e - Bratezlaio u, Uratislao l - Conrado k - adhuç] ad hec e - 203. Olomuzensi e, Olumucensi u - 204. regiam e - Conradum k - vero] non e - constringeretur o - 205. Pannonia e - 207. Ac] Haud e - secius] deplorare secius k - conscolacionem e - 209. delinito *omn.* - latissimis hipl - 210. Ad leithe e - elegantij deleganti e - 211. revocent] evocent o - 212. seque] atque o - 216. Wenceslai hipl - 217. ut Ungarorum] Ungarorum k - ut tribus] tribus e - tres bsfhi, tres pl - 218. Alemannorum *omn.* - 220. Belam exorans] Bela exhortatus o - 221. regi neque] reline que e - 224. Postridie, quam venerat] postridieque venerat e - tres bsfhi, tres pl - 225. dissidia o - 229. Lambertus il - 231. Alamania e, Alemannia o - 234. turrim e - 235. Teuthonum u - 236. obcluderetur e - 238. renandij tenandi 239. Hee e - nautis] mutis i - 240. Alemannorum *omn.* - 241. hiis e - Alemanniam o - 243. Zelitaeque u, Szelicaeque l - 245. milite u 248. tendingerant] retenderant e - Bellamque e - lauriensi o - 249. Gebarthum e, Gobartum b, Gebhardum l - 251. Ratispone e quando tibi] ibi i, ubi l -

252. temeraria] remeraria e - 254. infestabant eb - 256. ac] ad e - divum] divino o - 259. spectatissimam *corr.* e spectantissimam e - 260. honorificentissime e - imperatore e - 261. Alamannorum e, Alemannorum o - inedia] mediam e - imperatorem e - 263. Alemannus *omn.* - 268. Alemanniam *omn.* - 274. Teuthonicus bsfhi, Theutonicus p - 275. dissencionum e - 276. exaphoro e - 277. hiis e - 278. XII-o e, duodecimo o - insigniti e - 279. more caneretur] morte caveretur e - reputabat se il - 280. vero] non e - 282. ii] hi o - obferri] deferri o - 287. Quid] Qui i - Alemannis o - quam salutaris] que salutaris e - 290. amplexatur e - 296. Hiis e - treis bsfhi, tres pl - 297. quot] quod il - 297-98. noverat—ubi *om.* e - 302. Alemannis *omn.* - 304. Teuthones u - 305. Inclinatisque o - 306. ubii e - parteis bsfhi - 308. Musienses adhibuerint] Mosonienses adinverint l - 309. quam quam e - 310. hi] ii e - 311. Circa—maxime *om.* e - 312. Teophilus i - 313. At] Ac k - 314. Cuno o - 317. Gothphredus e, Gothofredus o - Marildis e - Bonifacio *omn.* - Ethruria e, Hetruria o - 318. Gothphredo e, Gothofredo o - Regio e - Ethrurie e, Hetruriae o - 319. habito ebsfhp - sysmatis e

LIBER III.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber tercius e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber III. (tertius sl) o - 5. argentariorum negotiatorumve] argentariorumve - perscripsit e - 6. sabati e, sabbathi il - expendit e - 8. iique] hi que o - 15. renunciarentur o - 16. propositos e - plebeorum e - 18. quo] quos e - 19. perculant e - propositos e - 21. heliocamyni e, heliocavum u - contunsa e - 23. Zewzardus e, Zegzardus u, Szék-zardus l - calvus] claudus o - 30. Sthephano e - unice] vince i - 32. vobis] nobis hipl - familiarium e - 33. cogitari il - 34. Cesi] Celi e - vestra] nostra k - 36. Alemannos *omn.* - 37. Alemannis o - 39. dimisistis] divisistis e - 42. reiecta *corr.* ex recta e - recederetis e - 43. furor] fuoror e - 47. diu] dudum s, *om.* k - 49. sentientes] scientes hip - 52. Sthephani e - 59. collocari e - 61. Alemanniam *omn.* - 62. Austrialium u - 65. Gothphredum e, Gothofredum o - 66. Gothphredo e, Gothofredo o - et fugatur *om.* e - 67. sed] et e - simul *om.* e - trecentis o - 68. parentem *om.* il - 70. Richardus o - Nortmannus *omn.* - 72. Gelpho] Velpho e - Bertoldo] Pertoldo e - hii e - 74. Mosoviensem u - 81. Quinqueclesiensi bsfhi - 86. omnium o - 87. tristitia] iustitia i - 88. Conrado k - 89. et] de e - Geboardus u, Gebehardus l - 90. Ludmila e - 91. Sobeslaus] Boleslaus e - 92. Geboardum s, Gebehardum l - 93. Rudolphus *corr.* ex Rudolphuse - Geboardoque s, Gebehardoque l - 95. restitutus e - 96. Zolmirus s - se] de e - 97. Zalomiro u - 100. habuerint o - 103. Geysem tresdecim e - 104. Trenchenesem e - 105. Hiis e - 106. Bathor u, Báthor l - Opos o - 109. pateretur] pareretur *corr.* ex pararetur e - 110. Hii e - superioriori o - Nyr o - 113. Fantisca o - quare—occurrendum *om.* e - 114. Veneri] Veneti e - 117. Cyrihylem] Cherhelem u, Erdeihely l - dominus] dumus e, domus o - 120. e] et e - ad dunt] abdunt e - 123. prudentissimum e - 124. imprimis se o - pugnante e - 126. hi] ii e - districtis o - 129. impetrata i - 130. eamque bf - 130-31. quam-securi *om.* bf - 141. isdemque e - preda e - 146. nautas] mutuas i - 150. Baciensibus e - 151. succurrit e - Semproniensium o - 152. hii e - 155. perducavit e - 156. ac eas] eas il - 159. non possent e - 161. prediti] perdit e - iaculis k - 162. regius] regnis e - 163. Hunc] Hinc e - 165. cogere] e - 166. mox *om.* il - 167. satis] sacris e - 169. versi] reversi k - 172. se provolvit genua amplexatus] *om.* b, genua amplexatus *om.* a - 173. qui] quem o - 174. ira] ita e - 175. predia] prelia e - 178. Rodani e, Rhadoani hipl - Bugaris] Busaris o - Franci e - 179. ab] sub e - dissencio e - Conrado k - 182. Conradus k - dyarcha e - admonuerat] admoberat i - 183. in auxilium o - 184. Ratisponensi e - 185. lusurum] iusurum e - 186. statutum] statum e - 187. conserta] inserta hipl - 188. Bradislaus ebsfhp, Vratisslaus l - Conradum k - Ratisponensium es - redegerent il - 190. Rudolphus e - 191. abscissa o - dextera bsfhi - 193. Appulie e - 195. intempestivumque] tempestivumque e - 196. Moguntiae hipl - Egilberio i, Engilberto l - 197. Zuathana i, Suathana l - Hiis e - 200. Guischardi u - Appulia e - obsidebat il - 203. Hoestensem es, Hochstetensem l - supra millesimum *om.* e - 205. dimissi] divisi e - 207. Viddi e, Viti s - 210. iisdemque] hiisdemque e - 216. caeteris k - 219. premonet] permonet e - 222. epi-

scopus e - 225. Viddum e - 227. Rapczhan bf, Rachan s, Racham hipl - 228. Viduum e - 229. Vatam hipl - Georgii] Gregorii e - 230. Marcarthus ek, Marcarthus s - Alemannorum eshipl - Viddus e - 232. Alemannorum es, Alamannorum k - 233. Viddus e - eum] cum e - consuluitque e - Ruteniam *omn.* - Lambertus o - 234. Inguanensij] Suanensi e, Givanensi o - Lambertum o - rapturos] arrepturos o - ne] nec s - ne—adversaturos *om.* e - abduxerint o - Viddo e - 235. consilio] consiliario il - matutinam il - 237. Zounuchus, n *in corr.* e, Zunuchus o - Bichas *omn.* - conatur i - securum *corr.* e—secutum e - 238. Inguam] Givam o - suscitare e - 239. caderet] caperet i - Rutenia eu - Conradi k - 241. Viddus e - Viddi e - 242. offenderet e - capiant *corr.* e rapiant e - 243. Viddi e - 244. Chemeiensi *omn.* - 245. turmatumque e - 247. quem Ticiam appellant *om.* l - Titiam bhip - 249. detractere (*sic*) e - 252. Juvancam i, Jwankam l - litterarum e - Lambertum o - 253. commissos e - 254. fortitudinis] formidinis e - 255. Kemeyensij] Cemeyensi bsfhp, Gemeyensi i, Gömöriensi l - Vecillini *omn.* - 256. Cotoydumque] Toroydumque *omn.* - 258. Viddus e - 262. collachrymantem e - Erneuj] Erneum e - 264. Vidde e - 265. concilium il - 266. Isdem e - 267. Viddi e - Pesthumque o - cancrorum *corr.* ex sanctorum e - 268. Vacia] varia e - XX-ti e, viginti o - 270. benignitas divina o - 271. fudemus e - 272. augurem] aureum il - 273. suspicio e - 274. Zynthkotam o, Szent-Gróth l - 275. Momorodus e, Moniorodus u - superarunt] superant il - 277. Viddus e - 279. Vero] vero et i - 280. Viddum e - 281. Vide] Vidde e - 283. Viddus e - 284. girum e - 285. liberate e - 289. ducem] dudum e - 290. dicto] edicto il - 292. Viddum e - 293. Viddum e - 296. prospectis] profectis e - 300. collocato] collato e - 302. Alemannorum ek, Alamannorum s - inulta] multa e - 303. Zygethfiensem bhip, Zyge hensem s, Szygethensem l - 304. Moskoniensem e, Mosoviensem u - 305. insequitur e - 306. Alemannis es, Alamannis k - desideriorum e - 313. arbitraretur o - 316. hiis e - 317. contraxisset] protraxisset o - 318. meis] eis e - 319. qui omnia] quia omnia e - tuo sanguine o - preces supplicantium o - 321. Marchartum e - Teuthonum u - 322. ex *om.* o - desiliit o - 323. Erneum e - 324. Erneum e - 328. Paulo] Pauco e - Viddi e - 329. Vide] Viddi (*sic*) e - 333. Vidde (*sic*) e - 334. fratri e - 335. Moskoniensem e, Mosoviensem u - 336. te miseriam] remiserias e - Viddi e - 337. ac] a e - 339. licebit u - hiis e - 341. Geysiam e - 342. Viddum e - 343. esse] fuisset o - 344. incussato e - semper] saepe o - 345. Mosoviensi u - reparare *corr.* e reparate e - sperare sperabat e - 346. Alemannis *omn.* - 347. li] Hi o

LIBER IV.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber quartus e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber IIII. (quartus sl, IV. ip) o - 4. Succedebat e - ii] hi o - 6. circum siderant (*sic*) e - 10. dei] die o - ediculum] eicu iam e - 11. Pesthona o - Symigiensi u, Symegiensi l - 12. animum advertere o - 13. Salomonis metus] Salomon vicus k, Salomonis victus s - Mosoviensi u - 14. Bessen] Desseni s - benefici i - 18. Bradislai e - et—Ladislai *om.* bf - Conradi hipl - hiis e - 19. iniiit o - 20. instructio e - 21. mos *corr.* e mors e - subierre] secum ferre o - 22. Guilelmum e, Guilelmum hip - Potum *omn.* - 23. se—abstineret] a—abstineat bf - 25. consortum eb - 27. cathephraetus (*sic*) e - 28. Fertheu u, Fertö l - 30. modo non] modo bhip - 32. Teuthonum u - 35. ante maiora *del.* magis e - 36. Ruteno eu - Momaliumque e - 37. Moskoviensem e, Mosoviensem u - auxiliium] autium e - 41. est] esset shipl - 42. potest] posset shipl - 43. genti e - 44. Germanam k - 45. Hns e - 46. Vaghum u - 47. date *corr.* e dare e - ut et e - Sempte] septem e, Semthe u, Schempte l - 48. Hi] li e - 49. Opos Bathor o - 50. Alemanni esp, Alamanni bphil - 55. Alemannorum esp, Alamannorum bphil - 56. item] item ut shipl - 57. Aquiliensis e - dicta] edicta e - 59. hinc] hic e - 61. abominari *corr.* ex abominati e - 66. ibi *corr.* e sibi e - 69. subiecto e - 70. a *om.* i - 75. cadentibus i - 76. ab ingenti] aburgente e - 77. Zugzard (Saxardia)] Zugzard Saxardia e, Saxardia u, Szexard l - 78. Desyderius e - 79. Hac, H *in corr.* e - regnum *om.* i - 80. hac—redditurum *om.* bf - primario] mario hp, *om.* il - 83. de *corr.* ex ad e - 84. reconciliatio ne (*sic*) e - VII.] septimo s - excedere] excidere e - 85. delatus e - 87. Ha-

drienses e - 88. umposterum e - maneret hil - 89. Dominici] Domini hipl - 91. nihil] nil o - probitate *om.* i - 92. castitatis] castris ratis e - 99. ad hoc] ad hip, *om.* l - 105. modestia *corr.* e molestia e - 107. fastigium] fastidium e - divinum] divum e - 109. Croacia ebsfhi - 110. Zelomirus eu, Zemolirus l - 113. liberorum orbitate] orbitate l, *om.* i - Croaciam ebsfhi - 117. pietates - 121. pientissimum fortissimumque] pientissimumque i - 125. Ladislaum litteris] Ladislai literis bfhil, literis Ladislai l - Mosoviensi u - recipit k - 126. sentiet o - 129. Sthephani e - 130. Vissegradum o - item] in quem bf - in] est bsf, est in hipl - 132. iracundiam—isto] iram o - 133. si—iniellexisset *om.* bf - 134. Sthephanus e - 135. lictisternia e - 137. sanctitas e - 138. Ladislao e - 139. erute] edite e - 141. XVIII-o e, decimonono o - 148. Nortmannorum k - Appuliam e - et Affris ep, et Aphris bsfhi - Aphris sibi bsfhi, Affris sibi p - Regerio e - 149. Nortmannis k - sug(g)illatus o - 150. Henricus] Robertus bf - hiis e 152. dissimulta e - 153. Diversas trahebatur hp, Diversas trahebatur in partes il - 154. destineri ehil, destineri bsfl - 155. prophanas (*sic*) i - 156. Cuthescum u, Chutescum l - 158. Ung] Ong u, Ungh l - 161. Cuthescus u, Chutescus l - 162. apud] apud nos e - supplicationes] suspicationes e - 164. ad] ab e - 167. Macedoniam i - 169. nivis] nimis e - 172. hii e - 174. recondidit o - 177. quancunque] quancunque i - 178. mos] mox e - et pomis] ac pomis o - ieiunio *om.* e - versati e - 180. in domita e - 183. Agnondensi e, Admontensi l - Stiria o - 186. Transilvaniam e - ignique] inique i - 187. insistum e - 188. Carpathio o - 189. cui—nomen *om.* l - Unsoer o - 190. Chocaydum, a *in corr.* e, Thocaydum u, Tokayum l - ii] hi o - treis bsfhi - 191. aquanve] aquamine e - 192. Ex] Et e - ante hipl - 193. hiis e - adesse] abesse i - 195. Themesium u, Temesum l - cohibet] adhibet e - 197. En] Heu o - 198. pendentes] prudens e - coageant k - 202. concitato - fertur *om.* bf - 206. voces o - 207. percusil] periculum e - 208. fudunt e - 209. inter] in o - 216. lathrymosa e - 217. rei *om.* e - 218. Copulci e - 220. Amaxobios e - Rutenos eu - 221. captivos o - 222. ii *in corr.* e, hi o - 225. huius scemodi e - bello il - 227. sabato e, sabbatho i, Sabbathi l - succurrit] occurrit o - 229. nutrarit e - 230. speciat—consternati *om.* e - 233. Chumorum e - vigente] urgente e - 234. Carpathiis k - hiis e - 235. Chumorum e - diwo e - liberatum e - 236. Chumorum e - Chunorum igitur o - Rutenos eu - Roxalanos b - 237. enim] autem o - Rutenos eu - 238. meliori o - fretri e - esse *om.* o - 240. Rutenis eu - Chumi e - 241. Chumos e - Rutenos eu - 243. Gracoviam *corr.* e Cracoviam e, Cracoviam s - valuerit] voluerit o - 244. Scythicam Samariamque e - 251. Hungariam e - 252. Bithoriensi i, Bihariensi l - Chrysum o - oppido] populo k - munirel] mumtet e - 255. Hyerosolymitane e - eius] eis i - 256. Saracenorum *omn.* - 257. et mira] ac mira o - Saracenis o - 258. ubi] ubique bsfhi - 261. Gothofredum o - Eustrachium e - Bolioniorum e, Bullionorum l - Raimundum e - Hugonem o - Philippi e - Carnothi e - 262. CCC-ta e, trecenta o - 264. Pascalia e - Britania e - 265. Guillelmum e - Saracenorum o - 266. imprimis *om.* k - 268. Hyerosolymitanam e - 269. Conradum k - Hyerosolymitane e - 270. nephos e - 271. Conradus k - 272. Conradus k - 281. undecimo *omn.* - 282. Visprimiensem bhil, Visprimiensem s - Gesla o - regis] sanctissimorum Pannoni(a)e regum *omn.* - 283. Sthephani e - Emmanuelem o - 287. treis bsfhi, tres pl - deplorant i - 289. diei e - 290. per] pre e - affert] offert e, effert u, defert l - adhiberetur] assequeretur o - 295. patinam a] parinam a e - oppignorari o - non loco] in loco k - pignoris o - 296. Itaque—nascitur *om.* k - 298. symptomia il - 300. athanasie] anatheoseos u, apotheoseos l

LIBER V.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber quintus e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber V. (quintus sl) o - 2. nate natura il - Cunnes e, Kuenes u, Könyves l - 8. Hyerosolymitane e - 9. sanctissimum fortissimumque] sanctissimumque e, sanctissimumque fortissimumque s - 11. hisque o - 12. more] morte il - 14. auspici] arbitrati o - 16. alii per—Thraciamque *om.* e - 17. Hungaros e - Traces e - 18. Hugo o - 19. Guischaridi il - ii] his o - 20. vis] ius e - quanti e - 21. treis bsfhi - 24. proterunt] poterunt e - 27. rege *om.* o - 28. Temesum e - 29. li] Hi o - 31. resarcianda

e - 33. Thraicium e - 35. Bythinia e - 36. unito] unico e - Bythinie e - 37. eam] ipsam o - inveh] michi e - 39. praecesserant bhip - Thurcorum e - Saracenorum o - 40. eduxerunt hip - 42. Solymannus sil - 43. ad] at e - 46. iis] his o - 47. Palmuro e - 48. Tauro] tanto e - Anthiochiam e - Cilico o - 49. Babilonici e - 50. Guilelmum e - Tancredi u, Tancredi et l - ac] a e - 53. Anthiochiam e - 54. Pyrthi e - 55. Armenis *omn.* - 56. Anthiochia e - 57. Nortmanno k - dedit *corr.* e dedit e - 59. Albaria e - 61. expugnatur e - 62. Bram] Brani o - 64. Hyerosolimitanam (*sic*) e - Nortmannus bhip - Gothofredus o - Syon e - 65. tabulata] stabulata e - 67. Ptolomeo e - 68. Gothofredus o - Hyerosolimitanus e - 69. Ascalona] Arдона e, Asdova o - Gothofredi o - milia hominum o - 70. suspicio intercessit] intercessit discordia b, intercessit suspicio fhipl - 73. Varkhon u, Várkony l - 75. ea] eam hipl - preditum e - 76. neque in—auscultaturos *om.* e - 78. mitruntur e - 80. Rutenos u - 81. Rutenos u - 82. procedit il - Rutenis u - 83. rex] arx e - iacestari e - 85. Rutenorum u - 86. Ruteni u - 88. Ruteni u - 89. exercitum e - 90. Euczen o - manu *om.* e - Cupam o - Laurentinus *corr.* e Laurentinum e - 91. Monocus es - Matheus e - 92. Matheique e - expediti] epediti e - 93. Monocum s - fessum] falsum e - 94. tabisco e - 95. ea strage o - 96. calcrorum e - ut] ve e - 97. quo genere *om.* e - 98. Nortmanni k - 100. haud] aut e - Pannonie e - 101. hii e - 102. Appuliam e - locupletatum s, locupletissimum fhipl - 103. Syriaca] Scythica o - Nortmannis bhip - Patavinis] Palatinis e - progenitoribus] propugnatoribus o - 104. iij] hi o - lubentissime o - 111. Petergazdian o - montem] nomen e - 112. qui—addixerat *om.* e - Nortmannorum k - 113. Nortmannorum k - Appulia e - 114. Appuliam e - tribus—vastasse *om.* b - 115. communiisse o - 124. Faledrus e - 126. perbreui] prebui e - 128. ita] ira e - 132. Orphalus e - 133. iij] hi o - 134. Siccum e - 136. Croaciam ebsfhi - Croaci(a)e ebsfhi - occupatum] occupatus e - 137. Croaciam ebsfhi - 138. armari e - 140. substinere i - Croacia ebsfhi - 142. Croatiam] Thraciam k, Traciam s - 144. transolvat i - 147. munit *om.* i - 149. videtur e - certati e - 150. non] non essent o - 152. Ichthyophagorum e - Adriatici shipl - 157. Hi] li e - 161. cathephractis (*sic*) e - gravius e - 169. XXX-ta e, triginta o - 170. repiunt e - 173. Croacis ebsfhi - 174. velut o - 178. immortabile e - 180. omnium o - 181. Faledrus e - Martinus] Marimieus o - Mauzoreus o - 184. potestate il - 186. vincisse' e - 187. amplificari i - 188. fuisse *om.* e - Venetis] Veneris e - 190. Atilia e - indigenamque] ingiganque il - 191. Croaciam ebsfhi - infestatis e - 192. iis] his o - 193. incitati e - in'elleximus] intelligimus o - 198. quot] quod il - 200. Gothphredo e, Gothofredo o - 201. Carras *omn.* - 202. Hierosolymis] Hieronymis i - superfuere] sepulture e - 204. opimius] optatius o - Nortmannos k - Appulia e - nunc] tunc il - Hyerosolye e - omneis ebsfhi - 206. illa] ita o - Hyerosolymitana e - contraxi e - pacem nobis o - 208. orationem bs - 212. vires] viri i - 213. Quando] Quandum e - 214. Siriam e - lopem e, loppem bs - clasis] classem i, *om.* l - lopensesque e - Saracenorum o - 215. Iope e - Hyerosolyam e - Varinundo e - 217. Hyerosolymitani e - Anthiochenique e - primam—forum] privam aream privum vicum forum e - primum forum] primumque forum o - 218. Varinundus e - 219. Peloponeso e fhipl, Peloponesso b, Peloponesso s - Mothonem u, Morgonem l - Sparlarrum i - 220. affirmanti i - 222. Hyerosolyam e - 223. diversarum e - 227. vibicibus] vicibus hipl - 228. se] saepe u - 229. Rutenos u - 235. libenter o - 236. Hyerosolyam e - perfectum i - 237. venatione] veneracione e - libertate i - 238. haud] aut e - 239. quod] quid e - Margarethae s - transigeretur] transfugeretur e - 240. insdias e - ducitur] dicitur o - 241. statum eb - 244. crederet] cederet i - 245. Bachoviensi u, Bakoniensi l - 246. unquam] nunquam e - 247. Chour is] Chouris il - 249. hec *posterius inscr.* e - ratione] oratione o - 250. Ante] Antem e - Bachoviensem l, Bakoniensem l - Alemannorum es, Alamannorum k - 252. Paulo] Pauco e - Rutenorum u - 257. eorumque] eorum quoque k - 258. Aemyliano k - 259. renitentem] retinentem il - 261. decerneret o - 264. dissimulari u - iis] is e, his o - 267. coram] coronam e - 272. tamen *om.* e - 276. Veram e - 282. tibi, tibi u - 285. Simeonis hipl - Aciles e - 290. Margaita e - 296. Pilissiam o - 297. mandatum] tantum s - 299.

nij] in e - 300. XXV-o e, vicesimo quinto o - vero *om.* e - 302. Wratislaus e, Uradislaus u, Uratislaus l - filius—frater] et Corradi (Conradi k) filius *omn.* - Poloma e - Silesia hipl - Lusacia eu - 303. Trevirorum il - metropolitana e - 304. Conradus k - sex] ex e - correptus] conceptus i - 305. Ursovicensibus o - CCC-tos e, trecentos o - 306. Wratislaum e, Uratislaum o - Corradum *corr.* e Conradum e, Conradum k - Bratislaj] Wratislai e, Uratislai o - 307. a Bratislao] a Wratislao e, ab Uratislao o - Friderico o

LIBER VI.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber sextus e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber VI. (sextus sl) o - 1. Sthephanus e - 4. sibi] ibi e - 5. audire] obedire o - 6. occii e - 8. Mutantes e - 10. hii e - ladram] Hyadram e - Ungariscam e - 13. Bratislaj] Wratislai e, Vratislai o - 16. relegatur e - 19. te] re e - 20. Bratislaj] Wratislai e, Vratislai o haberet o - 22. Soltha] Goltha e - permittat e - aliquas *corr.* e reliquas e - 23. educi cohortes o - Solthe] Gothe e - Scvtulorum o - 24. quoque] quocunque e - 25. Id] Ad e - 30. bene *om.* k - 32. intemperantissime o - 33. dubitandum o - 35. Viscardi e - Appulia e - Nortmannorum o - 36. Rutenos u - 42. Dunne - hic o - 43. Bezen—contendit *om.* b - 46. Ruteni u - 47. dimicetur *corr.* e dimicentur e - 48. solito i - 49. Paznami eu - 50. Stephanie e - potitus] potius hipl - 54. treis bsfhi, tres pl - Samariae i - 56. Traciam e - 57. iram e - 58. amite e - 59. Nortmannis o - 60. catephractis (*sic*) e - Appulie e - 61. hiis e - anicularum] aniculatum e - 67. Classis magna—incesave—dimicabant classis magna—incesave—dimicabant e - cathella e - 70. Carasum u, Karasum l - Boroh u - 71. periclitante e - 73. Si *om.* o - dextero il, dextro (dextero hp) cornu ebsfhp - ultro] utroque e - nutante] mutante e - 74. evocant *corr.* e revocant e - 75. inclinare o - 78. Ratam e - 80. est—sevitum] est—sevitum est e, saevitum il - 81. quod *om.* e - arbitratis o - 82. nerpetuo *om.* il - 84. adussil] adduxit e - cereorum] ceterorum e - distillatione hipl - delecta] ducta o - 85. mali fere o - 97. gnatum i - 99. cuius] cui k - regiam] reginam e - Macedoniam e - 101. Talna e, Tulna u - viveret *corr.* e vinceret; ceret *in ras.* e - repperisse] repetisse e - 102. Saulem] salutem - 104. extremum postulati *om.* b - 108. intempestiva] intestina e - 111. Thathar u - 113. ij] hi o - 114. Thathar u - adiit o - 116. de obsculantes (*sic*) e - 118. exequii] equiis e - 119. Honorio] Henrico bfhpl - Lotarii e - 120. Bohemundus e - Anthiochie e - Constan. e - 121. Anthiochie e - 124. hiis e - Saracenos o - Voliterrana e - 125. Saracenos o - 126. porphirici e, porphyrici b, porphyretici s - 128. Pisam] Pissiam e - 129. Gwardastallum (*sic*) e - Aemyliae o - Rhegium o - 130. obit o - 131. Hyerosolimis e - Gaium] Gayum e - 134. Hyerosolymam e - 135. pater cum pecoribus o - 136. Fraiepanum] Eraiephanum e, Frangepanum o - 137. Tyberi o - Theutonumque bsfhip, Theutonumque i - petitum] peritum - - Gaiefam e - 138. Maricium e, Mauritium hipl - Bacharenssem u, Bracarenssem l - constitutum e - Frangepanum o - frerum e - 139. Guilelmi e - Appulie e - Richardi o - Praxedis] Bracedis e - Frangepanibus o - 140. Hostiensi *om.* - 141. Paulo] Paucio e - Nortmannis k - Appulia e - Epyro e - 142. devagati i, evagati l - 146. aure *om.* k - 148. alter i - 149. quare—est dominus || quare—est dominus (*primum prima in pag. 400., secundum secunda manus in pag. 401. scripsit*) e - multitudo e - 155. alitus o - 165. frustra e - 166. iis] his e - marcerentur e, macerentur b - 169. Rutenorum eu - 171. Boricus e - Rutenorum bis eu - contrahit e - 172. Seum bfhpl, Sajo l - 174. ij] hi o - 175. omneis bfhi, omnes pl - Colomannii e - 176. sentiebat e - 177. Rutenam eu - 178. Rutenos eu - 179. parteis bfhi - 180. Boricumque e - 183. deferuntur] deseruntur es - 184. diffracto] distracto e - 185. Maylatus u, Moylotus l - trucidari e - 186. desiturum] defuturum e - 187. Thyodor o - editus] edictus e - Sanson e - 189. Sanson e - 191. tu vilissime o - Borochi e - Eij] Ex esil - paterno] parente *corr.* in parente e - 192. latro *om.* es - Pro *om.* b, Proh fhpl - 193. Hiis e - Semigiensis e, Symekiensis u, Siimegiensis l - propositus e - Sansonem e - 194. Sansonem e - 196. Thyodor o - aeneaj] ceca e - 197. Boricus e - cum *om.* e - appropinquabat *apud nos mendum typogr. pro appropinquarat* - 198. vobis nobiscum *corr.* e nobis vobiscum e - Ruteni u - 199. Ruteno u - 201. intelligeretis *corr.* ex intelligeritis e - 204.

eligimus e - 205. ad—ita] ac—eo ò - 207. Rutena u - 211. omnes o - 212. Rutenorumque u - 213. suasos] persuasos o - 216. Ruteni u - 219. Ruteni u - 221. ereo] go e - hausere] auxere e - 222. multitudine e - 223. Thydorem o - Gracchoviensis e - 228. imposuerent] insuerunt e - 234. simulcantis (*sic*) e - 235. conspectus e - 236. sacrae religioni o - 237. hydropisim o - 239. Transtyberina *omn.* - 240. Guilelmo e - 241. ex argento; ex *corr.* ex et e - ex omnibus] et omnibus u - 244. Lothoringiam e, Lotharingiam o - 246. repetit k - 249. Appulie e - 250. Andegaviensium u - 252. Babillonis e - Edissam ebsfhp - Gothofredo o - 256. primogenitus il - ephebis nondum o - 260. Alemannorum esp, Alamannorum bhfil - fluctua atissima e, fluctuantissimam o - 264. Conradi k - 265. Conradus k - Alamannorum bhfil, Alemannorum sp - 267. Rapoltum o - Alemannum esp, Alamannum bhfil - 268. Rapoltum *omn.* (Rapothum *apud nos mendum typogr. pro* Rapoltum) - comitatibus il - 269. nrudiit o - 271. Alamannis bhfil, Alemannis sp - hiis e - 272. Ungaria k - 273. Alemannorum esp, Alamannorum bhfil - 274. quidam e - hiis e - 278. decore e - 280. implorant e - 281. suscitasset e - 282. cogerentur o - 283. tirone] litone e - 284. Guncel] Henczel u, Gunczel l - 288. Huc e - 291. dextra *corr.* e dextera e, dextera o - 292. Gigantium e - 293. Alemanni esp, Alemanni bhfil - 294. Alemanni eship Alemanni bfl - 295. preire] perire e - 298. ac *om.* il - subsidiabat l - desiderat e - vi] in e - 300. ubique] utrobique o - 302. Alemanni esp, Alemanni bhfil - 303. wlneratus (*sic*) e - 304. Alemannis esp, Alemannis bhfil - Rapoltus o - Alamannus bhfil, Alemannus sp - 305. in *om.* e - 311. copluribus e - edita] edicta e - 312. hiis e - Conradi k - 313. Lutio e - hortaturus esfhpl - Saraceno o - 314. Conradus k - 315. Aphricam u - Lybicumque e - 316. Conradus k - 318. cenobiis et] cenobiis il - xenodochis e - 319. pietissimum b - tolerant i - 320. Conradus k - Hemanuelis e. Emmanuelis bsfp - 321. Hemanuele e, Emmanuele o - 322. Cum] Quam i - 323. Conradus k - 324. Hierosolymarum es, Hierosolymitanorum k - Ascaloniam o - Garam e - 326. Hierichontinos o - 326. Hierosolimitanum e - Conrado k - 327. Hierosolymitanam *corr.* ex Hierosolimitanam e - Conradum k - 328. Roma] Romana il - 329. Rhetos e, Rhoetos bhfp, Rhaetos sl - Hemanuelelem e, Emmanuelelem bsfhp - 330. receptus est] acceptus est bsf, acceptus hipl - Conradum k - 334 Hemanuelelem e. Emmanuelelem bsfhp - Conradus k - 336. Hemanueli e, Emmanueli bsfhp - Corynthus e - LX-ta e, quadraginta (*sic*) o - 337. Symeonis i - Saracena o - intervalasse e - 338. reliquisset *corr.* e reliquisset e - Hemanuele e, Emmanuele o - 340. Conradus k - 345. Conradus k - 347. Conrado k - 352. insinuat e - subiret] sub iter e - 356. Rutenum eu - 361. et humano] aut humano o - 369. Rutenorum bellum u - Minosloi e - Rutenorum principis eu - Rutenorum factionibus eu - 370. Minosloum e - 371. Rutenis eu - 375. Rutenis eu - Minoslous e - 377. Guilelmus e - Caperanum e - Babuchum] Baculum e, Babucum bs - 379. Tordonam e, Tordonum u. Tortonam l - 382. Teuthones u - 383. Noronianis il - 384. Tyberi *omn.* - 385. exornatus i - Guilelmo e - 386. Emmanuelis bsfp - Anconem e - Hemanuelelem e, Emmanuelelem bsfp - Appulie e - Guilelmi e - 387. Guilelmo e - 388. Guilelmus e - Appuliam e - Appulorumque e - Appulos e - 389. Guilelmum e - 390. Adrianum] Agrianum ebsf, Anagniae l - 394. Allexander e - Avanium u - 396. testarentur e - 399. Eypciis e - 400. Egipci e - 402. Carras *omn.* - Carim] Carrini e - 403. Tordona u, Tortena l - tribus] tribubus o - 405. Enobardus e - Divionem] Dunonem e - Frauo e - 408. Burgomenses e - eamdem e - 410. Alfonso e - Sanctius] Sanctus e - 411. Alfonso e - surrogatus e - 414. cetera] certa e - patim calamitosia e - 415. XX-ti e, viginti o - 417. relatum] elatum *omn.* - 424. prestantiores] posteriores il - 425. Hemanuele e, Emmanuele bsfh - 426. Hemanuelelem e, Emmanuelelem bsfhi - Enobarbum e - 427. Roma] Romana il - Hemanuel e, Emmanuel bsfhi - 428. auxilia pia] aulia pia e - Hemanuel e, Emmanuel bsfhi - habuerant i - 431. ludificarent i - 432. Hemoniam o - 435. ii] hi o - 439. XXX-ta e, triginta o - 440. Hemanuelis e, Emmanuelis bsf - asseruerat es - 442. triremim] triremium k - 443. milite] milicie e - compleerat ebsf - 444. Hemanuelelem e, Emmanuelelem bsf - 445. centenum] centum il - 448. ceteri] certi e - percusi o - Hemanuelelem e, Emmunuelelem bsf - 450. quondam] codam e -

451. Hemanuelem e, Emmanuelem bsf - ictiophagos e - imperium o - capitandis e - ab—Romani *om.* e - principio *om.* o - talis imperii *om.* b - 452. lis] His s - Hemanuel e, Emmanuel bsf - 456. negociarie e - 458. ubi *om.* il - 461. Hemanuelem e, Emmanuelem bsf - 462. Enobarbus e - 463. Cremonensem o - Hetruscis o - Hetruriam o - 464. Anconem ebsfhp - Hemanueli e, Emmanueli bsf - 467. Hemanuel e, Emmanuel bsf - redintegram] dam e - Enobarbo e - 470. circumductus e - maiori o - 471. Enobarbi e - veritis e - Frangepanum o - dive] divinae il - Palatio] Palladio e - 472. Guilelmo e - Nortmanno k - Guilelmi e - treis u, tres pl - Frangepanes o - 475. Tordonam bsfhp, Tordanam i. Tortonam l - 476. Tordonenses u, Tortonenses l - 477. centum e - 478. Hemanuelem e, Emmanuelem u - Dalmatia e - 479. potitus] potius i - 481. indecorem ; e *littera paenultima in corr.* e, indecorum o - 484. centum o - et Albam e - 485. Frebuaris e - 487. hiis e - 489. Pannonia i - 492. apochryсарium e - 493. Hemanuelem e, Emmanuelem u - Enobarbus e - 495. Hemanueli e, Emmanueli u - 496. lisdem] Hisdem e

LIBER VII.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber septimus e, Rem Ungaricarum decadis secundae liber VII. (septimus l) o - 1. esidente (*litterae initiali loco vacuo relicto*) e - 4. in maximis] maximis il - deseretur e - 5. Itaque] Et itaque e - 7. hinc tanta o - 8. primas e - 13. Guilelmo e - 14. exosculatus e - 15. Hemanuelis e. Emmanuelis bsfhi - Dandalum eu - gentium] genitum e - 16. dimiserat] diviserat e - 18. Graeciae il - 20. peticulum e - 23. Gøthofredum o - 26. aureus] aures e - cogere] ebs ii] hi o - 30. tunc patres] omnes nunc partes omnes u, nunc artes omnes et l - 34. apparatu *om.* e - 35. et] ut o - 36. Bala e - 37. tota] tata e - Saracorum o - 40. Belli] Beli e - ii] hi o - 41. Phillippus e - Ricardus *corr. in Ricardus* e, Richardus o - Britannorum e - 42. Ptolomaida e - obsidere il - occupata e - 43. Enobarbum e, Aenobarbum i - Thraicio e, Thracio o - Bosphoro bil - Corradum *corr.* e Coradum e, Conradum k - 44. Ricardum e, Richardum o - 45. Ptolomaida e - 46. fato *corr.* e facto e - 48. Richardus o - Britanniam e - 49. Enobarbi e, Aenobarbi i - 51. Saphandinus e - 55. ad Pisanos *corr.* e Pisanis e - 58. Metonem u - 59. Ethruscarum e, Hetruscarum o - 61. Hemicus e - 62. centum o - inter] in e - 63. Hemicus e - 63. Post hoc e - 64. Is] lis e - 67. Fridericus il - 69. Bonifacium *omn.* Monferatensem e - 70. Ii] Hi o - per *om.* e - pervenerint u - 71. maiori o - 74. ubi *om.* e - 77. Hemicus e - 79. nihil] nil o - 80. His] Hic e - 83. tale] id o - 89. clandestine o - 90. desidet] hipl - 91. Dandalo u - 93. Isaci il - 97. Isacus il - 99. Hemanuel e, Emmanuel bsfhi - et Gallis—Venetis *om.* p - satisfaceret] sfil - consequeretur] bsfl, consequerentur] hip - 101. asseruerant] asservant i - 102. Raymerio] bship - Dandalo eu - hi] hec e - 104. Alexius e - nocta e - 105. Isacus il - 107. Cretam] creatam e - 108. ab] ut il - 109. Henricus o - 110. Riccardi e, Richardi o - Brittanie e - 111. matertera *in ras.* e - initium i - 113. Succedebat i - Ptolomaida e - 114. urbe *corr. ex urbem* e - iisdem] hisdem e - Hierosolimitanus e - 118. Riccardo e, Richardo o - Brittaniam e - 131. quem] quia o - 132. ac] an e - 133. obnoxu e - 141. sapientia *om.* o - 145. alienos] in alios o - 149. temporis censura o - neglectiores u - 152. hisdem e - 153. Nam cum e - rediit o - 154. Bonifacio *om.* - Hadrianopolis e - Valachorum o - 155. Valachi o - 156. Valachi o - 157. tñs *om.* e - 158. Valachiae o - Dioclitiani e - ii] hi o - Hadrianopolim e - 159. perhibetur e - 161. omnino *om.* o - 167. procerum e - 169. Alemannorum es, Alamannorum bsfhi, Alemannorum p - 172. princeps e - terent *corr.* e tenerent e - 174. Phillippi e - Riccardi e, Richardi o - Brittaniam e - 178. Tyburtina *omn.* - 180. Dirachium e, Dyrrachium o - Epyrotarum e - 183. qui] quin bsfhi - 184. Mantoliensis] Maltobiensis bsfhi, Maltoviensis pl - 186. aut immerito] haud immerito *omn.* - 187. Bosphorum il - Thracium il - 188. omneis u, omnes pl - 190. aliquamdiu] aliquando i, aliquanto l - 193. et] ac o - 194. Alemannia esp, Alamannia bsfhi - 196. afflictim e - 198. accersiri il - 206. opinantem *corr.* e opinatum e - 210. succumbuerit e - 211. reo] rei o - 212. intemperantissimo o - 213. dediceram e - 214. repente] me] me repente o -

si id] sed si id o - 215. reum *corr. fortasse e* rerum e, rerum i - 216. quando] quoniam o - 217. obsidente e - "Ηλιον] Helion e - 218. Babylonem e - Saracenam e, Saracenam o - 221. sed] sex i - 227. militi] militi e - 234. deluderentur o - obsidente e - 239. Corradinus e - 240. Corradinum e - 241. adegit o - 243. praesidio il - 246. Babylonem e - fecit e - 247. Saraceno o - 248. consanguinitate quam] consanguinitateque e, consanguinitati quam b - 249. ii] hi o - 250. et interceperit hipl - 251. Gualterum o - 252. Saraceni o - 254. urbe *om.* e - 257. protinus] proximis es - 258. admotis] admotis e - Saracenos o - 262. vetustissima] venustissima o - 264. Saracenis o - 265. Mahumeti o - 266 Babylonemque e - 271. principum *corr. e* principum e - Babyloniam e - 272. Dyrrachini o - 273. Tholosae u - Domici e - 279. enim *om.* ii - 281. quia] quod o - 282. Babylonem e - 283. faciunt] faciundum i, faciundo l - conspicaretur ebsfp - 284. Babylone e - 285. Babylonem e - Saracenorum o - 287. Babylone e - alioribus] alterioribus e - 289. qui—desperabatur] quem—desperabant o - pro] pr(a)e ebsf - 290. eos] hunc o - 292. tanto] tanta i - 293. Aconem] Adonem u, Sidonem l - 294. Episcopum i - Saracenorum *omn.* - vigesimo k - 295. Calumnensis i - 296. Hierosolimitanus e - et Romam il - Friderico hipl - gnato u - 297. ansa] causa o - 299. Berengarium i - 300. Margaritae bsf, Margaritae hipl - Aaronis o - 302. iij hi o - 306. Pelino *omn.* - 308. Thuringio bsfhi, Thuringiae pl - Landgravi o - 310. dissimulasse k - illas i - 311. vafre] afre e - 313. assidue k - 315. Landgravius o - Fridericum hipl - 318. dispatrix e - 320. Babenbergensem bsfhi, Bambergensem p - 323. religionem] regionem e - 326. Conradum k - 327. invenire o - 328. apertam i - eo collocutam] ea loquutum (locutum p) bsfhip, ea loquutam l - fateretur, tur *in corr.* e - 329. pretestatum e - ineundum] ineuntem hipl - 330. Marcurco (*littera tertia in corr.*) e, Marcburgo bsf - 333. Redegundis k - 337. exhilarari o - 339. Quatriduo *omn.* - 340. mulieres e - somniis hipl - 341. cacademno e - 342. dextrae o - 343. Conradi k - ab utroque *om.* k - 345. Burcardo e - ei] ut k - Contareno o - 347. Iohannem il - 348. infati e - 350. Trevirensis il - 353. trigesimo o - 354. Egrus e

LIBER VIII.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber octavus e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber VIII. (octavus l) o - 2. Petri] Petri o e - 3. Rutenorum eu - 6. ab] abs il - 8. late longeque] longe lateque o - 9. Rutenos eu - Getorum hip - 10. militie] milite e - 14. Georginam hipl - Tripolim e - Persida] praesidia b - 15. in metropoli e - Iberos *corr. e* liberos e - 16. Saracenos o - Hierosolimam e - 22. Saracenorum e, Saracenorum o - 24. Anaxobiorumque - 26. hordeo] ordeo e - 29. milo e - 31. ludentes lubentes i - 33. ac] a e - ficta] facta o - 34. gregales e - 36. que—confingunt *om.* b - 37. Ciliarche e - 38. dequoquant e - 39. equo i - 40. Rutenorum eu - 43. usquam] usque e - 47. Quecunque e - 49. inesi] est o - 57. tres o - 58. rependere] respondere b - 59. contracta e - 61. servant e - 63. Saracenorum o - 68. posito—nonnullis] positus supra k - 69. transverberabant i - possit credere hipl - 71. mulas] multas hipl - 74. inferaque i - 78. in] ad k - allicant e - 81. inter] inde i - 82. suos hipl - 84. eam] illam o - locum nemo o - 85. dimittunt hipl - 87. dispersi] depressi o - sibilium i, unum l - circumveniant s - obruncet e, obruncant s - 89. sectas] septas e - 91. his e - 92. examito e - 94. raperantque *sive* raparant e - 97. comesti e - 99. exunt e - 101. esculis o - 102. Tatarorum l - Tataros i, Tartaros l - 103. ac] et o - 106. Cutenis *omn.* - 107. Cutenem *omn.* - dinicasse e - 112. libentissime o - 114. Cuten o - 122. suis amaretur] suis amaret e, a suis amaretur o - 124. Dionisium e - 125. reverentiam o - 126. Ruteno u - 130. Ceun e, Caenum (Coenum s) o - 139. extremo *om.* b - 140. LXX-ta e, septuaginta o - 145. Rutenia eu - 146. Ruteni(a) eu - 147. undecunque—evocavit *om.* b - 150. Rutenis eu - imbiberent] inhiherent e - ii] hi o - 152. accingerent o - 153. Cutenem *omn.* - 154. Rutenorum eu - 156. omnes o - 157. Chianadiensique bsfhi, Chanadiensique spl - 158. omnes bsfhi, omnes pl - Pesthum o - 160. Hermes o - 163. Rutenorum eu - 164. usquaque e - 165. Vratislaviam o - 167. Rutenorum eu - Rodanam o - 168. Teuthones u - 169. Teuthones u -

171. Teuthones u - Ariscaldum e - 174. Pesthum o - Pestho o - Pesthanum o - 177. is *corr. e* iis e - 178. traicere i - Catephractus e - 181. XX-ti e, viginti o - Pestho o - 184. nescis i - 185. Pesthi o - 187. Cutenem o - 188. Cutenem o - 190. Cutenem o - accersiri il - Cuten o - 191. Cutenis o - Alemannis ep, Alamannis bñhil - 197. Cutenis o - 198. nullumque] nichilque e - 199. Cnianadiensis bñhip, Chanadiensis sl - 200. numero] vero o - 202. Iarnenses e - Cutenis o - 203. combuxere e - 205. Varadinensis k - 208. commentio o - 211. dimicat o - 214. Pesthi o - insequitur] consequitur hipl - 217. planite e - 220. ac monet *om.* il - hiis e - 222. arbitrari e - olim acciderat] solitum accidere k - 224. inspirato hip - 229. se destitutum] destitutum o - 230. hos] quos hipl - 231. Pesthum o - Postera hipl - Pesthanos o - 232. Quinqueccesiensis u, Quinque ecclesiensis l - 235. comitis] optimatis *omn.* - 236. Pesthum o - 237. princeps (*sic*) *corr. e* princeps e - 239. Reynaldum k, Reinaldum s - 240. Scinicensis hipl - obire] abire e - Herodius o - archidiacanus e - 242. frustra e - 246. omnes o - 248. potentissimi o - 250. hortaretur k - speret bñhip, sperent l - 255. dimiserat] diviserat e - somniumque i - 257. illi hi pl - 259. treis bsñhi, tres pl - 263. Segedino eu, Szegedino l - 264. laurini] Tauri e, Taurini o - 265. Teuthones bsñhip, Theutones l - 268. Rodana o - ex] ac o - 274. viginti quinque o - 277. ii] hi o - 280. ruinis] mimis e - 281. caeterorum k - 288. ut *om.* iip - Teuthonum u - 289. pagos] pogos e - Agiam e, Bagyon l - tres o - 290. Chianadinum k - Marisium u, Marusium l - 291. redisset i - 292. evestigatum o - 294. dimisere] diviserat e - 297. uxorum] virorum i - 299. Kenezios k - 302. Kenezii k - 303. hiis e - 306. Kenezios k - 309. Cnianadinum bñhip - dimiserant] diviserant e - Cristerciensis e - 313. Rutenos eu - 315. Rutenisque eu 316. eripuere] diripuerat o - 317. ii] Hi o - 323. ulteriori o - 324. urbis prospectus o - 331. Croaciam ebñhi - 335. Gallis e - ac rusticorum] et rusticorum il - 336. urbis e - 337. addunt *om.* e - iisdem] hisdem e - 340. hunc i - 342. porcorum] pecorum k - 345. fuit *om.* il - 348. Alemannis esp, Alamannis bñhil - edictu e - 349. cecissimas] tecissimas o - 350. Rutenium eu - 353. Croacia eu - 355. lapidiam] Lapideam o - 356. Segnae o - Illiricos e - 359. non iniuriarum k - contemptorem i - 361. Alemannis esp, Alamannos bñhil - 362. prosternatus e - 364. Alemannica es, Alamannica bñhi - 365. omoagros bñhip, onagros l - 366. Carpathii o - iubati o - 368. ac sterilis] est sterilis i - 370. qui natu maior *in ras.* e - 372. Uirichum bsñhip - Carintiorum i - Taurisini e, Tharvisani bsñhip, Tarvisani l - 374. in inundatione] in undacione e - 375. Chunispergium e, Kungispergium bsñhip, Kunigsbergium l - 380. Haymurgumque e - confugit] confudit i - 383. Mascovie e, Moscoviae o - Kunigundis o - 384. Habesburgensis e, Habsburgensis l - 386. Brandaburgensis e - 387. infortuna tum e - 390. efflicium o - 399. Brandaburgenses e - Rapcham] Kapczam bsñhip, Kapezam l, Rabczam l - 401. Bodum bñnip, Budam s, Bodon l - 402. refertur i - Rodolphi ebñhi, Rudolphi pl - 404. quinti] quarti o - centum il - 405. multum o - 408. Rodolpho bsñhi, Rudolpho pl - 409. Rodolphum bsñhi, Rudolphum pl - 410. ita *om.* il - 411. Rodolphus ebñhi, Rudolphus pl - 413. Rodolphi bsñhi, Rudolphi pl - 417. parteis bsñhi, partes pl - 418. Alemanni esp, Alamanni bñhil - 420. Rodolphus bsñhi, Rudolphus pl - 422. dimicarunt il - 426. Rodolphi bsñhi, Rudolphi pl - 428. Rodolpho bsñhi, Rudolpho pl - habuit e - 432. Lorandus *corr. fortasse e* Lonnardus e - Tome e - 436. Poterunt e - 437. ii] hi o - 438. Pesthum o - 439. Saracenis o - 440. Nortmannorum k - 441. Conradus k - Appulie e - 442. Conradinum k - Conradi k - 444. treis bsñhi, tres pl - 448. piscam e - 451. oportere o - 453. suis] sus e - de *om.* i - 454. monere] movere i - 455. pistinis e - fore *om.* e - 457. Kereszeg u, Keresztszeg l - 458. loco suo o - cepit *om.* b - 459. pre] per e - 460. Nam] lam o - 461. armetis e

LIBER IX.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber nonus e, Rerum Ungaricarum decadis secundae liber IX. (nonus l) o - 4. Estensi el - 5. eo *om.* il - 6. addactis i - 7. par] pars i - 14. Thomassina u, Thomassinae l - 15. ex avi] et avi e - 18. Thomassina o - 19. sollicitare i - 20. subito] subditos o - 21. eo] ergo o - 22. de] et *omn.* - Bonifacio *omn.* - 23. natum] nactum e - 25. quinto] quarto k - avie] Annae k - 27. Marcellus e - Rodolphi bsñhi, Ru-

dolphi pl - 28. Marcellus e - 30. Marcellus e - 31. primogenio i, primogenito l - Fridericus fhipl - 32. genologia e - 34. Guilelmi i - munitalis e - 35. Fridericus fhipl - 36. li] Hi o - 38. Fridericus fhipl - XXX] XXXX-ta (*sic*) e, triginta o - 39. LVI-o e, quinquagesimo sexto o - M-o CC-o LI-o e, millesimo ducentesimo quinquagesimo primo o - 41. Conradus k - Neapolitanam is e, Neapolitanam hic o - 42. Conrado k - Alemannia eship, Alamannia b, Allemannia l - Crradus s, Conradus k - Conradi k - 43. Panormitanum il - 44. Andagavensis e - Castilie] Castelle e - Raimundi il - 45. MCCLXXXIII.] M-o CC-o LXX-o III-o (*sic*) e, millesimo ducentesimo septuagesimo quarto o - Andagavensem e - atque] utque i - 46. CC-o LXXV-o e, ducentesimo septuagesimo quinto o - 47. dexteris hipl - 49. Marcellus e - Tholosanus o - Tristana] Christianus o - Dyrrhachius o - Graviae o - 50. Arragonum el - Elionora] Leonora o - Friderici fhipl - Berteranno e, Bertrando o - 51. M-o CC-o VIII-o e, millesimo ducentesimo octavo o - XXV-o e, vigesimo quinto o - Marcellus e - 53. Marcellus e - 56. Maxonitarum e, - Violantis e - 57. Bonifacii *omn.* - octavio - Marcelli e - 58. M-o CCC-o VIII-o e, millesimo trecentesimo octavo o - VIII-o e, octavo o - 59. octo o - undecim o - LXIII-o e, sexagesimo tertio o - 60. MCCCXXXV-m e, millesimum trecentessim quadragesimum quintum o - 61. Vasalis] Baxalis e - 62. Maxonitarum e - qua] quo hipl - 64. Alemanni(a)e esp, Alamanniae bphil - 65. Catharina o - Baldini, d *in corr.* e - 67. Tristanus] Christianus o - 68. Moree] Amore(a)e eu - Dyrrachii o - vivente priore] viventem prius e - 69. Dyrrhachii o - 70. Cativum o - 72. Ioanne] Iohanne e - Andagavie, Buturicensis e - Navarie e - 73. Borboniae o - Auriliensis e - 74. Aragone *apud nos mendum typogr. pro* Aragonie - 75. Elionora, E *in corr.* e, Leonora k - Frederici *corr. in* Federici e, Friderici fpl - ij] hi e - 76. Federici e, Friderici fhipl - Leonorae k - Tarentini] Clarentani e - 77. Federicum e, Fridericum pl - 78. Eleonora e, Leonora k - 80. Bertrando fhipl - Dalphino e - Viennensi] Biennensi e - 81. Marcelli e - 82. hiis e - Marcelli e - 83. Balloys es, Valois l - 84. Catharina *omn.* - 85. Balloys es, Valois l - Catharin(a)e *omn.* - 86. CCC-o II-o e, trecentesimo secundo o - 87. Marcelli e - 88. Littivanie e, Lithvaniae l- coniugata e - 89. Marcellus e - Andree regis] Andree il - CCC-o XXXX-o V-o e, trecentesimo quadragesimo quinto o - Ursulo k - pientissimo o - 91. Dyrrhachii o - 92. Dyrrachii o - 96. Borboniae o - Cypri e - 97. CCC-o LX-o III-o e, trecentesimo sexagesimo quarto o - 99. Catharina *omn.* - 100. premissuque e - VI-o e, sexto o - iisdem] hisdem e - Avenione fhipl - uti] ut il - Pistoriensem] Ursitoriensem e - 101. M-o CCC-o LXII-o e, millesimo trecentesimo sexagesimo secundo o - ascensu i - 102. Castilie] Castell(a)e es - 103. CCC-o LXXX-o II-o e, trecentesimo octogesimo secundo o - 105. decessissent o - 106. Baucii hi, Brucii p, *om.* l - Federici e, Friderici pl - 108. Dyrrhachii o - 109. Hinc] Huic bsfhipl, Hiuc i - M-o CCC-o XLVIII-o e, millesimo trecentesimo quadragesimo octavo o - 110. Dyrrhachii o - 112. Navarae hip - 113. Cansginor ebs, Canis l - 114. Ioanne o - Dyrrhachii o - 115. Dyrrhachii o - cum Ioanna] Chuno - sexto o - CCC-o LXXXI-o e, trecentesimo octogesimo primo o - 116. Mariae u - novissimus] n(N)onis o - 117. Vissegradum o - XXVII-o e, vigesimo septimo o - 118. Bonifacio *omn.* - Azayolum o - Ioannes o - 119. ita *om.* e - 120. Biennensis es - Monteforte bsfhi, Montefort p, Montfort l - 121. Arricini] Arriani e - Claromontensis o - Claromontis o - 122. Gothfredo e, Gothofredo o - Gai(j)atano e - Bonifacii *omn.* - Octavii hi - domina e - 123. Signolphus hipl - 124. Tomasius e - Martianus o - Scyllaci hipl - dyaconus e - Ruphus e - Severini] Generi e - Melite] Mileti e - Nocolaus *apud nos mendum typogr. pro* Nicolaus - Eubulanus o - Trivetensis e, Triverensis o - Sangivetensis e, Sanginetensis bsf, Sangiverensis p - 125. Richardus bis o - Satriani e - ij] hi o - 127. S(s)eneschalcus bsfhp, Seneschallus (*sic*) il - 128. Gambathesa o - 130. Manuppelli e - s(S)eneschalcum bsfhp, s(S)eneschallum il - Aginoni e - Artum] Astum i - 131. Gotphredus e, Gothofredus o - 132. Gambathesa o - Muroni sship, Murani l - 133. Protoiodoci i, Protojudici l - Brisslensi e - 134. De Celani] Decelani e - ij] hi o - 135. Margarithe e - 136. Bauci e - Federici e - Conradi o - Nicastrensem e - 137. Marcellum e - 144. Hiadra e - Hiadre e - 147. Hiadrenses e - 150. et] ut es - Hiadrensiu e, Iadriensium u - promereretur es - 151. dissencio e - 153. Ugrinus] Ubrinus e, Urba-

nus u - 154. tabernicorum e - Colocensis l - Varadinensis u - Chianadiensis bshp, Chiadiensis i, Chanadiensis l - Venceslaum ebsfhi, Wenceslaum pl - profecturos e - 155. Vencesleum Venceslai ebsfhi. Wenceslaum Wenceslai pl - 156. Venceslaum bshfi, Wenceslaum pl - 159. Venceslaum bshfi, Wenceslaum pi - 160. Colocensem l - excesserit humanis u, excesserat humanis l - 161. Scepsiensisque e, Sepusiensisque u - 162. Venceslao bshfi, Wenceslao pl - alijs illis o - 165. Pesthum o - Wernerii l - 166. ptysi e - 168. Venceslai bshfi, Wenceslai pl - 169. Hostiensem e - serviret] saeviret o - 171. nihil fhipl - 175. defuncto alius bhip-176 pseudobresbyteri i - 177. Petermanus] preter manus e - Venceslaus u, Wenceslaus l - 178. virum hip - 180. amiserint hipl - 181. vendicet sibi o - 183. Venceslao u, Wenceslao l - adacta hip - 184. oblectatur semper o - trecentesimo] tricesimo e - Vespriniensi u, Vespriniensi (sic) l - Chianadiens bshp, Chanadiens sl - 186. Transsylvania o - 187. Transsylvania o translatus e - 193. iam] illam o - 194. Wernerii l - Venceslao bshfi, Wenceslao e - 194. et om. o - 195. Peturmanus e, Petormanus p - pretor] Petor e - 196. Martimherman u, Marcum Herman l - post 198. titulus maioribus litteris: De adventu Gentilis cardinalis et Caroli coronacione e - 201 trecentesimo] tricesimo e - 205. Transsylvanum o - Transsylvania o - 206. scysmaticum e - 208. Rákos l - Pesthum o - trecentesimo] tricesimo e - 209. supra quam o - 210. Matheus e - Trincheni u, Trinchinii l - 212. adaciam e - 213. Matheus e - 215. Scepusium l - 216. Scepusium l - 220. omneis bshfi, omnes pl - 225. Casca] Kokes l - Gurcia—Gurcie—Gurcia] Gyurk—Gyurkae—Gyurk l - Michaelque—Gurcia om. e - frustra ei - 230. tricesimo e - 232. coniantem e - 233. trecentesimo] tricesimo e - Helisabethen e - 235. Vissegrado o - 237. Tholosani o - 242. trecentesimo] tricesimo e - 243. Lai(i) o - 253. e Zaachorum] Ezaachorum e, e Zaachorum hip - Trinchenum bf, Trichenum hip, Trinchinum l - 255. imperfidie e - 258. Videbant hip - 259. Vissegradi o - 260. dextrae hipl - 261. propiorum e - oppositu] obiectu o - 262. Chenesich l - 263. Pathochi u, Potochi l - 265. sonniis e - 266. frustra e - 267. Kopaio l - Sebeu bshp - 268. Succisis corr. e Succussis e - digittis e - 269. expendat eb - 270. Sebeu bshp - Leuu(v)a u, Lewa l - 273. Hiis e - 274. auspicato o - 275. Valachorum o - 278. Valachi o - Bozarado s, Bozorado l - 279. Valachos o - 280. Valachos o - 281. Transsylvanae o - vayvoda e - Dyonisius e - lanche] Larchae o - Bozarado s, Bozorado l - 282. Bozaradus s, Bozoradus l - hinc] huic o - 283. Transsylvania o - Valachos o - Zeuryn bs, Zeurin fhpl, Severinum l - 285. Bozarado s, Bozorado l - 286. Bozaradum s, Bozoradum l - 287. se] sed e - 289. abnegata e - 290. Bozaradum s, Bozoradum l - Vaia-chum o - 291. Danchum bshp - Lyptae u, Lyptae l - 292. praestiterunt o - 294. Dancho bshp, Danchio s - 295. Bozaradum s, Bozoradum l - inopia] impia e - debita] dedita o - 296. Valacho o - 301. quatrimum o - cedunt e - 303. Albane] Albae o - Transsylvanae o - 305. Valachi o - 307. Desöum bis l - 308. Danchium u, Donchium l - Bereudi] Gerendi u, Berendi l - 309. paratam hil - non om. eb - Themesvaram hip - Vissegradum o - 311. soceria e - 312. centum o - 314. Appulo e - Marcellus e - 315. Guelphorum o - partes o - 316. Hetruria o - Athesiensium o - 318. secessionem] successionem hip - Federicum e, Fridericum l - 319. Federicus l - 321. Sarra] sacra b, Serra hipl - 322. LXX-ta e, septuaginta o - 323. Brissiam e - Bergamum o - Rhegium o - 328. Marcellum e - profectus hi - 329. Chianadino bf, Chanadino sl, Chianadiano hip - Chianadiensem bshp, Chanadiensem sl - Danchium u, Donchium l - CCC-o XXX-o III-o e, trecentesimo trigesimo tertio o - Vissegrado o - Zagabriam hi - 330. lapidie] Lapideis u, om. l - Segniam o - Appuliam e - 331. vigesimi secundi o - pontificiis e - 338. Marcellus e - 339. Marcellus e - 341. Marcelli e - Marcellus e - 342. Marcellus e - Ioannem hipl - Appulie e - 345. Vissegradum o - 346. Luciburgensium e - 351. cecidit] decidit o - 354. Guelphis o - Gebellionis e, Gebellinos u - Hetruriae o - 357. Venceslaum u, Wenceslaum l - 359. adiciemus o - 360. Vissegrado o - 361. sunt om. o - 363. pharetris] phalaris bsfl, phalaris hip - tottidemque e - baltheis ebsf - haspidibus e - 364. CC-tis e, ducentis o - 366. auri om. o - 367. illic] illum e - 368. Vissegradum o - Lochca e - Rutenorum bs - 372. primogenio i - 374. ardoribus o - 376. Hetruria o - 378. Postero] Postremo e - 380. tres

o - 381. Vissegrado o - nominis sui perpetua o - XVII-o e, decimo septimo
o - 382. Croaciam ebsfhi - 384. efflictim k - 385. in] ad o - omnes o - 389.
tres o - 390. Strucione e - 392. Vissegradum o - ac se] at se o - 393. Chia-
nadinum bthip - 395. Ciccus] Licius k - 397. Saracenorum o - tottidemque e -
398. Brittanis e

LIBER X.] Secunde decadis rerum Ungaricarum liber decimus e, Rerum
Ungaricarum decadis secundae liber X. (decimus l) o - 3. Hungarie e - 5. ac] a
e - 9. ad] et i - 10. Pannonicque] Polonicque e - 19. succenturias o - 20.
omnes o - 21. Transsylvaniam o - 24. Transsylvaniam o - ditionem (*sic*) e -
27. quidem *om.* o - Valachiae u, Walachiae l - 32. Appulia e - 34. XX-ti e, vi-
ginti o - postulati ipl - obryzi o - 36. Apuliam e - 40. decessisset o - 42. pon-
tificia] a pontificia o - 45. elemosynas e - 47. Colunnenses e - 49. pontifex] pro-
pontifex e - 51. sepe *corr.* e spe e, semper o - 52. omni o - praedicasset i - 55.
erat] erarat e - 57. nil o - 59. Matthi(a)e ebsfhi l - 60. Sypontum e, Siponem i
- 63. demum *om.* o - Vissegradum o - illi, quod] illique e - hec, quod] hecque
e - 64. largicio (*sic*) e - 65. sortiti o - 68. marcharum eu - 80. Nicolaum] Nicomen e,
Niconem o - Zeech l - Paharon] Poharnok u, Poharnok l - 84. Transsylvaniam
o - Valachis u, Walachis l - 86. collocatis] collatis e - 87. dextro] deserto e -
veterum e - 88. li] Hi o - 90. Atlamus o - 91. Vissegradum o - 92. Valachorum
o - 94. Croacia ebsfh - 95. Curiaci] Luriaci u, Cyriaci l - Nilipcium e, Nelep-
cium u, Nelepzcium l - Croacos bsfhp - 97. Croacia ebsfh - 98. Bosznensium
l - 99. Bessos u, Bissos l - ii] hi o - Bessis o - 101. Croaciam ebsfh - Beehe-
gium u, Byhegium l - capud e - Calcothphea, *littera 5. o in correctione certo
legi nequit e*, Calacuthphea bthip, Calacutphea s, Kalkothfö l - 102. Iwan l -
Nili petii e, Nelepeczi u, Nelepci l - 103. Croacia bis ebsfh - 104. Croaciam ebsfh
- 107. Croacia ebsfh - 108. discutere] discurrere hip, deficere l - assertorum hip
- l. o. omnes o - ultra hipl - 118. mari] Maria e - 119. admovet hip - 120. pro-
fecto o - 121. Marocenus hip - Dandalus u - ii] hi o - 126. Scecach u, Scekach l -
131. exercitu e - decerint e - 138. se *om.* e - 140. paucis et] paucis i - 141. ii]
hi o - ex] e o - 143. Arsandorpherum e, Harsandorparum u, Harsendorferum l -
Teutones e, Teuthones u, Teuthonem l - 144. propius] potius hipl - 147. Appulus
e - 148. Conradum o - Cathansium hip, Cathancum l - 149. paricidae u - 151.
paricidas bsfhp, patricidas i - forcipibus e - 154. induxerat hip - 156. Philippo
i - 158. impetrata fides] intemperata vita es - 162. Appuliam e - peteretur hi -
paricidis u - 164. Ne quid autem sfhpl - Appulorum (*sic*) e - 165. principium e
- 166. Aquilam] Aquileiam o - 168. Aquila] Aquileia o - Precutiniis bs, Prae-
cutiniis fhpl - Appulis e - Aquileianorum o - 172. dehonestandum i - occu-
rrere o - 173. Mastinus o - Avenione l - 174. Flamminiam u - Galeotus o - 175. Bul-
garulius o - Molonianus i - Paugonus e - 176. Praecutinisque bsf, Praecutiniis-
que hipl - 177. pervenisset o - 178. Interamniam e - Pinnenses e - 179. ut—
auspicaretur] et—auspicatur o - 180. gratia] auxilio o - captos fuisse o - 182. Ioar-
danis e - et in] in o - 185. adeo] Romani adeoque o - 187. Lucimburgensem e
- 188. Apenninis *omn.* - 189. Avenionem l - 190. Dyrrhachinum o - 193. Dyr-
rhachii o - 194. Dyrrhachii o - paricidii u - lictore] littore - 195. convictos]
coniuotos e - 196. Vissegradensi o - paricidii u - 198. Appulia e - 199. Transsylv-
vanum o - Teuthonem u - 200. gesserunt—affecerunt o - 201. evaserint e - 202.
Avinioneni p, Avenione l - 204. adulterio e - 214. Wernerium l - 225. iudicant]
vend carunt e - 226. Izthrigum u, Osztrogum l - Chiakthornia bsfhp, Chiasithor-
nia i, Csakathorna l - 227. Appulie e - Avenione l - 230. Tothi l - Georgium] Gre-
gorium o - Bubeki l - Szeech l - Koniam - 231. Zagrabiensis o - Kanisii l - 232.
SyPonti e - 233. Teuthonicis u - Conradus o - 234. Hungaria o - 235. Barum i -
Teuthones bis u - 236. rapiunt] capiunt o - 237. Teuthones u - 245. revictis e -
249. Contum u, Konthum l - sperare] pararet e - 255. Pinniatarius u, Pinatarius
l - se] sa e - 260. Drugethum o - Aversae *om.* b - 264. Avenione l - praetextorum
o - togatum] rogatum i - 267. omnes o - 272. reliquit] reliquid e - 273. Teuthonum
u - peditum] pedum e - Conradusque o - 276. abitum] obitum hip - Avenione l -
278. Avenionem l - 279. hunc] huic hip - 280. Leonico o - legatum *om.* e - 282.
desideret i - 287. Mysis o - Italio o - 288. Tarentini u - 289. dimittant e - 290.
vesaniae fhpl - 291. a] ac e - 294. agebat ipl - I(j)hanna hip - 2 7. admirantur
omnes o - qui quippe il - Vespriniensem u, Weszpriniensem l - 298. Vissegrado

u, Wissegrado l - Appuliam e - 299. devicerat o - pacis se o - 302. Aphrica bsfhi, Affrica p - 304. Appulia e - 306. Italiae u, Italicae l - 312. pepegisse hi - 313. exigerat e - iubebat] videbat o - iam] haud o - 314. intellexisset eu - 315. proponeret e - 320. Sicum u, Singiam l - Spolatum u - Aenonamque l - Tarvisinum l - 321. Cantareus e - 322. Deinde o - Tarvisium l - munierant hipl - Ioanne e - Dilphium k, Delphium s - 323. Pannoni o - 324. Tarvisio k - 325. circum] quum o - quemdam e - 326. Forgonium k - Tarvisini k - 330. fudunt hip - 331. Chontum u, Konthum l - 336. Teuthonibus bsfhp, Theuthonibus i - Italici e - 337. Chehelisque *corr. e* Cehelisque e, Chiaholisque u, Cheelisque l - 339. Tarvisinos k - 341. ii] hi o - 342. Bonintendus o - ii] hi o - 344. Sicum] Signia l - 345. Aenona l - 346. Tarvisium k - Teuthonis u - 347. Tarvisinis k - 348. Tarvisanus k - Gradonicus esl - Bonintendus o - 349. Phanatico u, Flanatico l - Dyrhachium l - 350. Tarvisino k - Cencensi e - 351. Tarvisino k - 353. a Venetis] Venetam hipl - omnes o - Tarvisino k - 355. Cuneranos bsfhip, Cadoninos l - 357. Tarvisinos k - 358. Tarvisini k - 359. Lituano u - 361. Lituano u - 363. Lituano u - 364. Roxannos l - Rutenos u - Bubekum l - Capoleum l - Zapolium u, Kapol l - 366. centum o - 367. occurrebat o - 368. auxiliaribus o - impetrata hi - 370. Nauricii (*sic*) e, Mauriti bsil - cum] eum i - 372. Aulegiano *corr. ex* Augiano e, Aureliano o - 374. Mirandolanus l - Guilelmus e, Gulielmus hi - 375. Cipri e - 376. tres o - 377. M.] Marcus o - hi] ii e - Celsus apud] Celsum apud e - 383. recedissee i - urbe e - 384. ne] quum o - 386. Duum e - 389. quod] quot i - 390. Hetruria o - 391. Tarvisino o - 392. Tarvisinum o - 393. Tideus e - Anaxum] Naxum o - 394. Tideus e - Canunensis o - 395. Bellunenses bsfhp, Belluenses i - Vicentini o - 396. Bellunum bsfl, Belunum hip - 398. Transsylvano o - vi] ut bhipl - Bonifacius *omn.* - 399. Transsylvani o - 401. exortum] extortum u - Tarvisinum k - 402. Unigum] Vingum o - 403. Tarvisinum k - 404. Bellunum o - 406. ineunt] invent b - 408. Barnabovem sship - Petrinum u, Petrum l - 409. Tarvisinum k - Richardo o - 410. Lyguria e - Phamaugusta *apud nos mendum typographicum pro* Phamaugustam - Famaugustam l - 411. Lygustica e - 412. Dilphii k, Delphii es - 416. in litus effusi *om.* il - 417. Lygures e - Crapolas o - 419. Lyguribus e - restiteret e - adducti] abducti e - 422. Lvguris e - 423. ut] aut e - Taurisinum e, Tarvisium k - 425. Marocenus hip - Zaccharias e - 426. et] eo e - 427. Tarvisino k - 428. Lygures e - 429. Lyguribus e - 430. Lygustica e - vincula o - 431. Tarvisium k - 432. Tarvisium k - 433. Taurisio k - se] sed e - 436. Aimon e, Hamon o - 437. redderet] raderet h, raderet l - 438. diffiniretur o - 439. ducentis, e *et t in corr.* e - Lyguri e - 442. assereret] esereret e - 444. Zrebernicum u, Strebernicum l - 445. furti] Eurti e - 447. Bodonium bsfhi, Boddonium p, Bidinum l - 449. Gemlechium (*sic*) u, Gomnechum l - Zagradiensis o - 452. Tricinium i, Trenchinum l - 453. Zidnicensis u, Suidnicensis l - 454. Bebekus l - 457. Cracoviam l - 458. Laici u, Layki l - Valachiam o - 459. Valachiam o - 460. Transsylvaniam o - Transsylvanum o - Mauriti l - 461. Laicus u, Laykus l - Valachiam o - Ilumsam] Jalonizam l - 462. Laici u, Laykii l - Dragomerus l - Valachus o - funditurve e - 464. Cicille] Kikeullae u, Kikellö l - 465. Valachorum o - 466. Valachiam o - Laico u, Layko l - 467. Valachis o - 468. Therchum l - 470. Retianos *bis*] Rascianos *bis* l - Valachia o - barbaricae u, barbabaricae l - 471. Osfi] Offi e, Ostffii bsfhi, Ostfii pl - Zemero l - Hi] li e - 473. animos] omnes o - 474. callidissimus *corr. e* calidissimus e, calidissimus hipl - optimatum] optatum hip - 475. regiis o - *et om.* hipl - 477. hi] ii e - 479. Nozthre o - Leveldo u, Leweld l - Cartusiensibus e - 480. Aquisgranio e - 481. quisque] suisque e, suosque sship - 484. Patarinos o - Bosna l - Bossenensis] Bossensis hip, Bosnensis l - 485. hi] ii e - 486. Valachorum o - Valachia o - Marmarusiam o - habitat e - Valachis o - 487. Pannonio b, Pannoniae hipl - 488. muriumque hipl - 489. liberalissimus *om.* e - eo - genere] eos - onere o - 491. Bossenensis u, Bosnensis l - tres o - Catharina *bis* o - 493. Jagelloni l - Lituaniae u - est] erat o - 494. Christianam o - 500. indole] inde hi - 502. conferret e - 503. nactus] natus o - assudua e - 505. subituros] subdituros e - 509. Visegradum o - 511. Hi] li e - 515. tres o - 517. Valachi o - 519. exaedificarat bsf, aedificarat hipl - 521. centum o - 522. ac] hunc e - *post* 522. Finis. Deo gracias e, Decadis secundae finis o

[SAECULUM XV.]

RM

- Facius**, Bartholomaeus, *Invectivae in Laurentium Vallam*, ed. R. *Valentini*. (Apparebunt.)
- Ficinus**, Marsilius, *Epistolae*, ed. P. O. *Kristeller*. (Apparebunt.)
- Galeottus Martius**, v. *Martius Narniensis*, Galeottus.
- Hungarus**, Simon, v. *Barius, Nicolaus*.
- Kostolan**, Georgius Polycarpus de, v. *Barius, Nicolaus*.
- Martius Narniensis**, Galeottus, *Carmina*, ed. L. *Juhász*. 1932. — 1.80
- *De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber*, ed. L. *Juhász*. 1934. — — 2.60
- *De incognitis vulgo*, edd. L. *Juhász*—T. *Kardos*. (Apparebit.)
- *Epistolae*, ed. L. *Juhász*. 1930. — — — — — 1.—
- *Invectivae in Franciscum Philelphum*, ed. L. *Juhász*. 1932. — — 2.50
- Pannonius**, Ianus, *Opera*, ed. I. *Husztii*. (Apparebunt.)
- Philelfus**, Franciscus, *Sphortias*, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász*. (Apparebit.)
- Ransanus**, Petrus, *Epitoma rerum Hungararum*, ed. L. *Juhász*. (Excuditur.)
- Savonensis**, Guilhelmus, *Dialogus, an mortui sint lugendi an non*. ed. H. *Maschek*. (Apparebit.)
- Seneca**, Thomas, *Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Mare-scottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum*, ed. I. *Fógel*. 1932. 3.60
- Strozza**, Titus Vespasianus, v. *Saecula XV—XVI*.
- Valagussa**, Georgius, *Epistolae*, ed. L. *Juhász*. (Apparebunt.)
- Vitez de Zreda**, Iohannes, *Epistolae — Orationes*, ed. L. *Juhász*. (Apparebunt.)
- Zagabriensis**, Georgius, v. *Barius, Nicolaus*.
- Zovenzonius**, Raphael, *Carmina*, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász*. (Apparebunt.)

SAECULA XV—XVI.

- Andronicus Tragurinus**, Matthaëus, *Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae*, ed. L. *Juhász*. 1933. — — — — — 1.—
- Bonfinis**, Antonius de, v. *Saeculum XV*.
- Bohuslaus** Hassensteinius, v. *Hassensteinius baro a Lobkovicz, Bohuslaus*.
- Celtis** Protucius, Conradus, *Libri epigrammatum quinque*, ed. F. *Pindter*. (Apparebunt.)
- *Libri odarum quattuor — Liber epodon — Carmen saeculare*, ed. F. *Pindter*. (Excuduntur.)
- *Ludus Dianae — Rhapsodia*, ed. I. *Rupprich*. (Apparebunt.)
- *Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus*, ed. I. *Rupprich*. 1932. — 1.30
- *Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia*, ed. F. *Pindter*. 1934. — — — — — 6.60

[SAECULA XV—XVI.]	RM
Fontius, Bartholomaeus, Carmina, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1932.	2.—
— Epistolarum libri III, ed. L. Juhász. 1931. — — — — —	4.50
Hassensteinus baro a Lobkovicz, Bohuslaus, Epistolae, ed. A Potuček. (Apparebunt)	
— Scripta moralia — Oratio ad Argentinenses, ed. B. Ryba. (Excuduntur.)	
Naldius (de Naldis) Florentinus, Naldus. De laudibus bibliothecae libri IV ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. L. Juhász—S. Mocarski. (Apparebunt.)	
— Elegiarum libri III ad Laurentium Medicen, ed. L. Juhász. 1934.	5.60
Piso, Iacobus, Opera, ed. L. Juhász (Apparebunt)	
Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — —	1.40
Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebit)	
— Epigrammatum libri VII, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebunt.)	
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenaë Baetidos gloriosa expugnatione, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — —	2.20
Warda, Petrus de, Epistolae, ed. B. Iványi. (Apparebunt.)	
SAECULUM XVI.	
Duditius, Andreas, Epistolae, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)	
— Opera varia, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)	
Illicinus, Petrus, Carmina, ed. I. Ribiczey. (Apparebunt.)	
Merenda, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. H. Tescart. (Apparebunt.)	
Olahus, Nicolaus, Atila — Hungaria, C. Eperjessy—L. Juhász (Apparebunt.)	
— Carmina, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1934. — — — — —	2.80
Sambucus, Ioannes, Epistolae, ed. I. Gerstinger. (Apparebunt.)	
Sirmiensis, Georgius, Epistola de perdicione regni Hungarorum, edd. L. Erdélyi—L. Juhász. (Excuditur.)	
Stretzinger, Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita, ed. H. Maschek. 1934.	1.—
SAECULA XVI—XVII.	
Istvanffy, Nicolaus, Carmina, ed. I. Holub—L. Juhász. 1935. —	3.60